PANOPLIA EPISCOPALIS,

SEV

DE SACRO EPISCOPORVM ORNATV LIBRI VII.

CVM ANALECTIS.

Auctore ANDREA DV SAVSSAY, *I. V. Doctore : S. R. E. Protonotario : Officiale Parisiensi, necnon Vicario Generali Illustriss. & Reuerendiss. D. D. Archiepiscopi Parisiensis, &c.*



LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Architypographi Regis & Reginæ regentis : ET GABRIELIS CRAMOISY. viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. XLVI.

Cum Priuilegio Regis, & Theologorum Approbatione.

ILLVSTRISSIMO
ET REVERENDISSIMO DOMINO
D. IOANNI FRANCISCO PAVLO DE GONDY, CORINTHIORVM ARCHIEPISCOPO;

NECNON
IN PARISIENSI ARCHIEPISCOPATV
DIGNISSIMO COADIVTORI, &c.

ANDREAS DV SAVSSAY, Ἀθανασίαν precatur.

NON *diu, nec ancipiti consilij lance, deliberandum mihi fuit,* MAGNE PRÆSVL: *cuius gratiæ vel tutelæ, munusculum hoc meum offerrem. Tibi debebatur multiplici iure: Primò quidem ratione ipsius argumenti, tractat enim de Episcopali ornatu, quem B. Paulus (cuius in Corinthiorum Ca-*

thedra meritissimus es successor) sub virtutum coloribus, quibus Timotheum suum adornat, diuino planè penicillo depingit. Pulchrè S. Hieronymus legis antiquæ Pontificis ornamenta, ad noui æternique Testamenti Pontificum transferens apparatum, quicquid Moyses in vestitu sacro expresserat decoris, ad eos ornatus quos Paulus in Episcopo exigit, debere censuit reuocari. Vetus lex, *inquit*, nouæ congruit. Idipsum Moses, quod & Apostolus. Ille sacerdotis scientiam ornat in vestibus: Iste Timotheum & Titum instruit disciplinis. Sed & ipse vestimentorum ordo præcipuus, quem legimus in Leuitico descriptum, *ornatum designat, quo Christianus Pontifex debet in Ecclesia præfulgere:* Tanta enim debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, vt gressus eius & motus vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu: vt quicquid agit, quicquid loquitur, sit doctrina populorum, absque tintinabulis enim, & diuersis coloribus, & gemmis floribúsque virtutum; nec sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.

Spectator aderam, cùm Illustrissimus Patruus tuus (quem honoris causâ nomino) te solenni ritu; in magna Galliæ Episcoporum corona, & duorum eminentissimorum Cardinalium splendidissimo consessu, Pontificem consecrauit, hæredémque sacri principatus designatum, iámque participem, suis te adornauit infulis, atque in throno suo Archiepiscopali, ingenti cum Parisiensis Ecclesiæ lætitiâ, nec minori regiæ Vrbis applausu, quin & totius Galliæ gratulatione, collocauit. Tunc verò cùm primùm te conspicerem, Pontificali illo apparatu radiantem, subiit in animum, hos quos recèns ornatus indueras, non tam sacræ dignitatis insignia, quàm tuæ, iam numeris omnibus absolutæ, indicia esse virtutis. Perfecti siquidem in te Antistitis exemplar, tum mihi visus sum intueri: ideámque viuam conspicere formæ Episcopalis, quam vas electionis Paulus superno irradiatus afflatu, diuinis suis in codicillis expressit, quámque Catholica Christi Ecclesia, illis ipsis, quibus mirè fulgebas, subindicat Pontificalis gloriæ ornamentis. Hinc mihi altè insedit cogitatio, mysticæ huius Panopliæ concinnandæ: quam subinde aggressus, exor-

ſúſque , intento ſtudio , nec mediocri operâ elaboratam , publicam demùm in lucem, tuis ſub feliciſſimis auſpiciis , profero.

Acceſſit & alia ratio , quæ hoc opus, ab ipſo ferè ſuo conceptu tuam penitùs in rem vendicauit: nimirum perilluſtris Patrui tui, Archipræſulis noſtri honoratiſſimi, teſtata intentio & voluntas. Enimuerò cùm ab eius Celſitudine aliquando ſupplex depoſcerem , vt pro ſolita ſua in me benignitate , ſplendidiſſima nominis ſui inſignia quibuſdam meis opuſculis præire pateretur: abnuit præter morem , obſequium ſibi longè acceptius , à me præſtitum iri ſeriò conteſtatus , ſi eiuſmodi obſeruantiæ pignus deinceps tibi conſecrarem: quem honorum ſuorum hæredem , haud tam natiuæ ſuæ beneuolentiæ impulſu , quàm incomparabilis virtutis & ſapientiæ intuitu , cum publica totius regni comprobatione, nuper inſtituerat. Sic iubenti volens , lubènſque parui : nihil enim mihi iucundius obtingere poterat , quàm grata ſic mihi impoſita neceſſitas, publica hac cultus & obſeruantiæ ſignificatione , tuam Celſitudinem proſequendi.

Cæterùm præter hanc cauſam alia (quæ tertia) interceſsit : placet iter agentibus antelu-

canus fulgor, & ipsa quæ vix sentiunt corpora, experiuntur venturi sideris benignitatem. In te, ILLVSTRISSIME PRÆANTISTES, *certatim omnes oculos conuertunt, orientis tui splendoris irradiationibus oblectati, benignique influxus, quem tibi innatum, inclytæ prosapiæ nobilitas, miræ eruditionis fulgor, sanctitatis iam conspicuæ gloria, affatim persuadent, spe illecti; vnde sibi prospera quæque pollicentur. Mirantur feliciores tuos in dies progressus, Parisiensique Ecclesiæ, tibi auspicatissimo sponsalium fœdere deuinctæ, impensè ideò gratulantur: cui singulari æterni numinis beneficio concessum, in te vno rediuiuas contemplari priscorum suorum Antistitum virtutes: Dionysij fortitudinem & sapientiam; Marcelli puritatem; pietatem Germani; Ceranni vigilantiam; charitatem Landerici; Æneæ doctrinam; peritiam Gallonis; Stephani Zelum; Mauritij solertiam; Petri & Guillelmi, præstantissimorum Theologiæ luminum, incomparabilem eruditionem: Vtque posteros Sedis huius Apices censeamus, Eminentissimorum, Ioannis Bellæi præcelsæ mentis capacitatem, singularem Petri de Gondy propatrui tui, in gerendis rebus prudentiam;*

effusam erga pauperes misericordiam, Henrici patrui tui, eius verò nepotis, ac meritissimi successoris spectatam integritatem, denique IOANNIS FRANCISCI *eius optimi fratris, tuique Coronatoris insignem mansuetudinem, comitatem, iudicij perspicaciam, (& quod his ornamentis maius est) singularem in Beatissimæ* VIRGINIS *cultum, pietatis affectum, licet in te vno mirè collucentes intueri. Verùm qui Antecessores tuos tam feliciter imitaris, feréque adæquas: sic antegrederis Successores, vt paucos pares, nullos maiores habiturus, à solertissimis cursus tui spectatoribus, meritò censearis. Tua fama gloriæ sic iam adoleuit, vt nullis deinceps locorum spatiis definiri, aut circumscribi posse videatur. Te idcirco charum, sanctúmque Palladium regiæ huius Vrbis ac perinsignis Ecclesiæ, summa admiratione cuncti suspiciunt, omnique significatione cultus ac reuerentiæ, certatim prosequuntur. At non est quòd officij sui vereantur excessum. Tibi indebitus honor nusquam rependi potest. Tibi, inquam, qui in Christianæ reipublicæ Illustrissimorum procerum, ac Reuerendissimorum Præsulum, spirante Deo, maiores numeros, amplioresque ordi-*

nes

nes adſtriptus, tot acceſſionibus gloriæ præfulgens; Muricem Romanum es aliquando, (vt omnium bonorum vota, prudentúmque iudicia præſagiunt) illuſtraturus, &

Aucturus meritis, quicquid honoris erit.

Mihi interim fas eſſe perſuaſum habui, ſolenni hac obſequij teſtificatione tuam colere magnitudinem: Nec modò præminentem virtutem munuſculi huius conſecratione venerari, ſed huic præterea tractatiunculæ inclytum ſplendidiſſimi tui nominis præfixum ire decus. Fortunatiſſimum hoc fore, ſiquidem opuſculum non diffido, tuo ſi præſidio muniatur. Hæc porrò cauſa eſt, cur te ANTISTES PRÆCELLENTISSIME, *quem patronum publici mei muneris, hactenus mea fides optauit, nunc ſpes vindicem ac aſſertorem qualiſcumque huius lucubrationis, ſupplex implorat. Summum hoc fuerit beneficium, ſi auſpicatiſſimi tui ſtemmatis præſcriptione, permittas huius operis frontem decorari, tuáque inclyta inſignia eidem praeeſſe patiaris: quibus hic ipſe liber ſplendorem non modò recipiet, at inſuper tutelam. Hanc ſacroſancta qua præfulges auctoritas, illum verò dignatio & gratia, qua*

hunc susceperis facilè conciliabit. Cæterùm rudis, haud diffiteor, & impolita textura qua tractatus hic constat, tuos puros ac perspicaces aspectus sustinere non patitur, veretur limatos ac politos sensus: sed materiæ dignitas opificij nonnihil compensat rusticitatem, fauorémque sibi vendicat, æquis obtutibus perlustrantis. Facile est auro, aut ebori, decus addere, cùm materies per se niteat. Talem istis opusculis gratiam à stylo dare, per se gratis. Quamobrem huic inani immorari studio, operæ pretium mihi fore non existimaui; maximè cùm ipsum conscriptionis subiectum, Pontificale ius, decorúmque totum spectet: hócque ipso titulo, quod Episcopalia effert insignia, nequeat (fidenter dico) Celsitudini tuæ ingratum fore, quæ perfectum Pontificalis honoris exemplar est, ac virtutis. Tua idcirco pro insigni humanitate, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, *oro, obtestórque, hocce munusculum ita accipe, vt meum, sed tibi debitum: ita defende, vt tuum, sed à me profectum.*

AD LECTOREM,
AVCTORIS PRÆLOCVTIO.

SIQVIS ex me, AMICE LECTOR, sciscitetur, cur de sacris Episcoporum insignibus ac ornamentis scripserim: præter rationes in liminari Epistola deductas, aliæ insuper aliquot causæ non mediocris momenti exstiterunt. Cùm enim ante annos octodecim, tractatum euulgassem, *de sacro ritu præferendi crucem maioribus Ecclesiæ Prælatis*, & aliquandiu pòst, libellum *de Pallio Pontificali*: institerunt subinde amici quidam, non modicæ eruditionis, nec postremæ auctoritatis vt *Episcopali Panopliæ*, serie integra pertexendæ, tandem aliquando manum admouerem: cuius inchoatum opus, duplici illo tractatu, mancum & mutilum maiori ac præcipua sui parte videretur, nisi hæc accederet commentatio, de cætero (qui potior erat) Episcoporum ornatu.

Suppetebat & alia ratio: indefessum scilicet eorum studium, qui res veterum Romanorum & Græcorum explicandas & illustrandas susceperunt: Vix enim iam quicquam reperias, quod incredibili diligentiâ ex tenebris non eruant, conquisitis vndique ex tota antiquitatis memoria, selectis auctoritatibus ac testimoniis. Omnia obseruant, notant, enotant, accuratè conferunt, attentè perpendunt: omnia, inquam, quæ ad mores publicos & priuatos, ad res forenses & bellicas, ad conuiuia, fora, funera, vestes, sacra & sacrificia pertinent: Immò & illa in lucem aliquando pertrahunt, quæ magno emolumento nesciri, sciri vix sine detrimento possunt. Profuit tamen hâc nostrâ ætate, ista illorum diligentia, quæ facem prætulit, incussitque piis aliquot viris desiderium ac studium, similem diligentiam ac industriam ad res Ecclesiasticas adferendi; singulásque, non cum aliis confusas & permixtas, sed sigillatim ac separatim,

ex antiquorum Patrum & Historicorum optimis queisque monimentis, perspicua methodo & accurata ratione explanandi. Cui studio maxima cum Reipublicæ Christianæ vtilitate, & Catholicæ religionis incremento ac gloria, plerique summâ eruditione Viri, aliquot abhinc annis, strenuè, nec infaustis auibus incubuerunt. Horum laudabili exemplo incitatus, eiusmodi exercitationi me ab annis ferè XXV. applicaui, eo fine, vt discerem primùm, deinde si qua mihi visa essent vtilia & scitu digna, aliis in eo studiorum genere non adeò exercitatis indicarem. Cura enim mihi semper fuit ad vtilia, potiùs quàm ad amœna duci, aut ducere. Quemadmodum enim floribus, alij ad odorem aut aspectum tantùm, sed apes ad mellifluum, medici etiam ad sanitatem, vtuntur; *apis argumentosæ* (vt verbo Ambrosij vti liceat) partes, medicique potiùs salutiferum quàm iucundum consilium, statui imitari. In materia necessaria hactenus scripsi: in qua Lector, non amœnioris eloquentiæ flosculos quæreret, sed Ecclesiasticæ doctrinæ reperiret meros fauos. HOC OPVS in eo argumento versatur, quod etsi fortè non ita rarum & singulare quispiam arbitrabitur, necessarium tamen, & non inutile, abnuere non possit. Rarum siquidem ac singulare ipse ne dixero, de quo prisci rituum sacrorum tractatores, suis in opusculis de sacris Ministrorum Ecclesiæ Catholicæ vestimentis, ac Præsulum insignibus, quasi ex condicto dissertârunt, ac plerique Neoterici etiam nonnulla obseruârunt; sed alij confusè ac permixtim, alij sigillatim quidem, sed obiter & nimis arctè; plerique omnes non adæquatè de singulis, sed de quibusdam dumtaxat, parciúsque quàm par fuisset meminerunt, potiùs quàm scripserunt ex professo. Quamobrem necesse erat, rem totam, ab ouo (vt aiunt) inuestigatam accuratiùs exprimere, tractatámque ex instituto, vno eodémque filo, quamuis rudiori, contexere, sed stamine fusiori. Visa & quorumdam (quibus non tanta suppetit, quanta in eiusmodi studio librorum copiâ opus est) id commoditas exposcere, vt quicquid argu-

gumenti huiuſmodi, intento in id ingenio, delibaſſem; his, hac congeſtum penu irem expromptum, vnde totum ſemel & ſimul, & in vna manu haberent, ſub vno oculorum ictu.

At operis huius vtilitas ex alio defluit fonte: enimuerò pulchrè, & ſolerti acumine, quamquam obiter, Marinus Coruinus Epiſcopus Iſernienſis, in oratione quam habuit ſeſſ. 12. Lateranenſis Concilij ſub Leone X. Tropologiam obſeruauit, quæ arcana ſignificatione condita delitеſcit, ſub ſacerdotales & pontificios ornatus. *Ipſas quoque gemmas*, inquit, *coccum*, *byſſum*, *purpuram*, *hyacinthum*, *quorum ornatu ſæpè Angeli coruſcare videntur: munditiem*, *nitorem*, *ſcientiam*, *charitatem*, *iuſtitiam*, *ſpem*, *fidem*, *& cæteras innuunt virtutes*, *quas tametſi totius Eccleſiæ*, *tamen Pontificum & Sacerdotum ornatus ac indumenta eſſe conſtat.* Ita quidem ſe res habet: ſed nihilominùs vix hactenus inuentus fuerat, qui morales, myſticóſque hos ſignificatus enucleatim, ex ſacrorum horum indumentorum inuolucris elicere, & exponere tentârit in proſpectum. Id verò ſummoperè hoc toto tractatu contendo, vt ſcilicet ſplendida illa inſignia, non tantùm velut indicia ſpectentur ſacroſanctæ Pontificum dignitatis, quemadmodùm vulgus imperitum ſuos in hæc obtutus paſſim defigit: at ſub intellectu ſublimiori attendantur, vt documenta, indicéſque ſunt omnigenæ virtutis, cuius Panopliâ, ex Apoſtoli præſcripto, inſtructus debet Epiſcopus in Eccleſia Dei, vt animatum quoddam exemplar totius ſanctitatis, & viuum Chriſtianæ perfectionis ſpeculum præfulgere. Abſit tamen, vt hoc monimento docere præſumam meos Patres. Non eò tendit meus iſte conatus; ſolùm eò ſpectat, vt quò magis eorum dignitas nota ac perſpecta fiet, maior eis reuerentia deferatur, atque ex eorum ornatu, non modò ſtupeat aut oblectetur populus Chriſtianus: at etiam ex patefacta iam myſtica ac morali eiuſdem apparatus ſignificatione, ad virtutum ſtudia, quas Pontifices tam habitu ipſo, quàm actu & merito gerunt, efficaciùs excitetur.

Sed verò in tanta rerum varietate, quâ huius operis

ſeries eſt contexta, habet etiam vnde percipiat pius Lector nonnihil oblectamenti. Varietas ipſa delectationis eſt mater, quam vt natura in rebus eleganti pulchritudine temperauit, ſic in libris, à quocumque ſcriptore, qui Lectoris animum leuare, ac faſtidium vitare voluerit prudenter intermiſceri debet. Hac arte attamen (dicam ingenuè) vſus non ſum: ſed opus ipſum natiuâ ſuâ texturâ interſtinctum variis materiarum coloribus, ſi quid eſt in eiuſmodi diuerſitate gratiæ, ſuo è ſinu expromit. Genere quidem ſub vno tractatus hi omnes concurrunt, at ſpecie res differunt, quæ explicantur in ſingulis, ſuiſque modis ediſſeruntur. Methodus etenim etſi vt plurimum ſit didaſcalica, variat tamen: interdum eſt enim polemicus, aliquoties paræneticus, quin etiam non vno loco encomiaſticus contextus. Doctrina quoque operis eſt multiplex, vt potè ex ſacræ Scripturæ auctoritatibus, Patrum documentis, Conciliorum canonibus, Pontificum decretis, exemplis Sanctorum, piorum Principum Capitularibus, legibus, pragmaticis, ſelectiſque monimentis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, delibata. Quibus (vbi congruere viſum eſt) ſæcularis antiquitatis, ac humanioris litteraturæ obſeruationes, ad rem conferentes pleræque admiſcentur: adeò vt hæc, tametſi rudi filo contexta, ex ipſa tramitis diuerſitate, toti nihilominus opificio aliquantulam concilient venuſtatem, ſi non remouendo prorſus, ſaltem temperando Lectoris tædio, non vſquequaque importunam.

Cæterùm, nec Catholicis dumtaxat documento erit huius generis tractatio, ſed etiam heterodoxis, quorum magiſtri, ſacros Pontificum, ac Sacerdotum amictus, in deriſum quibuſque potuerunt artibus traduxerunt: haud ſecus ac ſcenicas veſtes, ac hiſtrionicas laruas vituperando, diuini altaris miniſtrorum myſtica indumenta, & ſacroſancta Epiſcoporum inſignia; quorum originem ludicram, nuperam, Scripturæ ſacræ repugnantem, & penitùs incognitam ſanctiſſimis veteris Eccleſiæ Patribus, abhorrentémque penitùs à legitimo Dei cultu, & Chriſtianæ legis puritate, haud veriti ſunt criminari. Quàm enim miſerè, iſti meridiana in luce cæcutiant,

totóque aberrent cœlo, patenti argumento hic est liber; quo sacrarum eiusmodi vestium, insigniúmque spectabilis antiquitas, vsúsque verè Christianus, iisdem quibus aduersari volunt principiis, niti, firmaríque, propalam ostenditur; quantúmque decoris inde accipiat Christiana Religio, ac pietas incrementi, liquidò demonstratur, discussis, difflatisque, quascumque in aduersum obiiciunt, argutiis.

Procul at verò prorsus ab hoc segregum infelici molimine, mentéque impiâ, fuêre docti quidam ac Catholici scriptores, qui de quorundam insignium Episcopalium antiquitate disputarunt. Nec eo enim fine, quo illi. At duntaxat vt exercitationis gratiâ inquirerent, non de iure vsus, at de sola eius origine: de qua non cruenta pugna, sed amica velitatione, cum symmystis suis, fidei domesticis, absque vllo amaritudinis felle, integris charitatis vinculis, non tam exertis viribus decertarunt, quàm blandè & amicè disseruerunt. Cum his siquando miscui, hac in palæstra, sermones: eadem me lege, quoniam Christiana eadem mente ac intento, penitùs habui, iisdem me continui lubens modestiæ Ecclesiasticæ cancellis, *Ne terminos transgrederer, quos patres nostri posuerunt.*

At forsitan prolixioribus hisce colloquiis, MI BENIGNE LECTOR, nimis te mororꝫ in cuius tamen gratiam hoc opus aggressus, leuandi te laboris onere atque fastidio, pleraque hactenus fortè non ita exactè obseruata, sparsim hoc toto contextu PANOPLIÆ EPISCOPALIS annotaui, minùs explicata dilucidaui, pugnantia conciliaui, expendi etiam nonnulla accuratiùs, quæ attento examine indigebant. Sed quicquid attulerim laboris aut diligentiæ, excidisse in quibusdam me à rectâ lineâ non dubito. In crimen non idcircò tamen, vt reor, vocandus: etsi enim improuidè quicquam fortasse dictum alicubi reperire sit, nullibi tamen malignè, nusquam impiè. Si quid peccatum à me, pòst emendabitur, quàm monitus fuero improuisi erroris. Non est igitur, cur rigidiori censurâ mecum agatur, qui paratus sim grato animo, meliores aliorum sensus sequi, cùm noue-

ro, atque meos non defendere, sed fateri & eluere lapsus. Psylli absint duntaxat opto, (qui inter Christianos abesse debent) nati venena tantùm, siquæ sunt, exugere librorum; & quæcumque rectè dicta sunt, vel certè non nocendi animo, occulere, peruertere, dispungere, deturpare: Palæstinis similes, qui filio obedientiæ Isaac inuidentes, omnes puteos, quos serui patris eius Abraham, in solatium familiæ foderant, obstruxerunt, implentes humo. Sanè quæ hactenus protuli in lucem opuscula, eò spectarunt, vt Ecclesiæ commodo & ornamento inseruirent: At fuerunt (perpauci tamen) meos qui pios conatus, nescio quo liuore vel odio acti, tentarunt interturbare, piæque meæ intentionis (quâ mihi in Domino proficere, & prodesse proximo semper optaui) obruere nisi sunt puros affectus. Deus, precor, illis ignoscat. Hos non læsi vnquam, neque lædam, vt spero: rogatos at velim, vt, cùm Christiani sint, & mortales se esse meminerint, immortales in pectore non nutriant inimicitias, quas abs re conceptas, hactenus apertis indiciis, exquisitisque occasionibus, lubentes, volentes prodiderunt; aduersus quos vsque modò, mirantibus plerisque, defendere me nolui, ac etiamnum nolo. De PRÆLO AD PRÆLIVM, lacessito mihi tot eorum impetitionibus haud arduum erat prosilire; verùm cum fratribus meis pugnaces ad cruorem manus consertum ire, semper piaculum duxi: dixisse cum pacifica anima, mihi satis fuit, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me. Ego verò cùm mihi molesti essent, intendebam silentio*, patienter expectans, si fortè Deus aliquando humilitatem meam respiceret: ipsique tandem quiescerent, mecúmque, sic victi Christiano more & amore, sacratas manus iungerent, cum virenti pacis ac charitatis oliuâ, quam iis syncerâ mente offero. Faxit DEVS, quæramus omnes quæ ad pacem sunt Ierusalem, *nec cuipiam demus aliquam offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum*, ad cuius honorem & decorum, hos libellos conscripsi.

PANOPLIÆ EPISCOPALIS SYNOPSIS.

LIBER I.

De Mitræ Episcopalis antiquitate.

LIBER II.

De virga Episcopali, vel Pastorali Baculo.

ANALECTA.

LIBER III.

De Anulo Episcopali.

APPENDIX AD PANOPLIAM EPISCOPALEM.

Pro Ritus defensione, deosculationis pedum Summi Pontificis.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM *est auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, aliisve locis eius ditioni subiectis, librum, qui sic inscribitur,* Panoplia Episcopalis, seu de sacro Episcoporum ornatu, Libri VII. cum Analectis. Auctore ANDREA DV SAVSSAY, Officiale Parisiensi, *&c. absque Sebastiani Cramoisy Architypographi Regis & Reginæ Regentis permissu, typis excudat, aut diuendat, intra* X. *annos proximos à die publicationis horum exemplarium. qui secùs fecerit, multa indicta, prout fusiùs in diplomate regio continetur, multabitur. Datum Parisiis die* 11. *Decembris anno* 1645. *Sic signatum, mandato Regis,* CRAMOISY.

APPROBATIO DOCTORVM.

PANOPLIAM EPISCOPALEM *Viri clarissimi, & inter eruditos aui nostri, scriptoris celeberrimi Dom.* ANDREÆ DV SAVSSAY, *I. V. Doctoris, Officialis Parisiensis, & Vicarij generalis Illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. Archiepiscopi Parisiensis, necnon Ecclesiæ Sanctorum Lupi & Ægidij Pastoris vigilantissimi: Nos Doctores Theologi Facultatis Parisiensis, summa cum animi non solùm voluptate, sed etiam admiratione legimus, probauimus. Parisiis die* 15. *mensis Maij anno Domini* 1646.

TALON. A. DE BREDA. BAIL.

PANO-

ANDREÆ DV SAVSSAY PARISINI S. R. E. PROTONOTARII, I. V. DOCTORIS, NECNON OFFICIALIS PARISIENSIS, & Vicarij generalis, &c.

De Mitræ Episcopalis antiquitate EXERCITATIO.

CAPVT I.

Expenditur illorum opinio, qui Pontificalis Mitræ abnuunt in Ecclesia antiquitatem.

EPISCOPALIS Mitræ vſum plerique docti noſtrâ ætate viri, haud admodum antiquum eſſe contendunt, quibus omninò perſuaſum, vix ante excurſum ſæculi decimi à Chriſti ortu, huic ſacro Præſulum inſigni locum in Eccleſia fuiſſe.

I. & præcipua eorum ratio eſt, quia apud rituales Auctores qui tractant de Pontificalibus inſignibus & ſacris veſtimentis, Mitræ in diuino cultu vſurpatæ ab Epiſcopis nullum cernere ſit veſtigium: nam in ſacramentariis (aiunt) noſtris manuſcriptis, in Ordinibus Roma-

no & Tilliano, in Pontificali manuſcripto quod ſeruatur in ſacriſtia Eccleſiæ Rothomagenſis, & putatur eſſe Rhemenſis, in Miſſa ab Illyrico edita: apud Alcuinum, Amularium, Rabanum, & alios antiquos ſcriptores, qui de diuinis Officiis tractant, & ornamenta Pontificalia recenſent, mirum eſt hac de re ſilentium.

II. Addi poteſt Alcuini inſignis auctoritas. hic enim vir grauiſſimus in libro *de diuinis Officiis*, vbi de ſingulis veſtibus differit, Mitræ quâ Præſules inſigniuntur, nullam non modò facit mentionem: at quod prorſus contrarium eſt, diſertè aſſeuerat huius ornamenti vſum apud Latinos præſertim Antiſtites non vigere. *Huiuſmodi veſtis* (inquit) *non habetur in Romana Eccleſia, vel in noſtris regionibus: non enim moris eſt vt pileati diuina myſteria celebrent.*

III. Accedit quòd vetuſtæ nonnullæ reperiantur ſanctorum Epiſcoporum imagines, cum ſacro ornatu, abſque mitra. Qualis eſt ſignatim S. Dionyſij effigies in manuſcripto codice operum eius depicta, quem pretioſo dudum munere miſit ad Ludouicum Pium Imperatorem Michaël Orientis Auguſtus anno 824. per Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Oeconomum, alióſque legatos. Quiquidem Codex ipſo ſuſceptionis die, qui peruigilium erat natalis ſancti ipſius Dionyſij, inſigni miraculo repentinæ curationis 19. infirmorum diuinitùs obſignatus, (vt notat in Chronico Sigebertus anno ſignato) etiamnum in regali prædicti Martyris Cœnobio reuerenter aſſeruatur, vetuſtiſſimâ manu exaratam illam referens imaginem. Quâ ipſemet beatus Dionyſius grauiſſimo vultu, Apoſtolicum virum planè ſpirante depictus, ac ſchemate verè Pontificio totus inſignis conſpicitur. Caret tamen Epiſcopali illâ infulâ, quâ Pontifices, ab inferiorum ſacerdotum cœtu iam paſſim dignoſcuntur. Alba ſiquidem candet, ſeu linea tunica talari, orario duplicato elegantis texturæ, gemmíſque inſignito, verſus oram, decoratur. Caſulæ, ſeu collobij profuſi ambitus veſte ſuperindutus, totâ crucis ſignaculis ſparſim interſtinctis, rutilante coruſcat. Phrygio ſeu ſuperhumerali, quod pallium Pontificale tritiori nomine vo-

citant, exornatus incedit. Euangelij codicem auro coopertum, & gemmis micantem ſummiſsâ manu ſiniſtrâ ſuſtentans : dextera verò, quæ nuda patet, efformans crucis ſignaculum, protenſo ad benedictionis munus, Græcorum more, triplici digito, nempe indice, medio & extremo. Ceterùm vix credibile eſt, ſi mitra primis Eccleſiæ ſæculis, adeóque ipſis Apoſtolicis temporibus fuiſſet Epiſcopis in vſu, ſanctum Dionyſium quem propria ſcripta rituum Pontificiorum valde peritum & ſcientem patenter produnt, eius à geſtatione priuato more ac iudicio abſtinuiſſe; vel ſi hoc ornatu vſus eſſet, in eius imagine antiquiſſima, hoc vnum inſigne fuiſſe ſuppreſſum, cùm cetera accuratiùs eadem in effigie expreſſa colluceant, datáque à picturæ huius auctore operâ, Epiſcopalis Panopliæ ornatus exquiſitus, atque expoſitus in ea videatur.

In operum etiam S. Baſilij Magni limine, eius imago extat appicta, eodem ferè habitu & apparatu. Hanc Petrus Frizonius Theologus Pariſienſis ex vetuſtiſſimo Regis Chriſtianiſſimi manuſcripto, Baſilio Macedoni Imperatori ante annos 700. oblato elicitam, typíſque æneis expreſſam, eiuſdem S. Baſilij operum tomo primo, cum deſcriptione eius vultus, & corporis ſtaturæ, ex libro itidem veteri Vaticanæ Bibliothecæ deprompta, præfigi curauit. In qua etſi accuratè depictum cernere ſit Pontificalem ornatum, Mitræ tamen deeſt inſigne. Nam erectus conſpicitur ſanctus Antiſtes, fronte apertâ, nudo capite, prolixâ barbâ, vultúque, intimam animæ caſtimoniam ſpirante, totóque corporis ſitu ac habitu venerabilis : pallium & Euangelium perferens, quæ duo, primariorum Antiſtitum propria fuiſſe apud Græcos inſignia, ex dictis Sergij Abbatis in Prato ſpirituali c. 39. recitatis, dudum obſeruâſſe memini.

Eodem ferè ſchemate S. Epiphanij cernitur peruetuſta pictura, quam Pontius à Leone ex antiquis monumentis protulit, & libello cuidam * ſancti ipſius Epiphanij præfixit, Romæ à ſe typis commiſſo. Perſimilis eiuſdem beati Antiſtitis figura extat appicta operum eius anno 1622. Pariſiis editorum exordio, cum hac ſub-

* *Inſcriptus eſt de animalibus.*

iuncta epigraphe. *Hanc imaginem S. Epiphanij Episcopi Constantiæ Cypri, depinxit Ioannes Adolus Lemosiensis, haud indiligens pictor, ex peruetusto quodam exemplari quod constat in Constantinopolitano antiquissimo Monasterio Sula dicto, vulgò τὰ ἓξ μάρμαρα, id est, sex marmora appellant. Illud nunc annuo imposito censu habitandum tyrannus permittit; olim Patriarchium fuit.* Qua in pictura erectus extat S. Epiphanius, Pontificali spectabilis, quo prisci Græciæ Antistites insigniti, exprimi solent, ornatu: à quo abest Mitra, vel alius quiuis capitis amictus.

In Latina porrò Ecclesia sine infulis, Mitrâ, cidari, tiarâ, vel alio quouis capitis operimento & ornatu Antistites sacris perfungi dudum solitos, priscæ imagines quæ supersunt euidenter demonstrant. Hócque monimento est effigies S. Remigij, quæ Græcis characteribus peruetustis inscripta conspicitur in antiquo Codice Remensi. In hac siquidem visitur sanctissimus Pontifex podere seu albâ indutus: cui planeta seu casula sacerdotalis amplissima superponitur. Eminet iniectum super humeros pallium abhinc infra vmbilicum defluens, & constrictum eatenus, vt inferius etiam ab ipso nexu, extrema eius pars dependeat. Sinistrâ manu sacer Præsul Euangelium tenet: dextrâ tribus digitis erectis, pollice scilicet, indice & medio benedictionis signaculum Latino ritu efformat. stat apertâ facie, discooperto capite, verticéque detonso, si non nudato pilis natiuâ caluitie; quamuis crines hinc inde appareant super aures defluentes, exsecti tamen, ne prorsus contegant. Barba mediocris decenter ordinata ab auribus circumfluit, mentum tegit, & malarum inferiorem ambitum. Vtraque labia nitida sunt, pilorúmque inuolucri, omninò patent expertia; tametsi inter labium superius & narium inferioritatem videre sit tenues quosdam criniculos, in transuersæ lineæ modum, cutem operire; radiis circumquaque diffusis sancti Pontificis venerandum caput rutilat. stat verò ipse plano prospectu, sitúque decentissimo conspicuus.

Ceterùm peruetusta imago sancti Gregorij ad viuum

efficta hîc omitti non debet: quam cum eius patris Gordiani Senatoris,& matris Syluię iconibus,typis expreſſam edidit, dedicauítque Clementi VIII. ſummo Pontifici, cum erudito de iiſdem figuris commentario, & ſcholiis in librum Sacramentorum eiuſdem S. Gregorij F. Angelus Rocca Camertinus, Præfectus ſacrarij Apoſtolici. In hac ſiquidem tabella S. Gregorius paret depictus in medio vtriuſque parentis, in abſidicula prope naturalem ſimilitudinem, vultu mitis, manibus pulchris, teretibus digitis & habilibus ad ſcribendum; prætereà planeta ſuper dalmaticam caſtanea, Euangelium gerens in ſiniſtra, dextra verò ad benedicentis modum, efformans digitis tribus pollice ſcilicet, indice, ac medio, crucis ſignaculum: pallio mediocri, à dextro videlicet humero ſub pectore, ſuper ſtomachum circulatim deducto; deinde ſurſum ſuper ſiniſtrum humerum poſt tergum depoſito; cuius pars altera ſuper eumdem humerum veniens, propriâ rectitudine, non per medium corporis, ſed ex latere pendet: circa verticem verò tabulæ ſimilitudinem, quod viuentis inſigne eſt præferens, non coronam: quam circumſtantiam in commentario ſuo præfatus Rocca non prætermiſit. *Hoc loco* (ſiquidem ait) *B. Gregorium nudo capite effingendum curaui, quia non ſolùm in ædicula S. Andreæ ita pictum; verùm etiam à Ioanne Diacono ſcriptore accuratiſſimo* (cuius verba pro aliqua parte ex libro 4. vitæ eiuſdem S. Gregorij cap. 84. ſuprà retulerat) *ita deſcriptum inueni.*

IV. Præter hæc vetuſti vſus perſpicua indicia, alia pro eiuſdem aſſertione argumenta ſuppetunt. In quibus non poſtremo loco aſſignanda venit antiquiſſimi Tertulliani auctoritas, qui libro de Corona militis diſertiſſimè aſſeuerat, nullum Apoſtolum, aut Euangeliſtam, nullúmque Epiſcopum viſum fuiſſe, huc vſque cùm ſcribebat, coronatum.

V. Sancti Martini apud Seuerum Sulpitium dictum etiam notatu dignum hîc non debet ſub ſilentio præterire. Cui cùm diabolus in ſplendido apparatu, regiáque pompâ occurriſſet, ſe Chriſtum eſſe ſimulans. *Dominus Ieſus Chriſtus* (inquit Martinus) *non purpuratum,*

nec diademate renitentem ſe venturum eſſe prædixit. Abhorret igitur à ſimplicitate Prælatorum, qui Chriſti humilitatem & manſuetudinem imitari debent, pompoſus ille ornatus purpuræ & coronæ, qui Regem decet potiùs quàm paſtorem.

VI. Accedit quòd cùm in octaua Synodo generali, Photius Pſeudopatriarcha ſecundæ Sedis, ingreſſus fuiſſet ſacrum in conſeſſum, virgam in manu ferens; *Marinus Deo amiciſſimus diaconus* (habent geſta Concilij Act. 7.) *Sanctæ Romanorum Eccleſiæ, & Vicarius dixit, Tollite baculum de manu eius, ſignum eſt enim dignitatis paſtoralis, quod hic habere nullatenùs debet; & ei ablatus eſt.* Atqui ſi Mitram in capite, vel coronam aliquam habuiſſet, multò potiùs iuſſiſſet Marinus Legatus Apoſtolicus, Photio, illam deponere, vel ei auferri præcepiſſet, quæ baculo longè inſignior fuiſſet index dignitatis Pontificiæ. Nec putandus eſt Photius tunc ipſam gerere Mitram vltrò prætermiſiſſe, qui virgam paſtoralem in honoris indicium aſſumpſerat, quo ſe Patriarcham legitimum (qui merus laïcus cenſebatur à Legatis) aſtrueret: tùm enim de honore Pontificio & gradu agebatur, cuius iura cùm ſibi Photius pertinaciter cum aſſeclis defenderet, inſignia vtique noluiſſet præcipua, quibus ſacrum ſibimet vindicaret decus, gerenda prætermittere, tanto in Patrum conſeſſu.

VII. Affine huic argumento eſt, quod Bertholdus de rebus in Concilio Claromontano geſtis (quod Vrbanus II. Pontifex Maximus celebrauit anno 1095.) memoriæ prodidit. *In qua* (Synodo, ait) *tredecim Archiepiſcopi cum eorum ſuffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque virgæ paſtorales numeratæ ſunt.* nullæ verò Mitræ, nam ſi tunc tritus mos fuiſſet Epiſcoporum, hoc geſtare adeo præclarum inſigne dignitatis, tam ſplendido vtique in Eccleſiæ conuentu pertuliſſent; ſi verò geſſiſſent potiùs ab hoc ſacrarum coronarum ornatu, Bertholdus debuiſſet ipſos ſignare recenſitos Antiſtites, quàm à virgarum numero.

His igitur & conſimilibus ſacræ antiquitatis monimentis, & rationum momentis planè euictum cuique

rem accuratiùs non expendenti, videri poteſt, Mitræ ornatum, aut aliud quoduis decoramentum capitis Epiſcopalis, nec ab Apoſtolis traditum fuiſſe, nec à SS. Patribus vſurpatum, ſed poſterioribus demum ſæculis (quæ doctiſſimus Sacramentarij ſancti Gregorij, tametſi recentior Scholiaſtes, poſt Chriſtianum millenarium tantùm reponit, necnon Aduerſariorum ſacrorum anno 1625. Lugduni editorum collector cap. 94. §. 27. non ante 600. annos, in Romana Eccleſia cœpiſſe in vſu eſſe coniectatur) inuectum fuiſſe, abhíncque ſenſim, communi Eccleſiæ Occidentalis ritu moréque receptum, & paſſim ſeruatum eſſe.

CAPVT II.

Rationibus, quibus nititur prædicta opinatio, dilucidè, ac accuratim reſpondetur.

VERVM hæc tamen opinio de Mitræ Epiſcopalis, aut Pontificiæ coronæ recentiori vſu, mihi non modò nullâ probabilitate ſubnixa, ſed ab ipſa rei veritate penitus aliena hactenùs viſa eſt: quæque in eius confirmationem eius ab aſſertoribus afferuntur adeo fluxa & infirma, vt nihil minus quàm quod intendunt his probari cenſeam; tantum abeſt vt horum obtentu permittere poſſim me in huius perſuaſionis aſſenſum vllatenus pelliceri. Leuiora ſunt enim præſuppoſita argumenta, quàm vt diſcuſſa accuratiùs queant vllâ parte ſubſiſtere.

I. Enimuerò quod primò obiiciunt de Ritualium Scriptorum ſilentio, qui (vt aiunt) dum tractant de Pontificalibus inſignibus, & ſacris veſtimentis, Mitræ in diuino cultu vſurpatæ ab Epiſcopis nullam faciunt mentionem, cuius nec exile veſtigium cernere ſit in manuſcriptis Sacramentariis, nec in ordinibus Romano & Tilliano, nec in Miſſa ab Illyrico edita, &c. Parum hoc me mouet, quandoquidem grauioris longè momenti res, quàm inſigne illud Pontificium, in his libris omit-

tuntur, & à rituum ſacrorum tractatoribus prætermittuntur, quas tamen in vſu iam fuiſſe, aliunde, doctis omnino conſtat. Certè in ordinatione Preſbyteri manus eius vngit Epiſcopus oleo ſancto cum ſolemni oratione. Attamen nihil huius moris fuiſſe olim expreſſum in ordine Romano conſtat ex epiſtola Nicolai I. ad Rodolphum Bituricenſem Metropolitam. Abſurdum tamen prorſus eſſet hinc collectum ire, recentem fuiſſe hunc ordinationis ſacerdotalis ritum, quem conſtat ex iis eſſe, quos cùm nullo in Concilio inſtitutos reperire ſit, ſed eâ obſeruatione in Eccleſia cuſtoditos, cuius initium indicari non poſſit, nonniſi ab Apoſtolica manaſſe traditione, exiſtimari oportere ſanctus Auguſtinus (qui diſertè illius vnctionis meminit, apud Burchardum lib. 2. cap. 53.) prudentiſſimè iudicabat.

Porrò encolpium ſeu crucem pectoralem geſſiſſe iampridem tam Orientales quàm Occidentales Epiſcopos pro potiore ornatu, proprio de ea opuſculo oſtendimus. De hac tamen quaſi prorſus ſibi ignota, iidem rituales Scriptores paſſim conticuerunt. ſilent etiam ferè omnes de chirothecis, quas nihilominus ſpeciali tractatu euicimus, iampridem ab Epiſcopis geſtari conſueuiſſe.

Inſuper patet ex veteri libro Sacramentorum manuſcripto Ratoldi Abbatis exiſtente in Bibliotheca Corbeienſi, Epiſcopo, cùm promouetur dari annulum benedictum in digito; at mirum de eo ſilentium apud Alcuinum, Amularium, Rabanum, Strabonem, alióſque inſignes tractatores rituum Eccleſiaſticorum. Sed verò annulum Epiſcopo in ordinatione tradi conſueuiſſe ante horum auctorum tempora indubium eſt. Siquidem in Concilio IV. Toletano, quod anno Domini 663. fuit celebratum, inter Epiſcopales ornatus, annulus ſignatim numeratur cap. 27. ſic enim decernit illa Synodus. *Epiſcopus* &c. *è gradu ſuo iniuſtè deiectus, ſi in ſancta Synodo innocens inueniatur, gradus amiſſos recipiat de manibus Epiſcoporum, orarium, annulum, & baculum.* Ex quo loco ſi ad modum eorum qui Mitram vſu ignotam fuiſſe in Eccleſia vſque ad annum 1000. aut 1100. ſibi perſuadent, argumentari licet, etiam inferre fas erit,

Epi-

Epiſcopum neque albâ, neque tunicâ, ſeu dalmaticâ, neque caſulâ, neque cruce pectorali, & aliis pleriſque ornamentis pridem fuiſſe inſignitum, imò preſbyterum præter cætera non pauca, manipulo; diaconum dalmaticâ; ſubdiaconum albâ caruiſſe; Patres enim ſignato Canone ſilent prorſus de his ſacris veſti mentis, vbi etiam ſpeciatim ordinum illorum ſolitos ornatus enumerant. At quàm exilium ſit virium hæc conſequentia, facilè colligitur ex inſinuationibus præmiſſis. Certè plerique rituum myſticorum tractatores, tacent de quibuſdam inſignibus, de quibus alij ſpeciatim loquuntur; paſsímque de quibuſdam ferè omnes ſilent, quorum vſus notior erat, quàm vt ſpecialem de iis recenſionem ab iis fieri opus eſſet. Mitræ at verò Epiſcopalis, ſeu coronæ, aut infulæ, quòd permulta ſuppetant Patrum etiam antiquiſſimorum teſtimonia, inferiùs vbi eius antiquitatem aſſerimus, fiet abundè exploratum.

II. quod ex obſeruatione noſtra adductum eſt loco, Alcuini dictum, etſi longè efficacius videatur, muniendæ illorum opinioni qui Mitræ vſum Epiſcopalis recentiorem eſſe volunt: reuera tamen nihil aſſertioni noſtræ obſtat de eiuſdem ſacri ornatus in Eccleſia antiquitate. Alcuini locô indicatô ſcopus erat, de ornatu capitis diſſerere antiquæ legis Pontificis: ſcilicet de cidari, ſeu de triplici circumpoſita corona, lamináque aureâ, cui inſcriptum erat adorabile Dei nomen, inde dependente ſuper Pontificis frontem; poſtquam igitur de hoc ornatu tractauerat, continuo tenore ſubiungit: *huiuſmodi veſtis non habetur in Romana Eccleſia, vel in noſtris regionibus; non enim moris eſt vt pileati diuina myſteria celebrent*. Quibus verbis primùm notari debet, quòd de Mitra Epiſcopali non tractat Alcuinus. Deinde quòd infulatos noſtros Pontifices eſſe abſolutè non negat, ſed ad modum Pontificis Aaronici. Inſuper quòd pileatos ſacrificare, rectè inficiatur, ſaltem apud Latinos. Nam etiamnum in Latina Eccleſia, Pontifex infulas inter ſacrificandum demittit, nudo capite orat, conſecrat, communicat, benedicit. Quod ſubnectit Alcuinus accuratiori expenſione dignum. *Apud Græcos autem hoc*

dicitur, qui pileos id est cuphias gestant in capite dum assistunt altaribus. Certè corruptelæ huius nullum reperi apud auctores, Alcuini synchronos, vestigium. Ipse verò volaticam famam tantùm videtur hac in autumatione secutus. Nullum enim citat huius Græcorum moris testem, at vago rumore nixum se indicans, hoc duntaxat ferri incertis auctoribus insinuat. Quod ad rem attinet, parum hoc mihi probabile videtur. saltem quòd pileati sacerdotes, aut Episcopi, sacris operarentur, altaribúsque diuinis tremenda mysteria celebrantes assisterent. Nam ceteroqui quòd pileos gererent sacri apud Græcos homines, etiam in Ecclesiasticis consessibus, extra diuinam actionem, duæ mihi coniecturæ non contemnendæ persuadent. Prima est, quòd apud Moscouitas, qui in sacris Patriarchæ Constantinopolitano obsequuntur, súntque primariæ ipsius Græcorum sedis soboles, Episcopi sint pileati: nam mitras ferunt rotundas, nigri coloris, non fissas & bicornes, sed à capitis circuitu exurgentes paulatim in acumen, vt inferiùs loco suo ampliùs declarabitur. Verisimile porrò est morem hunc à Græcis Moscouitas mutuâsse, quorum ceteros passim obseruant ritus. Nec refert quòd Mitræ illæ nigræ & rotundæ, seu pilei eiusmodi apud Græcos ipsos iam non sint in vsu. Clade enim suâ, miserabilíque sorte Græci consternati iacent, Ecclesiasticósque ritus, eo splendore quo stante illorum imperio res sacras agebant, ampliùs non celebrant. Prouidè haud mirum si quæ ad decorum dignitatis Præsulum, apud eos conferebant magnâ parte exciderint: cùm vagi facti Episcopi, fixas iam sedes maiori ex parte non habeant: sed ad nutum Patriarchæ sui discurrant, quocumque exigit necessitas, vel Patriarchæ ipsius iussio impellit. vt meritò de hac deplorabili Ecclesia dicere sit, quod Propheta threnodus aiebat dudum de Hie-
Thren. 1. 2. 4. rosolyma desolata: *Viæ Sion lugent, Sacerdotes eius gementes. Egressus est enim à filia Sion omnis decor eius, deposita est vehementer non habens consolatorem. Abstulit enim Dominus omnes magnificos de medio eius. Præcipitauit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob. Ideò*

obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Altera coniectura hinc elicitur, quod in Concilio Ferrarienſi Græcorum Preſbyteri, qui cum Patriarcha & Imperatore Epiſcopíſque eò aduenerant, ipſa in Synodo ſuo in legitimo habitu cùm intereſſent, pileati adfuerint. Sic enim Collatione primâ, quæ de aduentu Imperatoris & Patriarchæ Græcorum Ferrariam, modóque quo excepti fuerint, primâ Concilij ſeſſ. ibidem publicè habita eſt, legitur parte 2. Actorum Concilij Florent. anno 1638. Romæ editi. Inquirenti Ludouico: *Sæcularium verò Presbyterorum quis ornatus?* Andreas reſpondet: *Sæculares Presbyteri erant bireto quodam caudato, vſque ad veſtis ſummitatem collum tegente, pileo nigro à lateribus circumflexo: ſuprà veſtis talaris nigra, manicis anguſtis, manus extremitate longioribus*: At Patriarcha, Epiſcopi, & Abbates aliter amicti erant, nec enim interfuerunt pileati. Sic enim percontanti præfato Ludouico, *Quis habitus Patriarchæ aliorúmve Archiepiſcoporum fuerat?* Reſpondet Andreas: *Patriarchæ, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum habitum ibidem vidimus nigrum, tegmen capiti appoſitum Monachorum more, cappa cæleſtini coloris, rigis albis purpureiſve per tranſuerſum à ſummo vſque deorſum variata: ſacrarium quoddam crucis venerabilis ſignum, certáſque ſanctorum reliquias in pectore medio gerentium.* Lud. *Religioſorum quis fuit ornatus?* Andreas. *Abbates & Monachi cappas camelorum pilis, ſeu griſeâ lanâ confectas: capitis tegmine ab eorum Patriarcha Epiſcopíſve minimè differentes.* Cuius ſimilitudinis origo eſt, quòd iam à multis retrò ſæculis, Epiſcopi nonniſi ex Monachorum ordine apud Græcos aſſumuntur. Retinent igitur poſt prouectionem ſuam Monachiſmi quædam inſignia, quale tegmen eſt illud quo caput obnubunt, ac amiciunt. Retinuêre ſæculares at verò Preſbyteri antiquum pileorum vſum, quo etiam Antiſtites pridem, ſi quis vſos ex Alcuino contenderit, neutiquam anxiè refragabor. Ex cuius dictis tantùm hoc reſultat. Pontifices Latinę Eccleſiæ operimentum capitis non huic ſimile dum offerunt gerere conſuetos, quo priſcæ Legis Ponti-

fex & inferiores Sacerdotes erant inter ſacrificandum decorati. Pileorum etiam quos Græci in vſu habebant ſacris operantes, amictum non perferre. Nec ſolitos in altari hoſtiam viuificam offerendo, pileatos apparere. Ceterùm non negat quòd aliàs infulati pollerent in Eccleſiaſtico conuentu. Nam Mitrarum vſum in Latina Eccleſia longè Alcuini ætate antiquiorem, infrà perſpectum faciemus, ſicut & in Orientali Eccleſia Sacerdotalium coronarum & Pontificalis laminæ, cidaris, Mitræ & tiaræ, apud vetuſtiores Patres fuiſſe ornatum vſitatum.

III. Ad argumentum quod ex vetuſtis ſanctorum Epiſcoporum picturis ducitur, in quibus etſi ceterà fulgentes ſplendido ornatu, Mitræ tamen aut tiaræ inſigni carent, apice ſiquidem nudo, exprimuntur conſpicui. Reſpondeo primò, paucorum duntaxat ſimulachra eſſe: aliorum verò nonnullorum extare effigies, Pontificio in vertice ornamento conſpicuas. Secundò, legimus apud Bibliothecarium* alióſque qui Annales Pontificum Romanorum literis mandarunt, complures Pontifices fuiſſe coronatos **, ſolenníque ritu coronâ Papali inſignitos ex vetuſtiſſimo more. Tametſi igitur in picturis Pontificum antiquis cernere ſit, aliquos Mitrâ vel tiarâ redimitos coronáque fulgentes, alios nudo capite depictos, non ideò putare debemus eos qui ſine hoc inſigni repræſentantur, illo caruiſſe: ſed ad genium pictorum hoc diſcrimen referendum, qui quorumdam Pontificum facies accuratiùs exprimendo, cenſuerunt pleniore conſpectu delineatam iri eorum figuram, ſi capite vndique diſcooperto, nudóque vertice exponeretur. Ad viuum etenim, vt aiunt, propiùs accedit frons aperta, quàm infulis obumbrata, vel quouis alio prætexta inuolucro.

Porrò ad imaginem quod ſpectat S. Gregorij vulgatam ab Angelo Rocca duæ cauſæ aſſignari poſſunt, cur ſine Mitra vel tiara depingatur. Prima eſt, quia figura illa vetus ex qua Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorij cap. 84. effigiem eius deſcripſit: non ideò depicta eſt, vt eumdem beatiſſimum Pontificem potiſſimùm

* Anaſtaſius qui Nicolai I. inaugurationi interfuit, teſtis eſt fuiſſe illum ſolenni ritu coronatum, ingenti cum Cleri ac populi applauſu & lætitia in Patriarchio Lateranenſi: *Coronatur, denique*, ait, *Vrbs exultat, Clerus lætatur, Senatus & populi multitudo gratulatur octauo Kal. Maij.*

** Vide Angelum Rocca in Annotationibus ad S. Gregorij eiúſque parentum imagines, quas Clem. VIII. dedicauit, ad calcem tomi primi operum eiuſdem ſancti Greg. p. 474. Et Steph. Durant. l. 2. de ritibus Eccl. Cathol. c. 9. §. 36.

in ornatu Pontificio repræſentet, ſed vt ad viuum quàm maximè fieri poſſet, delinearet eius vultus & ſtaturæ formam. Quæ cùm in capite præſertim colluceat, omnes adhibuit induſtriæ vires picturæ huiuſmodi auctor, quò genuinè & accuratim ſuis illud pigmentis iret expreſſum. Vnde non ſatis habuit faciei lineamenta ad amuſſim prototypi exæquare: capillaturæ etiam ſpeciatim deſignauit tincturam: ſatiúſque duxit verticis ſacri tonſuram, quàm tiaram, quâ venerabilis apex obtectus fuiſſet, Pontificali panopliâ enitens, ſpectabilem obiicere. Vnde Ioannes Diaconus ex eiuſmodi icone genuinam ſancti Gregorij imaginem referens, ſignatím ait. *Barba paterno more ſubfulua, & modica: ita caluaſter vt in media fronte gemellos cicinnos raruſculos habeat, & dextrorſum deflexos. Corona rotunda & ſpatioſa: capilo ſubnigro & decenter intorto, ſub auriculæ medium pendente*, &c. Igitur ſi mitrâ, vel coronâ Pontificali inſignitum pictor (è cuius opificio peruetuſto, deſumpſit Ioannes Diaconus hanc deſcriptionem) exhibuiſſet ſanctum Gregorium: coronam ſacerdotij, quæ in eius vertice expreſſa erat, neceſſe fuiſſet obtectam infulæ ſacræ ornamento, obtutibus aſpicientium ſubducere. Secunda ratio eſt, quia Ioannes Diaconus in veteri pictura quam deſcribit, aſſerit circa ſancti Gregorij verticem ab humeris ſuper capitis faſtigium tabulam quandam fuiſſe erectam, ad indicandum, quòd ipſo viuente hæc eius effigies fuerat depicta (curante nimirum Petro Diacono, quo cum ſanctus Gregorius ſuis in Dialogis colloquitur.) *Circa verticem verò* (ſcribit Ioannes Diaconus) *tabulæ ſimilitudinem, quod viuentis inſigne eſt, præferens, non coronam*, quæ æquè defuncti ac viuentis imagini adornandæ conuenit. Ideóque ſi capiti fuiſſet hac in figura ſancti Pontificis impoſita, dubium ingeſſiſſet an viuente, vel mortuo, beato ipſomet Gregorio, fuiſſet hic eius iconiſmus depictus. Cur autem tabula ad occiput appoſita, ſit viuentis indicium, Rocca præcitatus paucis verbis explicat. *Viuentis*, inquit, *indicium eſt tabula illa, quam beatus Gregorius ad occiput, id eſt ad poſteriorem partem capitis habere cernitur.* Antiquitus enim cùm quis viuens

pingebatur, tabula quadrata eius capiti ſubiiciebatur, vt in vetuſtis aliquot Eccleſiarum muſiuis, videre licet: Id quod fieri ſolebat, *hoc ſanè argumento, aut ſymbolo, quòd homo in hac mortali vita conſtitutus, per tabulam quadratam, quatuor virtutibus Cardinalibus vigere intelligebatur: vel quòd ſtatus vitæ præſentis imperfectus eſſe demonſtretur, angulos ſcilicet multos, hoc eſt multa impedimenta & obſtacula, ſecum deferens.* Vnde Gordiano & Syluiæ S. Gregorij parentibus, qui iam demortui erant, tabula eiuſmodi non cernitur ſubiecta. Accedit quòd ſi argumentum illud quicquam valet: depingítur ſanctus Gregorius ſine corona, vel Mitra. Igitur, illam dum viueret non geſſit: hócque Pontificatus inſigne adhuc ignotum erat. Et iſtud etiam ratum enthymema erit. Carolus Magnus in ſuo ſigillo, quod in Monaſterio S. Germani Pratenſis aſſeruatur, appenſúmque ſuo diplomati oſtenditur dato anno 5. eius regni 20. Octobris, ad viuam & naturalem effigiem expreſſus eſt, ſine diademate vel corona. Ergo ipſe Carolus numquam coronam geſſit, nec diademate vſquam conſpectus eſt inſignis. Quàm enim abſurda ſit hæc illatio, miniméque ex antecedente vnde elicitur conſectanea, nemo eſt regularum dialectices tantiſper peritus, qui facilè non perſpiciat.

Porrò S. Remigij figura nihil magis eorum ſententiæ fauet, qui Mitræ Epiſcopalis antiquitatem inficiantur. Quid enim? ſine Mitra pingitur. Eſto. Certè in eodem codice S. Gregorius Papa non modò nudo capite, ſed abſque ſandaliis & calceis, at prorſus nudipes repræſentatur. Quis idcirco ſic ſacris dixerit operatum? maximè cùm in vetuſta effigie, quam ex Ioanne Diacono & antiquis muſiuis refert Rocca præcitatus, ſandaliis calceatus appareat. Ambarum S. Gregorij & S. Remigij ex eodem Codice Remenſi imaginum expreſſor, in præfatione ſua diſertim ait, S. Remigij imaginem eodem habitu quo S. Gregorij iconiſmum, depictam eſſe. Proinde & abſque vllo calceatu. Quis tamen ideò ſic inceſſiſſe ſanctum Remigium putet, vt illa fert eius effigies? Et à ſimili ipſummet nudo vertice, cùm in Eccleſia,

tum extra ſacra verſatum, ſibi perſuaſum iri lubens patiatur? Verùm hac ratiocinatione prætermiſsâ, facile eſt coniicere cur hoc in Liturgico Codice abſque vllo capitis operimento S. Remigius ſit expreſſus. Voluit certè huius picturæ auctor accuratiùs vultum ſancti huius Pontificis expromere, vnáque reuocare in ſpectatoris memoriam conſecrationis eius diuinam operationem. *Cùm reniti* (inquit in eius geſtis Hincmarus) *conaretur videntibus, cunctis qui aderant, deſcendit ſubitò radius noui luminis ſuper ipſius ſancti viri verticem, ac ſi ſol ipſe de cœlo motus ſuper eum ceciderit. Et quia illuminandarum lux parabatur animarum*, &c. *Ipſe etenim erat lucerna quæ ſuper candelabrum*, &c. *erat ponenda, quatenus iis qui in domo ſanctæ Eccleſiæ futuri erant, lumen optimæ inſtitutionis ipſe præberet.* Quod etiam diuina vnctio, cœlitùs ſuper caput eius ſtatim effuſa præſignauit. Hæc cauſa igitur fuit cur auctor illius imaginis ſanctum hunc Antiſtitem, abſque vllo capitis amictu depinxerit; ſed loco Mitræ vel coronæ aureæ, non ſimplici quo ſanctorum beatorum ceruices exornari ſolent, luminoſo circulo, ſed radiis circumfulgentibus ad inſtar ſolis, eius delibutum liquore ſuperno caput colluſtrârit. Longè ſcilicet, quauis ſpecioſa Mitra, hoc diadema excellentius arbitratus, quo mortalis adhuc coronari, ſanctus hic Pontifex promeruerat. Quem tamen abſque infulis Epiſcopalibus ordinatum non fuiſſe, peruium eſt elicere ex his ipſius Hincmari verbis: *Poſthabitâ ergo omni dubitatione, atque ancipiti ſententiâ, vnanimitate Epiſcoporum Remenſis prouinciæ, infulis induitur ſacerdotalibus, benedictione conſecratur Epiſcopali, atque in ſede Præſulatus collocatur huius ciuitatis Remorum*, &c. Ita ad verbum Hincmarus.

Ad ſancti Epiphanij iconiſmum ſufficit reſpondere, eius hanc imaginem eſſe patris, qui Apoſtolos laminam auream ſuper frontem geſſiſſe, ad Chriſtiani Pontificatus decus & indicium, luculenter docet, atque antiquiorum teſtium ſuffragiis authenticis confirmat. Inſuperque aſſerit Chriſtum ſummum Regem & Sacerdotem, ſuam in Eccleſiam dignitatis vtriuſque inſignia tranſ-

tuliſſe; quibus ſpirituale regnum & regale ſacerdotium in ea ſignificarentur. Parum igitur refert num ipſe ſanctus Epiphanius Salaminæ in Cypro Antiſtes, cum ſacerdotali bractea, & corona, vel abſque ornatu eiuſmodi fuerit à pictore, ſi quis velit, coætaneo, in tabula effictus. Nam ſicut non licet colligere ex eo quòd Apoſtoli nudo vertice paſſim depinguntur, ideò eos vel publicè procedendo, omni capitis amictu exutos prodiiſſe; vel in Eccleſia conſidendo, omni ornatu, ipſóque petalo caruiſſe Pontificali, quo ſuper frontem dependente eoſdem emicuiſſe ſanctus Epiphanius, poſt hiſtoricos vetuſtiores aſſeuerat: Sic nec eo quòd ſanctus ipſe Epiphanius, quadam in priſca imagine diſcooperto capite depictus eſt, rectè hinc elicitur, nullum pertuliſſe in capite ſacræ dignitatis ſignaculum: at longè fit veriſimilius Apoſtolicum imitatum fuiſſe morem gerendæ bracteæ Pontificalis, quem ritum tam illuſtri præconio commendat. Tenaciſſimus enim fuit traditionis Apoſtolicæ obſeruator, ſacríque Epiſcopalis faſtigij cultor ac aſſertor ſtrenuiſſimus.

De figura S. Baſilij, non eſt porrò quòd maioris momenti locô obiectionē habeamus. Cùm omnibus conſtet ipſum S. Baſilium moribus, ſtudiis & amicitiâ fuiſſe cum ſancto Gregorio Nazianzeno totâ vitâ coniunctiſſimum: quem ſacrâ infulâ redimitum in ſua ordinatione, infrà ex eius patenti teſtimonio perſpectum faciemus. Atqui ordinatus eſt Saſimorum Epiſcopus Gregorius iſte, à Patre Gregorio, ſene Nazianzeno Epiſcopo, ipſóque ſancto Baſilio, Gregorio Niſſeno Baſilij germano, ipſis cooperante *. Quis autem prudens, vllo modo inducturus eſt in mentem, alio more Baſilium Pontificio initiâſſe Gregorium Nazianzenum, quàm quo ipſe promotus fuerat. Impoſuiſſe ſcilicet ei cidarim, quâ ipſe non fuiſſet in ſua conſecratione inſignitus? nouíſque ritibus & cæremoniis tunc vſum cum collegis; qui ab omni ſtudio, ipſóque nomine nouitatis, in quacunque re ſacra tantoperè abhorrebat? quemadmodum paſſim in eius ſcriptis licet cuique oculato intueri?

* Orat. ad patr. orat. ad Greg. Niſſ. & Apol. 3. Gregor. Nazianz. id inſinuat.

Ceterùm de imagine S. Dionyſij ſuperiùs expoſita, non

non eſt quòd plurimùm contendamus. In ea conſpicitur reuera aperto capite ſine Pontificio ornatu. ſed ſexcentæ, imò infinitæ propemodum eiuſdem, etiam perantiquæ, effigies oſtendi poſſunt, & paſſim ſacra loca luſtranti ſeſe obiiciunt, quibus infulatus depingitur. A picturis igitur eiuſmodi, ſi argumenta licet elicere, maior numerus profectò & frequentior vſus, minus recepto præponderabit: (qua ex ratione patet etiam ad obiectionem, ductam ex antiqua imagine ſancti Remigij reſponſio.) Adde quòd in ſpeciali illo S. Dionyſij iconiſmo ſatis appareat, peculiarem interceſſiſſe cauſam cur apertâ fronte & vertice conſpicuo fuerit repræſentatus. Nimirum quòd in limine eius operum, hæc eius imago præfigeretur. In qua ſic accuratè depictus apparet, vt ſimul Apoſtolici vultus, quâ præſtat, ſpectata fieret auctoritas; canitiéque venerabili, quæ in eius apice nitet, ætas etiam longæua quâ vixit, animíque emicans in oculis fortitudo, quâ pugil Chriſti inuictiſſimus, etſi admodum ſenex, ſtrenuè pro fide decertauit, propalam indicaretur. Adde quòd in hac figura, non vt ſedens in throno, ſed altari aſſiſtens, & populo benedicens, ſe ſiſtit aſpectibus intuentium venerandus Pontifex. At verò Alcuinus ſuprà auditus obſeruat, probati à veteri Eccleſia moris non fuiſſe, vt ſacri myſtæ diuinis altaribus intereſſent, tremendíſque myſteriis fungerentur, vllo capitis tegumento obuelati: aperto enim capite Deo myſticas fundunt preces *, etiamſi ex præmiſſis & infrà dicendis manifeſtum euadat, in throno ſedentes, & docentes populum ad dignitatis Pontificiæ conciliandum honorem, conſueuiſſe infulis ſacris decoratos, Clero aſſiſtenti, præfulgere.

IV. Nec obſtat Tertulliani dictum, inquirentis quiſnam Epiſcoporum ſuo adhuc æuo viſus fuerit coronatus. mox enim ex aptiore loco (quo videlicet inſtantiùs, vſus antiqui Mitræ, vel coronæ ſacerdotalis, oppugnatores, hanc auctoritatem vrgent atque incutiunt) perſpectum efficaciam, nihil Tertulliani verba noſtræ ſententiæ refragari.

V. Friuolum at verò prorſus eſt argumentum, quod

* Hinc in Pōtificali Romano recognito auctoritate Clementis VIII. rubrica illa paſſim occurrit: *Tum Mitrâ depoſitâ ſtans Pontifex, & conuerſus ad altare dicit Oremus*, nec vſquam orat niſi detecto capite; vnde rurſus ibidem crebrò ſignatur, *ſtans ſine Mitra dicit Domine ſancte*, &c.

ducitur ex his S. Martini verbis, ad dæmonem se Christum esse simulantem. *Dominus Iesus Christus non purpuratum, aut diademate renitentem se venturum esse prædixit.* Series enim ipsa historiæ, quàm abs re hæc dicta afferantur in causam quæ vertitur, manifestè demonstrat. *Frequenter* (inquit Seuerus cap. 24. vitæ S. Martini) *diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conaretur illudere, visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. Nam interdum in Iouis personam, plerunque Mercurij, persæpe etiam Veneris & Mineruæ transfiguratum se vultibus offerebat.* Sed cùm his simulachris nihil subdolus hostis proficeret, artificio subtiliori sibi vtendum aliquando censuit. *Quodam enim die* (scribit idem Seuerus cap. 25.) *præmissâ præ se, & circumtectus ipsâ luce purpureâ, quò faciliùs claritate assumpti fulgoris illuderet, veste etiam regiâ indutus, diademate ex gemmis & auro redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, lætâ facie, vt nihil minus quàm diabolus putaretur, oranti in cellula adstitit. Cúmque Martinus primo adspectu eius fuisset hebetatus, diu multum silentium ambo tenuerunt. Tum prior, diabolus. Agnosce, inquit, Martine, quem cernis, Christus ego sum, descensurus ad terras, priùs me tibi manifestare volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, neque quicquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam. Martine quid dubitas credere, cùm videas. Christus ego sum. Tum ille reuelante sibi Spiritu vt intelligeret diabolum esse, non Dominum. Non se, inquit, Dominus Iesus purpuratum & diademate renitentem venturum esse prædixit. Ego Christum nisi in eo habitu formáque quâ passus est, nisi crucis stigmata præferentem, venisse non credam. Ad hanc vocem statim vt fumus euanuit.* Qua ex narrationis rei gestæ coronide, non obscurè insinuatur, S. Martino consueuisse Christum in forma quâ passus est, apparere. Ideóque miratum fuisse Martinum, in eo qui se Christum asserebat, regium prorsus apparatum, in quo nimirum nunquam Christum huc vsque viderat, ad se solitâ dignatione venientem. Dolum igitur diaboli subodoratus, cuius circa se artes prænouerat, in suspicionem primùm venit fallaciæ Satanæ

hoc ſub veſtitu apparentis. Deinde à Spiritu ſancto certior factus doli ac impoſturæ: diabolo ſe Chriſtum mentienti intulit, ſe non noſſe Chriſtum in habitu regio; qualem teter ille ſpiritus & vafer impoſtor præ ſe ferebat: ſed Ieſum à ſtigmatibus cognoſcere paſſionis, & eò ſtatu quo omnium operatus eſt ſalutem. Quo ex dicto ſi licet arguere tunc ſplendidum ornatum inſolitum fuiſſe Epiſcopis, cùm ſacro munere perfungebantur, eo quòd diabolicum typum redoleat, quem fugere Epiſcopi debeant, Chriſtúmque ipſo in habitu Paſſionis imitari. Hinc planè conſectaneum fuerit, primò eos ſtigmata quoque crucifixi, in manibus & pedibus lateréque transfixis, perferre teneri, ſpineúmque ſertum in apice, non Mitram. Secundò, meræ nugæ ſunt quod in odium Papæ & Epiſcoporum incutiunt nouatores: ſcilicet purpuram & coronam inſignia eſſe diaboli; quaſi verò Chriſtus ipſe non viſus ſit à Ioanne ſibi dilectiſſimo, in ſtatu gloriæ, ſplendido fulgere veſtimento, gereréque ſuo in capite diademata multa. Quin & fulgidas veſtes, & coronas aureas ſuis pugilibus polliceri, ac etiam impertiri. At quàm hæc paradoxa parum cum præmiſſo ſancti Martini pronunciato conueniant, quin potiùs quanta cum abſurditate ex eo eliciantur, ſuperfluum foret procul dubio exprimere. Et verò etiamnum ornatus Pontificalis à regio tantùm differt, vt cæcus ſit, qui Epiſcopum à Rege non facilè diſcernat. Quid quæſo affine habet planeta ſacerdotalis aut pluuiale Epiſcopale, aut ſarma Pontificium, cuiuſcunque coloris ſit, cum Imperiali paludamento, vel regiâ chlamyde? Mitra eſt reuera coronæ quædam ſpecies, at ſacro miniſterio inſigniendo diuino etiam nutu aſſignata. Etſi verò tiara ſummi Pontificis triplici corona decoretur, à diademate multum diſſimilitudinis habet. Nec enim vllus Regum omninò eſt, qui hac vtatur. Sicut Pontifex hactenus nullus fuit qui regiam coronam, qualem ſæculi Principes geſtant, ſeiunctam à Mitrâ vel tiarâ portârit. Imò rarò & parcè tiaram ipſe Papa gerit*. Mitrâ at vtitur frequenter, vt ſe Epiſcopum palam profiteatur. qui cùm ſummus ſit ipſius Epiſcopatus apex, fratres tamen & co-

Apoc. 19. 12. & 2. 10. & 3. 5.

Exod. 29. 9.

* *Innoc. III. ſer. 1. in feſt. S. Silueſtri.*

epiſcopos omnes Antiſtites agnoſcit,atque verbis & ſcriptis nuncupat. Procul ſcilicet à Regum more, qui intra ſui imperij fines, nullos collegas admittunt, impatientérque ferunt à quoquam, nedum ſuæ dignitatis, at nec regij nominis vllum conſortium vendicari.

Ceterùm ne tamen à Martino paupere, modico, & humili, &, vt priuato conſpiciebatur habitu, contemptibili demiſsè geſtum Sacerdotium arbitreris, vt tuendi ſacerdotalis honoris ſtudium interim prætermiſerit. Omnium in ſe admirationem certè excitauit, cùm Maximi Imperatoris apud Treuiros menſæ aſſidens Preſbyterum ipſi Auguſto non dubitauit anteferre. *Ad medium ferè conuiuium,* ſcribit Seuerus, *vt moris eſt, pateram Regi miniſter obtulit: ille ſancto Epiſcopo dari potiùs iubet, expectans atque ambiens vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus vbi ebibit pateram, presbytero ſuo tradidit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem qui poſt ſe biberet; nec integrum ſibi fore, ſi aut Regem ipſum, aut eos qui à Rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator & omnes qui nunc aderant ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis in quo contempti erant, placeret. Celeberrimúmque per totum palatium fuit, feciſſe Martinum in Regis prandio, quod in infimorum iudicum conuiuiis, nemo feciſſet.* Porrò dum ſacris fungeretur, ſuper priuatas veſtes, ſolennem apparatum induiſſe Pontificalem geſtorum eius alter enarrator Fortunatus ſatis indicat, vbi canit, data ab eo, nudo pauperi, interiori tunica, ſacram veſtem exutum corpus ſic operuiſſe, vt vix ab Archidiacono illi miniſtrante aduerti potuerit, ſublatæ interioris veſtis defectus.

Qui tunica interius non aſpiciebat amictum
Amphibali exterius dum membra tecta laterent, &c.

Amphibalus autem quòd ſit Pontificale ornamentum, facilè patet ex his S. Remigij verbis in teſtamento ſuo. *Futuro* (ait) *Epiſcopo ſucceſſori meo, Amphibalum album Paſchalem relinquo.* ſed & ceteros Epiſcopales ornatus ſancto Martino fuiſſe in vſu ipſámque ſacram infulam; idémque Fortunatus in ſuo de geſtis eius opere, non rarò, nec obſcurè inſinuat: paſſim enim ad ornatum Pon-

tificalem, tunc vſitatum, reſpiciens, de eo ſic concinit*: * *Lib. 5.*

Vir cui digna foret ſtola lactea & aurea fulua.

Et lib. 4.

Tegmine vir niueus, miro diademate fuluus.

Quæ tametſi de eo in cœleſti regno triumphante dicta, per analogiam tamen ad conſuetum Epiſcopalem ornatum, enuntiari à Fortunato, ſatis perſpectum eſt: apud quem modus hic loquendi paſſim occurrit. Locus at inter ceteros inſignis extat lib. 1. de vita eiuſdem ſanctiſſimi Antiſtitis, vbi ex infula ſancti Hilarij, de vſitata (iam ante Epiſcopatum Martini) Pontificali infulâ, eius præconium texens, ipſummet corpori myſtico Chriſti, ſanctæ nimirum Eccleſiæ inſtar pretioſæ Mitræ impoſitum, decus eximium conferre, pulchrè ac ingenioſè prædicat*, * *Lib. 1.*

Hilarius famæ radios iaculabat in orbem,
Rite ſacerdotis penetralia iura gubernans.

Et infrà,

Ornatum Eccleſiæ pollens, diadema coruſcum,
In membris Chriſti capitis, velut infula fulgens.

Vbi perſpicuum eſt Fortunatum, ex vſitato notóque paſſim ſacro Pontificum ornatu, decus in eo ſignificatum, gerenti eiuſmodi ſacra inſignia beato Hilario, congruè adaptare. Fuit autem, vt nemo ignorat, ſancti Hilarij beatus Martinus alumnus, ex cuius diſciplina ad ſolium Pontificale Eccleſiæ Turonenſis, inuitus licèt ac renitens prouectus eſt: quo de eius raptu ac violenta exaltatione idem ait Fortunatus:

Eligitur, trahitur, ſacratur, & in arce locatur.

Nec dubium quin ſicut in throno ſedere compulſus eſt, ita cetera inſignia Epiſcopalis dignitatis, qualis imprimis eſt infula, coactum fuiſſe induere. Infulæ autem Pontificalis vſum iampridem in Eccleſia celebrem Herardus, qui poſt aliquot temporum curricula ſancto Martino in ſede Turonica ſucceſſit, apertè agnouit, cùm in Synodica ſuis cum Coëpiſcopis teſtatus eſt*, ſe infulâ Electrannum electum Redonenſem, dum conſecraretur adornaſſe, vnáque eidem tradidiſſe annulum & baculum iuxta *ſanctæ Eccleſiæ morem*. Ita enim cum col-

* Extat apud Sirmondum in append. tom. 2. Conc. Gall. inter formulas antiquas promotionũ Epiſcopalium num. XV.

legis ſcribit de re acta ad ceteros comprouinciales. *Hæc ergo aliáque ad inſtitutionem , & informationem fidelis viri fratris & filij noſtri Electranni , die præfixo , verbo pariter & ſtylo promulgantes , Pontificali enim infula * adornantes , ſacrâ quoque benedictione , more ſanctæ Eccleſiæ ditantes , annulo quoque dotantes , & baculo decorantes , ſanctæ Redonenſis Eccleſiæ Pontificali eum ordine præferimus , & paternè Cathedrali ſolio ſublimantes , confratrem , conſacerdotem , & comparticipem in regimine & gubernaculo Eccleſiæ ſanctæ nobis ex integro Dei nomine effecimus , manuum quoque adnotationibus confirmaui.*

* Infula eſt faſcia in modum diadematis , à qua depédent vittæ ab vtraque parte: Gallicè , *vn ornement duquel vſoient les anciens Pontifes.* Italicè, *Mitra de Veſcoui.* De hoc ornatu B. Abbo Floriacẽſis Abbas & martyr in Apologetico ad Hugonem, & Robertum Reges , vbi de Seguino Archiepiſcopo Sononenſi : *cuius nix* (inquit) *venerandũ caput oſtendit , exceptâ Primatus prærogatiuâ , & ſacerdotis infulâ.* Factus eſt autem Seguinus ipſe Archiepiſcopus anno 978.

VI. Ad factum Photij in Synodo octaua , breuis & expedita eſt reſponſio. Laïci , non Clerici , nedum Epiſcopi , multò minùs Patriarchæ locô illum habitum, à Legatis Apoſtolicæ Sedis & vniuerſo Concilio, vt manifeſtum Sedis Conſtantinopolitanæ inuaſorem , quam neophytus, è ſæculari militia, repente in ſacrum ordinem irrumpens, ſacrilego auſu diríſque modis occupauerat. Quamobrem cùm ſancta Synodus iuſſiſſet vt Photius ipſe introduceretur, illéque reſpondiſſet ad ſe miſſis Siſinnio Protoſpatario, Eutichiario primo mandatorum excubitorum, ceteríſque, ſe mirari , cur cùm ab initio ſuſceptus non fuiſſet in Synodo , nunc demum aduocaretur. Auditâ à Concilio hac reſponſione , proteſtati ſunt Vicarij Apoſtolicæ Sedis, Photium à Patribus non conuocari, nempe vt collegam, ſed vt reum citari, cauſam dicturum , & iudicium ſubiturum. Venit igitur in Synodum inuitus ſeſſ. 5. & ſtans in nouiſſimo loco, coram ſacro Concilio comparuit , nec omnino ſedere permiſſus eſt. Deinde act. 7. cùm iterùm vocatus, ingreſſus eſſet, comite Gregorio Syracuſano, aduertiſſétque Marinus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus & Legatus, ipſum baculo inniti, mox dixit. *Tollite baculum de manu eius , ſignum eſt enim dignitatis paſtoralis , quod hic habere nullatenus debet, quia lupus eſt, & non paſtor.* Túmque baculus ei ablatus eſt, non mitra, non pallium, aut cetera Pontificalis dignitatis inſignia : nec enim, ſi cum iis ingredi attentâſſet, adeſſe fuiſſet permiſſus, qui ſcilicet, eadem ſeſſione pro ſæculari tantùm homine

agnoſcitur & proclamatur. Vnde ſatis manifeſtum eſt, ipſum etiam baculum quem gerebat non fuiſſe pedum illud Pontificale, quod Antiſtites ſacro incedentes cum dignitatis apparatu, gerere conſueuerunt, ſed baculum vulgarem, ſeu ſcipionem, quo ſenes vel infirmi imbecillitatem corporis paſſim ſuffulciunt. Qui cùm tamen in indicium honoris à Photio vſurpari viſus eſſet, iuſſus eſt eidem auferri. Nihil hinc igitur habent Mitræ, vel coronæ ſacerdotalis antiqui vſus inficiatores, quod ſuæ opinioni faueat, noſtræque ſententiæ aduerſetur. Quandoquidem nulla mentio fit in hoc Concilio, Patrum qui in eo conſidebant, ornatus. Photiúſque expers omnis honoris, ſed omnibus inſignibus ſacri ordinis exutus*, vt merè laïcus, Concilio, non iudicaturus, at iudicandus & anathematizandus, adeſſe compulſus eſt, tam Synodali mandato, quàm Baſilij Imperatoris iuſſu ac etiam poteſtate. Vnde ſe per vim eò adductum, non autem ad comparendum veniſſe non ſemel proteſtatus eſt: quamuis ab Imperialibus miniſtris, qui eum adduxerunt ad Synodicum tribunal, vt reſipiſceret & pœnitentiæ libellum, Patribus ſalutem eius peroptantibus offerret, benignè commoneretur.

* Sic Ignatius ſanctiſſ. C P. Patriarcha, à Photio ipſo exagitatus, cũ ad iudicium Synodicum euocatus, Pontificali ornatu procederet, iuſſus eſt Patriarchalia inſignia deponere, vt refert Nicetas cognomento Dauid, in eius vita, ſeu certamine, à Radero, è Græco exemplari Latinè expreſſũ: cap. 17.

VII. Supereſt diſcutienda obiectio ex dicto Bertholdi exprompta, referentis in famoſo Concilio quod Claromonte Aruernorum Vrbanus II. celebrauit, ducentas fuiſſe numeratas virgas paſtorales. vnde inferunt quidam. *Igitur Mitræ nondum in vſu erant, ibi ſiquidem non cenſitæ, quia nec conſpectæ.* Quæ mira ſanè eſt arguendi ſolertia, ex qua etiam ſi iis adlubeſceret inferre poſſent, cetera Epiſcopalis dignitatis inſignia adhuc fuiſſe incognita, vt quæ hîc à Bertholdo nullatenus memorentur. At quàm hoc futile ſit argutandi genus, miniméque ex Bertholdi inſinuatione conſectaneum, tam clarum eſt, vt pigeat tam manifeſtæ nugacitati refellendæ diutiùs immorari. Sanè ſedente Vrbano II. fuiſſe Epiſcopalis Mitræ in Eccleſia vſitatiſſimum ornamentum, infrà eius ex Pontificiis codicillis perſpectum faciemus, quibus Abbati Cluniacenſi Mitram Epiſcopalem gerendi facultatem indulſit. Quod igitur Bertholdus

numerum Patrum qui Synodo interfuerunt, ex virgarum paſtoralium, non Mitrarum numero fuiſſe obſeruatum commemorat: inde contigit quòd nonnulli ſacrorum Procerum aderant, quibus ius ſuffragij non iure præcipuo, ſed mero ex priuilegio competebat: Abbates nimirum plerique, ac alij Monaſteriorum inſigniorum præfecti, quibus etſi baculi fuiſſet à Pontificibus ſummis vſus conceſſus, Mitræ tamen Epiſcopalis perfruendi apice, minimè erat impertita facultas. Quamobrem Vrbanus ipſe II. dum Hugoni Cluniacenſi Cœnobiarchæ huius inſignis Epiſcopalis perferendi ius contulit, diſertè in priuilegio profeſſus eſt, peculiari ſe in eum beneuolentiâ ductum (quam excelſa virtutum merita conciliauerant,) vt tantum ei decus, quod proprium erat Epiſcoporum, ipſi communicaret.

Iam igitur ex dictis abundè liquet, illorum opinionem, qui Mitram *nuperum Epiſcoporum ornatum* eſſe volunt, nullo ſtabili fundamento niti: at fluxis duntaxat argutiis; quas diſcuſſione præmiſsâ, licet vndequaque euictas atque dilutas aduertere. Nihili porrò ipſis nouæ huius opinionis aſſertoribus ampliùs ſupereſſe præſidij, quo perſuaſionem ſuam tueantur. Vnde tametſi à nobis ſatis actum, cuique prudenti videri poſſit, cum aduerſaria deuicta parte: attamen quoniam veritati, etiam pugnando, vires accreſcunt, quæ nequit vinci, ſed ſemper ſuperat & præualet; ex ſuperabundanti quo nititur iure noſtra aſſertio, pro Mitræ Pontificalis antiquitate, redintegratâ pugnâ, iterùm cum aduerſæ partis aſtructoribus manus conſerere, lubens aggredior. Ceterùm vt validiori manu probatio noſtra procedat, non ſolùm aſſertionis huius noſtræ munimenta congruo ordine proferemus: at aduerſæ partis, contra argumenta noſtra, ſigillatim & accuratè exceptiones refellemus.

CAPVT III.

Probationes complectens prisci vsus Mitræ Episcopalis, seu Pontificalis infulæ, mixtímque refellens aduersantium exceptiones.

PRIMÒ laminam auream in fronte gestatam à sanctis Apostolis, Iacobo Alphæi, qui frater Domini dictus est, primúsque Ecclesiæ Hierosolymitanæ Pontifex fuit; sanctóque Ioanne Apostolo & Euangelista, qui Pontificatum gessit Ephesi, ex veterum Scriptorum omni exceptione maiorum testimoniis constat. siquidem sanctus Epiphanius de B. Iacobo disertè scribit hæresi 78. quæ est Antiduomarianitarum n. 14. Οὗτος ὁ Ἰάκωβος καὶ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐφόρεσε. *Iacobus iste bracteam in capite gessit.* Rursúmque hæresi 29. quæ est Nazaræorum, idem asseuerat, auctoritate fretus Eusebij Cæsariensis, & Clementis Alexandrini, quos nominatim indigitat. Et verò Eusebius, vt vulgatus est, itidémque Clemens, nihil prorsus de Petalo habent, seu bractea Iacobi, de qua illorum arcessit testimonium Epiphanius. Haud verisimile tamen citatos ab ipso Epiphanio malâ fide. Perierunt certè nonnulli Eusebij libri, quos ipsemet in iis quæ supersunt eius Commentariis, à se conscriptos meminit. Clementis verò maiorem operum partem excidisse, minimámque superesse facilè ex ipso Eusebio, lib. 5. Histor. Eccles. cap. 11. & lib. 6. cap. 13. & sancti Hieronymi catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis c. 38. colligi potest. Sed tametsi de lamina aurea sancti Iacobi Apostoli Hierosolymitani Pontificis nihil vnquam Eusebius vel Clemens Alexandrinus litteris prodidissent: sat esse posset ad fidem plenam hac de re conciliandam, ipsius sancti Epiphanij vel vnici testis auctoritas: quem tanti fecit S. Hieronymus, vt nunquam satis laudatum à se, quantumuis magnis exaltatum præconiis arbitraretur *. Sanctus quoque Augustinus inter magnos Græcæ Ecclesiæ Patres habendum,

* Vide S. Hieronymum in Catalog. & in Apolog. 2. contra Ruf. necnon epist. 61. cōtra Ioan. Hierosol. in epitaph. Paulæ, in vita Hilar. & alibi passim.

& inter præcipuos fidei Catholicæ vindices meritò annumeratum in lib. de hæreſ. ad QuodvultDeum, graui adſtipulatione teſtatur. Multum eſt igitur quod vnus Epiphanius aſſeueret, Iacobum Apoſtolum cognomine fratrem Domini, Hieroſolymæ Antiſtitem, laminam in fronte auream geſtaſſe. Quam vt non de ornatu Leuiticæ Pontificis accipiendam prudenter aduertit, ac monet doctiſſimus Petauius: ſic de inſigni Epiſcopali Chriſtianorum Antiſtitum intelligi non temerè poſſe meritò exiſtimat. * *De Chriſtianorum* (inquit) *Pontificum inſigni, credibile eſt.* Quod geſtatum à ſancto Ioanne Euangeliſta, ſcriptum reliquiſſe agnoſcit Polycratem, (aliàs à nobis eandem in rem citatum) *& de Ioanne teſtatum* (inquit) *reliquit Polycrates apud Euſebium l. 5. c. 23.* ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς.

** Dionyſ. Petauius in animaduerſionibus ad ſancti Epiphanij libb. de hær. hæreſi 78. n. 14.*

Occurrit tamen, poſtremus non merito, ſed ſerie temporis, libri Sacramentarij ſancti Gregorij Papæ Scholiaſtes, his auctoritatibus, paucíſque verbis ſeſe ab argumento expedit. *Nec nos morantur* (inquit) *laminæ illæ aureæ quas in fronte geſtaſſe ferunt ſanctos Ioannem & Iacobum: tum quia non ſunt nec cidaris, nec Mitra: tum quia vt in eis incepêre, ſic in eis deſiêre.* Sed vt cum bona tanti viri venia dicam, quid de hac duplici ſolutione cenſeo: ingenuè fateor neutram mihi ſatisfacere. Prior quòd etſi lamina aurea, Mitra non ſit aut cidaris, aliquid tamen Mitrâ ipsâ & cidari præſtantius importet: cùm Mitrâ aut cidari minores ſacerdotes in veteri lege vterentur, Exod. 29. 9. Leuit. 8. 13. laminâ verò aureâ ſolus Pontifex, quaſi diademate, pileolo aut Mitræ ſuperpoſito, ad ſacri principatus indicium. vnde Eccleſ. cap. 45. *Corona aurea ſuper Mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris,* &c. Ad coronæ modum igitur, quæ Mitræ antecellit, laminam auream geſtarunt in fronte, ſancti Apoſtoli Iacobus & Ioannes, de quo ſignatim Polycrates Corinthi Epiſcopus, qui ſub Seuero clarebat apud ſanctum Hieronymum in libro de Eccleſiaſticis Scriptoribus cap. 45. ideò ait: *Ioannes qui ſupra pectus Domini recubuit, & Pontifex fuit, au-*

ream laminam in fronte portans; ſcilicet ad Pontificatus Chriſtiani indicium & principatus ſacerdotij, quem corona illa deſignabat, proprium ornamentum. Altera autem ſolutio mihi durior, quàm aptior videtur. Quid enim hæc verba ſibi volunt? *vt res hæc, in his Apoſtolis incœpit, ſic in his deſiit:* niſi quod duo illi Apoſtoli, exempli ſingularis fuerint in hoc auctores, quod ceteri Apoſtoli minimè probauerint, primitiuáque Eccleſiâ non ſequendum ſenſerit. Aſperior ſanè hæc videri poteſt facti duorum tam inſignium Apoſtolorum cenſura, quæ eos cum ſuis coapoſtolis, quaſi facto & ſenſu aduerſos committit, arguitque inuectæ inter collegas nouitatis, quam ipſi collegæ reiecerunt, Apoſtolicáque Eccleſia ne in exemplum traheretur, auſpicato conſilio præciderit. Sed pro certo mihi eſt Scholiaſtem, etſi verba protulerit quæ citata ſunt, neutiquam Apoſtolorum Iacobi & Ioannis factum reprehendere voluiſſe. At monere ſimpliciter duntaxat, exemplum hoc non fuiſſe à ceteris Apoſtolis vſurpatum, vel à viris Apoſtolicis vllâ imitatione ſeruatum. Id verò quomodo probet Scholiaſtes ipſe viderit. abnutiuo ſiquidem tantùm nititur principio, quòd ſcilicet morem hunc non repererit in ceterorum Apoſtolorum conſignatum actorum monimentis, vel primitiuæ Eccleſiæ legerit hiſtoria. Sed vt demus nihil ab eo fuiſſe legendo prætermiſſum: ſanè polemicorum Theologorum quis ignorat morem eſſe, ex quo ab vno vel altero Apoſtolorum, quicquam verbo vel exemplo traditum eſt, hinc inferre ab Apoſtolis idipſum eſſe traditum, quorum vnus vt ſpiritus, ſic & theoria & praxis vna eadémque fuit. Verùm Scholiaſtes preſſiùs vrget, ac inſtat auctoritate Tertulliani, qui libro de corona militis, negat prorſus Apoſtolos, Euangeliſtas, & Epiſcopos, vſos vmquam coronâ. *Quis poſteà Apoſtolus, aut Euangeliſta, aut Epiſcopus* (inquit) *inuenitur coronatus?* At ſufficit Tertulliano reſpondere, Iacobus & Ioannes, qui laminam auream geſtaſſe Pontificalem ſuprà probati ſunt. Nec adeò mirum quòd Tertulliano id non compertum fuerit, qui Afer & Latinus ſcriptor, Orientalis Eccleſiæ hiſtoriæ peni-

tiores aditus non perlustrauerat. Adde quòd eius præmissa assertio, exempla sanctorum Iacobi & Ioannis minimè excludit, aut inficiatur morem primitiuæ Ecclesiæ Antistitum, gerendi post Apostolos (quorum in vicem successerant) petalon Christiani Pontificatûs insigne. Locus integrâ serie expressus, mentem eius longè ab ea intentione fuisse manifestè demonstrat. Sic enim doctissimus tractator effatur, qui vbi ritum Ethnicorum prænarrasset, ad fidelium mores ita descendit. *Quis denique Patriarches, quis Prophetes, quis Leuites, aut Sacerdos, aut ἄρχων (Iudex.) Quis vel posteà Apostolus, aut Euangelizator, aut Episcopus, inuenitur coronatus?* Nempe gentilium more, ex floribus, lauro, oliuâ, quercu, ilice, gramine, aliísque quibus superstitiosa gentilitas pseudonumina sua, eorúmque sacerdotes coronabat? Nam alioquin non ignorabat auctor eruditissimus, in veteri lege Aaron Pontificiam gestasse coronam, seu laminam ex auro purissimo, Exod. 39. 29. Iussúmque à Deo fuisse Zachariam Prophetam, vt aureas, argenteásque conflaret coronas, quas poneret super caput Iesu filij Iosedec sacerdotis magni, Zach. 6. Quid quod & sub lege gratiæ constat, Iacobum fratrem Domini, & sanctæ ciuitatis Antistitem: Ioannémque Apostolum & Euangelistam, sacerdotale diadema, bracteam seu laminam auream in fronte gestâsse? quem ornatum veri Dei cultui ab his aptatum, superstitiosa gentilitas ignorauit. Vnde meritò Tertullianus negat, vllum hactenus Christianum Pontificem, incessisse sertis coronísque iis redimitum, quibus apud Ethnicos (vt prænotauerat) Pandora, Saturnus, Iupiter, Priapus, Ariadna, Bacchus, Iuno, Apollo, Hercules, &c. coronabantur. Respuit autem à Christianorum vsu idem Tertullianus illas gentilium coronas, quas illi in publicis tripudiis ac iubilationibus perferebant. *Ex vsu rei secularis,* inquit, *quem populus Dei, nec publicæ vnquam lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ nomine admisit.* At hæc quid commune habent cum sacra Pontificali lamina, quam Christiani Antistites, vicem Regis Regum Christi, ad Patris dexteram in templo supernæ gloriæ triumphantis coronatique (vt

conſpexit dilectus eius diſcipulus) ipſo Pontificatu ſuo Apoc. 19. 12.
referentes, dum ſacris operabantur, ad conciliandam diuinis myſteriis reuerentiam perferre conſueuerant? Nihil igitur ſacro Apoſtolicóque huic ritui, dictis ſuis magnus Tertullianus præiudicat, dum in coronarum carnalis lætitiæ, & ſuperſtitioſæ ethnicorum impietatis, ex ingenito magnæ menti omnis idololatriæ odio, vſum inuehitur. Quamobrem vt abs re hic citatus eſt à præmemorato Scholiaſte, ſic citra iniuriam à nobis remiſſus à præſtando hac in lite vadimonio, quod ſponte ſuâ potiùs ipſe detrectat, vllatenus alleganti ſpopondiſſe.

Cui hoc ex placito abeunti ſuccenturiatur, magiſtri, qui eum loco & nomine habebat inclytus Martyr & Pontifex Cyprianus, lib. de lapſis ſic ſcribens: *Frons cum Dei ſigno pura, diaboli coronam ferre non potuit.* Coronam vbi diaboli eam intelligit, quâ (teſte Tertulliano citato de corona militis) ipſæ fores, ipſæ hoſtiæ, & aræ, ipſi ſacerdotes idolorum coronabantur: quâ itidem coronati, vota diis nuncupabant. Hanc coronam Chriſtianus qui pro corona Chriſti ſigno, crucis nimirum impreſſione in fronte inſignitus eſt, ferre non poteſt, quia duobus dominis nequit ſeruire: ſcilicet Chriſto cui nomen ac fidem in baptiſmo dedit, & diabolo cui eiúſque pompis & operibus, dum ſalutis myſteriis initiaretur, ſponte abrenunciauit.

Nec tantùm crucis ſigno conſecrabantur puriſſimo Chriſti cultui credentes: at mos etiam præſertim in Oriente & Græcia tulit, vt coronis poſt ſuſceptum baptiſma exornarentur, Epiſcopi vel Sacerdotis manu. Cuius ritus teſtatores ſunt S. Cyrillus Hieroſolymitanus in ſuâ protocatecheſi, beatus Gregorius Nazianzenus orat. 23. in laud. Hieron. Philoſophi, & orat. 40. in ſanctum baptiſmum; & S. Ioannes Chryſoſtomus homiliâ ad baptizatos, de multiplici baptiſmatis vi ac dignitate diſſerens. Moris huius ſacram in baptiſmo praxim, notanter recenſet rituum ſacrorum enarrator Seuerus Alexandrinus de baptiſmo, vbi ait. *Et eleuant baptizatos ad altare, eiſque dant myſteria, Euchariſtiam, & ſertis coro-*

nat eos ſacerdos. Iámque dudum obtinuit ac etiamnum perdurat apud Æthiopes ille vſus. ſic enim in ordine baptiſmi ſecundùm eoſdem legere eſt. *Tum induunt qui baptizati ſunt veſtem albam, & coronam ſuper capita ſua ex myrtho & palma.* Itáque dum eas imponit iiſdem ſacer Myſta adprecatur. *Domine Pater bone & ſancte, qui coronaſti ſanctos tuos coronâ quæ non corrumpitur, benedic eis, qui dignos nos feciſti, qui eas imponeremus capitibus famulorum tuorum; vt ſint eis coronæ honoris & gloriæ. Amen. Coronæ benedictionis & ſalutis.* Ex Cyrillo Hieroſolymitano ſuperiùs indicato conſtat, in Palæſtina moris fuiſſe has ex floribus coronas conſerere.

Verùm præter hæc, quæ Chriſtianis æquè regeneratis omnibus conferebantur: corona inſuper erat clericalis. Balſamoni ſextæ Synodi in Trullo cap. 21. παπάλητρα dicitur corona Clericatus. Iſidorus ſanè lib. 2. *de officiis diuinis* cap. 4. ab Apoſtolis aſſerit inſtitutam eſſe tonſuram & coronam Clericorum. Beda verò in Anglorum hiſtoria lib. 5. cap. 22. diſertè refert ſanctum Petrum primum omnium geſtaſſe coronam capillorum, toto reliquo capite detonſo; & ad eius imitationem Clericos, aſcetáſque eundem ſuſcepiſſe morem. Hinc 12. q. 1. c. Duo ſunt, de Clericis dicitur. *hanc coronam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ, in ſignum regni quod in Chriſto expectatur.* Sed inſuper apud veteres celebris eſt corona Epiſcopalis. Sanè etenim, tametſi ipſe Epiſcopatus, ob ſacerdotij apicem corona diceretur, vnde beatus Hieronymus epiſt. ad ſanctum Auguſtinum, quæ inter Auguſtini epiſtolas ſerie viceſima ſexta ponitur. *Precor* (inquit) *coronam tuam.* Ipſéque S. Auguſtinus ad Proculeianum Donat. Epiſc. epiſt. 147. *per coronam noſtram nos adiurant veſtri, per coronam veſtram vos adiurant noſtri.* Ennodus Ticinenſis Aureliano Epiſcopo, *ſed dormiunt* (inquit) *apud coronam tuam propinquitatis priuilegia, priuſquam pater eſſe meruiſti.* Sidonius itidem Leontio, lib. 3. epiſt. 6. *Auctoritas coronæ tuæ, diſſimulantibus ſtudeat excudere reſponſi celeritatem.* Idémque Euphronio eodem lib. epiſt. 8. *De minimis videlicet rebus coronam tuam maximiſque conſulerem.* Meminit & coronæ

Episcopalis, Valentini August. Nouella de Episc. ordin. Sed Romano Pontifici maximè coronæ titulus ac honor deferebatur. Sic Episcopi Galliarum in epistola ad Leonem Papam, quâ dilaudant dogmaticam, quam pro fide ad Orientem direxerat epistolam, eius coronam in subscriptione salutant atque venerantur. Ita enim in fine præclaræ illius epistolæ Synodicæ passim legitur. *Ego Fraternus Episcopus coronam vestram venerans saluto. Ego Gerontius Episcopus coronam vestram venerans saluto. Ego Diuamius Episcopus coronam vestram saluto. Ego Armentarius Episcopus coronam vestram venerans saluto. Ego Honoratus Episcopus coronam vestram venerans saluto*, &c. Sic & Taraconensis Prouinciæ Episcopi, ad Hilarium Leonis successorem. *Ergo Prouinciales literario sermone, debita coronæ vestræ obsequia deferentes.* Ennodius Symmacho Papæ. *Dum sedem Apostolicam coronæ vestræ cura moderatur.* Idémque eidem: *vt erigat miseros implorata coronæ vestræ miseratio.* Quamuis verò (vt prætetigimus) corona in Episcopis pro Episcopatu, & in summis Pontificibus pro supremo Apostolatu vsurpetur in præcitatis loquendi formulis: tamen coronas etiam fuisse à personis distinctas, & his impositas ad sacræ dignitatis indicium & regni spiritualis (propter quod Apostolorum Princeps, regale sacerdotium appellat *) designandum * 1. Pet. 2. 9. mysterium, ac peculiare obiectum venerationis, penitiùs inuestiganti antiquitatis monimenta satis exploratum euadit. Certè Vincentius Lerinensis in commonitorio de Episcoporum coronis loquens, *deiectas* (inquit) *sacerdotum coronas reponeret.* Ad eumdem vsum atque intellectum etiam referri potest quod literis prodidit Ammianus Marcellinus lib. 29. Firmum genere Maurum, qui tyrannidem in Africa aduersus Romanos arripuerat, operâ Gildonis eius fratris, victum à Theodosio seniore, vt sibi eius gratiam conciliaret, *signa militaria & coronam sacerdotalem, cum ceteris manubiis quæ regionem illam depopulando rapuerat restituisse.* Obiicit sibi antedictus Sacramentarij sancti Gregorij scientissimus Scholiastes, hoc historiæ monumentum: sed ducti indè argumenti de coronarum Sacerdotalium apud Christianos

antiquitate, efficaciam eludit, facili exceptione, aut potiùs (vt abſque iniuriæ piaculo dicam) futili euaſione. *Dico*, inquit, *locum eſſe de corona Sacerdotis alicuius Ethnici intelligendum, nondum auulſa tum omnino gentilitate.* At quæſo, tam ingenioſus exceptor vnde ſcire poſſit, quod pro indubitato aſſerit, coronam illam Sacerdotalem fuiſſe Sacerdotis cuiuſdã Ethnici? Quia tum Ethniciſmus (ait) planè in Africa exciſus aut auulſus non erat. At nunquid non ibi longè latéque iampridem florebat Chriſtianiſmus? Maximè. Cur non igitur æquè, imò potiùs eſſe hæc corona potuerit Chriſtiani Sacerdotis quàm Ethnici? Quoniam Chriſtiani Sacerdotes (dicet) tunc coronis non vtebantur. At quid hoc reſpondere aliud eſt, quàm petere vt aiunt principium, & id aſſumere pro cõceſſo quod omnino negatur, immò quod ex ipſa Ammiani auctoritate (de qua quæſtio eſt) procul à vero eſſe conuincitur. Nam paulò antè dixerat Ammianus, *feſſum ærumnis gemini prælij Firmum, imóque corde æſtuantem, ne quid vltimæ rationis omitteret Chriſtiani ritus, Antiſtites oraturos pacem cum obſidibus miſiſſe. Qui quoniam ſuſcepti leniùs, pollicitíque victui congrua vt præceptum eſt, læta retulêre reſponſa.* Certè his verbis manifeſtum fit Maurum, cùm perſpectam haberet Chriſtianiſſimi Theodoſij pietatem, non Ethnicæ ſuperſtitionis ſacrificulos, at Chriſtianos Pontifices, conciliandæ eius ſibi gratiæ cauſa, gratiſſimo ei interuentu, deſtinâſſe: quorum etiam conſpectu & oratione placatus, religioſiſſimus Imperator veniam quam tyrannus per tam acceptos internuntios depoſcebat, clementer indulſit. Quia verò, vt ait Poëta,

Munera crede mihi, placant hominéſque Deóſque.

Ideo barbarus ille, Imperatoris efferatum in ſe animum, muneribus leniendum ſolerti cautela cenſuit. Miſit igitur quæ Imperatori non diſplicitum iri, at quæ gratiſſima ac acceptiſſima fore exiſtimauerat. At eiuſmodi eſſe nunquid poterat corona Ethnici Sacerdotis, quam à Theodoſio ab omni idololatrię cultu & memoria penitùs abhorrente, quam ſtirpitus euellendam & abolendam nuper ſanxerat (cuius & delubra etiam funditus diruerat,

vt

vt refert sanctus August. 18. de Ciuitate cap. vlt.) Christianíque cultus amantissimo, cuius fidei feruore (sicut sanctus Ambrosius testis est) *vbique triumphabat*, potiùs proculcandam, quàm acceptandam placitis oculis, quis tam hebes & imprudens esse potest, vt non peruideat? Adde quòd coronam quam Maurus ille tyrannus cùm Africam deprædaretur rapuerat, restitutam ab eo fuisse & missam Imperatori eius iussu. *Militaria signa* (inquit Ammianus, quæ cum dedecore Imperij ceperat & tenebat) *& coronam sacerdotalem cum ceteris quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, vt præceptum est*. At verò éstne verisimile coronæ idololatræ Sacerdotis recuperandæ, ita fuisse Theodosium Imperatorem sollicitum, vt antequam spem Mauro veniæ faceret, ad se remittendam omnibus modis præciperet? tantíque fecisset impietatis Ethnicæ, quam vbique abolitam volebat ac contendebat penitus excidere, sacrilegum monimentum, vt hoc ferè singulari munere placatus barbarum venia omni indignum benignè habuerit, suáque gratiâ recepto hoc quod tam ardenti desiderio repetebat spoliô, subinde fuerit dignatus? Apage eiusmodi delirium. Res igitur sole clarior est, coronam illam sacerdotalem fuisse Pontificum Christiani ritus insigne, eáque de causa tanto pretio habitam à Theodosio piissimo Principe, vt eius restitutionis intuitu, animum contra hostem Imperij meritò exasperatum, temperaret, atque in sceleris expiationem oblatum ab eo tam exquisitum munus, imò ex præcepto exactum atque vindicatum, sereno vultu reciperet.

Nec porrò cuipiam adeò mirum videri debet, vt iam in Africa, Episcopi, sacerdotali coronâ ornarentur: cùm pridem antè, Apostoli duo præmemorati, Iacobus Hierosolymis, & Ioannes Ephesi (vbi sedens totas Asiæ, scribit de eo sanctus Hieronymus *, fundauit rexítque Ecclesias) bracteâ Pontificali, seu laminâ aureâ super frontem fulgenti, fungendo Pontificatu vsi fuisse comprobentur. Sed & Romæ Mitrâ ornatum in sacris claruisse Siluestrum Papam, monimento est eius ipsa Mitra, quæ Romæ inter Sanctorum reliquias in veteri S. Martini Ecclesia in montibus nuncupata, etiamnum pieta-

* *In catalogo, ipso in Ioanne.*

te maiorum obſeruata, oſtenditur: cuius anteriorem partem ære inciſam, ad venerandam, vt monet, Mitræ Pontificiæ antiquitatem, F. Angelus Rocca Camers, Apoſtolici ſacrarij præfectus, Clementi VIII. ſummo Pontifici, cum ſancti Gregorij & parentum eius imaginibus obtulit ac dedicauit: inſerendámque curauit ad finem Tomi 1. operum ſancti eiuſdem Gregorij, vnà cum ectypis ſandaliorum ſiue calceorum ſummi Pontificis Honorij, & Martini Papæ & Martyris. Eſt autem Mitra coloris viridis holoſerica, non villoſa, Phrygianæ artis. In frontali ſuperficie cernere eſt Virginem Deiparam regiâ coronâ radiosâ redimitam, filium in gremio ſitum erectum læuâ amplexantem, dextrâ verò oliuæ ramum pacis æternæ ſymbolum ferentem: ſedentem verò venerabili conſpectu, duobus Angelis hinc inde ſuper vtramque ſolij extremitatem adſtantibus & quaſi volitantibus: duobus verò infra ſedem à dextra, totidem à ſiniſtra pari geſtu expanſis alis aſſiſtentibus. ſex prætereà ſtellæ ab vtroque latere Virginis, collucent; tribus ſcilicet in dextra, tribúſque in læua ſic diſpoſitis, vt Mitræ, quæ ſupererat vacuitate repletâ, circumquaque ſuum effuſis radiis, ad maieſtatis conſidentis cum filio Virginis Deiparæ augendum decus, profundant ſplendorem. Denique Mitra ipſa, hac epigraphe in frontali lamina, quæ ſubnectitur pedibus glorioſæ Virginis conſpicua eſt: *Aue Regina cœli.*

Vide Symphor. Lampegij libellum de Sanctis Galliarum locis, Pariſiis excuſum anno 1576.

Viſitur porrò Anicij Velaunorum in percelebri Baſilica Sanctæ Mariæ, antiquiſſimi operis Mitra Pontificia inter ſacra cymelia eiuſdem Eccleſiæ à maioribus reuerenter aſſeruata, quæ tantam vetuſtatem ſuo ipſo conſpectu prodit, vt vulgò dicatur Mitra Aäronis. Quamuis forma ipſa qua conſtat, aperto ſit indicio, hanc non Moſaïci ritus at Chriſtiani ornamentum eſſe.

Poſſem hîc indicem texere Eccleſiarum, quæ primorum ſuorum Antiſtitum etiam martyrio inſignium Mitras, hactenus pro pretioſo ac venerabili eorum memoriæ pignore, conſeruarunt. Sed Scholiaſtes præfatus antiquitatis huiuſmodi monimenta paruipendit: vnóque verbo obiectioni inde ductæ reſpondet. *Fruſtra*

ostendi à quibusdam nonnullorum priscorum Episcoporum Mitras: quia illorum fuisse probari non potest; immo in quibusdam apparent signa prætentæ antiquitati derogantia. Sed quod ait probari non posse priscorum fuisse Episcoporum quorum propriæ dicuntur has esse infulas: multum derogat Ecclesiarum, quæ hæc pignora ab omni retro memoria reuerenter custodiunt, & germana esse suorum præsulum insignia, seriò asserunt auctoritati. Quorum certè fides iudicio priuatò Scholiastis meræ negationi subnixo, iure merito anteferri debet. Alioquin etiam sacrarum reliquiarum, quæ in singulis Ecclesiis colendæ ostenduntur veneratio titubabit, quarum germanitas nulla alia certitudine, vt plurimùm, quàm ipsarum Ecclesiarum perpeti traditione, ac constanti fidelis populi persuasione ac consensu nititur: vix certè temeritatis expers attamen is censeretur, qui genuinas has esse exuuias Sanctorum quorum asseruntur negaret, vel vltra patentem Ecclesiarum astipulationem *, exigeret ingenuitatis earum expressum literis testimonium. Pulchrè igitur hîc insigne illud dictum Tertulliani collimat. *Aliæ sunt obseruationes, quas sine vllius scripturæ instrumento; solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus*, lib. de coron. mil. c. 3. Ceterùm meminerit ipse Scholiastes, se in sua sancti Gregorij Papæ libri Sacramentarij recensione, plerisque Codicibus Missalibus vsum, quos primæ notæ inter vetustos esse censet, genuinósque eorum auctorum partus asserit, sola Ecclesiarum in quarum scriniis asseruantur attestatione suffultus. Quo iure si ipsi credendum: cur non & iis, qui vt reliquias, sic sacras infulas suorum priscorum Antistitum genuinas esse affirmant, insignium illarum Ecclesiarum freti auctoritate, quas sancti ipsi Præsules rexerunt & erexerunt? At rursus excipit, *signa in his nouitatis deprehendi, quæ prætentæ antiquitati derogant.* Verùm optandum fuerat, vt signa hæc ipse exempli causâ indigitasset, saltem aliqua insigniora, quæ hanc nouitatem patenti indicio proderent. Nullum at penitùs assignauit: quòd scilicet tale sibi non suppeteret, quo posset quam causatur nouitatem euictum ire. Abstinuit

* Caluinus in Indiculo de reliquiis, qui eius inter opuscula extat, totus ferè in eo argumento est, vt earum germanitatem ex eo inficietur, quòd de iis non cõstet, nisi ex vulgi dũtaxat opinione. Familiare est enim hæreticis, vt Lanctfrãcus pridem rectè notauit aduersus Berengariũ, Ecclesiarũ traditiones & fidelium consensum, *vulgi persuasionem* appellare.

ideo lubens prudénſque à ſpeciali illa deſignatione, quòd videret plura longéque euidentiora extare vetuſtatis indicia, quibus ea, qua prædita hæc monimenta aſſeruntur antiquitas manifeſtiùs innoteſceret.

At quoniam de vetuſtate Mitræ ſiue coronæ Epiſcopalis hîc agitur: ſpectabile huius vſus in venerabili antiquitate, exemplum nobis indicat Ennodius Ticinenſis, epigrammate 77. de vita & moribus ſancti Ambroſij, de cuius ſic ornatu cecinit,

Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtinctum gemmis ore parabat opus.

Verùm tam præclarum teſtimonium eludit Scholiaſtes prædictus, ſpectabili ſolertiâ. *Nemo eſt* (inquit) *qui non videat hæc metaphoricè dici de pudore, verecundia, modeſtia, grauitate & ſimilibus virtutibus, quæ in ore huius ſanctiſſimi præſulis emicabant, quæque inter concionandum ob diuinam viri eloquentiam maximè effulgebant.* Quod ſatis his verbis manifeſtum eſt,

Diſtinctum gemmis ore parabat opus.

Atque etiam patent ex ſuperiore diſticho,

Roſcida regifico cui fulſit murice lingua,
Vere ſuo pingens germina quæ voluit.

At nemo eſt qui non videat Scholiaſtem effugia hîc quærere. Duo enim diſtincta dicit Ennodius: nempe S. Ambroſium lingua eleganti claruiſſe, quâ quæque voluit germina facundiæ mirabilis exprimeret. Alterum, emicuiſſe inter concionandum venerando habitu, geſtaſſéque in fronte ſertum lucidum, quod diſtinctum gemmis opus, non magis earum fulgore radiabat, quàm oris fluido nitebat diſertiſſimi rore. Nam quod metaphoricè accipi tantùm debeat, coronæ illius gemmatæ, qua coruſcauit ſacris operando, vel prædicando, ſanctiſſimus Antiſtes redimitus, ſpecioſum ornamentum: non ſinit admittere inſignis illa ſancti eiuſdem Ambroſij effigies, quæ primi tomi eius operum Pariſiis excuſorum anno 1614. limini affixa cernitur, *ex antiquis eius imaginibus* (vt habetur in ſubiuncta epigraphe) *Mediolani olim depictis, ad viuum expreſſa.* In qua ipſe beatus Pontifex plano proſpectu conſpicitur, aſpectu graui &

pulchro, naſo paululum oblongo, fronte lata: caſula ſacra indutus, pallio tribus crucibus inſigni, ſcilicet vna ſuper pectus, altera ſuper humerum dextrum, alia ſuper ſiniſtrum expreſſa decoratus. Mitra verò redimitus ſatis alta, duabus laminis, vna orbiculari, quæ fronti imminet, altera erecta ab imo ad ſummum, inſtructa ac coruſcanti multiplicium gemmarum ornatu, ſpectatæ magnitudinis duobus pretioſis lapillis, hinc inde affixis ac collucentibus. Vt eodem habitu videre ſit ſanctiſſimum Præſulem ſacris operantem, quo vultu dum viueret inter mortales apparebat. ad viuum etenim proditur ex antiquis ſimulachris (quorum in VII. generali Synodo ab auctoritate, argumenta magni momenti perplura, aduerſus ſacrarum imaginum exturbatores, deducta ſunt) Mediolani olim depictis expreſſa illa eius præclara effigies, in qua non poteſt Mitra metaphoricè intelligi, quin alba etiam, caſula & pallium, quibus adornatus comparet, metaphoricè etiam aſſumantur. Sed inſtat Scholiaſtes. *Nec ſanè magnum*, ait, *fuit Ambroſio laudis argumentum, gemmatam in capite geſtare coronam, quod etſi conuenire poßit aliis Mediolani Epiſcopis, quos poſtea laudat Ennodius, nihil tamen ſimile illis attribuit.* Sed ſalua pace cum Scholiaſte, vt ſeriò dicam. Idipſum poſſet contra auctorem ſacri libri Eccleſiaſtici obiici: qui à Pontificio ornatu magnificè attollit Aaronis commendationem. *Circumcinxit eum* (inquit*) *zona gloriæ, & induit eum ſtola gloriæ; & coronauit eum in vaſis virtutis; ſtolam ſanctam, auro & hyacintho & purpura, gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarij ſculptis, in memoriam ſecundum numerum filiorum Iſraël. Corona aurea ſuper Mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis & gloria honoris; opus virtutis.* quid enim magnum erat (ſi eo modo quo arguit Scholiaſtes ratiocinari licet). Aaroni laudis argumentum, gemmatam in capite geſtare coronam? quod ornamentum etſi conuenire poſſit aliis Moſaïcæ legis Pontificibus, quos ipſemet poſtea laudat Eccleſiaſticus, v. g. Ieſu filio Ioſedech, & Simoni filio Oniæ, nihil tamen ſimile illis attribuit. Sed Aaron inter veteres legis Pontifices Patriarcha erat.

* *Cap.* 45.

Quamobrem huic vni præcipua honoris & gloriæ insignia adscribit: quæ tamen cùm illi assignat, successoribus eius non eripit. Nemo verò prudens abnuerit, inter Mediolani Antistites, Aaronis plerisque gloriæ titulis Ambrosium effulsisse: ac eapropter Ennodium, dum illius decora prædicat, quasi in fasciculum collegisse, quæ ad eius non modò virtutis, sed & honoris & gloriæ insignia conferebant. Nec opus erat vt quæ erant dignitatis, eius sequacibus sigillatim applicaret: cùm satis perspectum esset eadem insignia Episcopalis dignitatis iis competere, qui eiusdem honoris decus fuerant post eum sua quique vice consecuti.

Nec modò sancti Ambrosij ætate & in Italia, ac passim in Occidente: sed in Phœnicia quoque & toto itidem Oriente, sub Constantini Magni Principatu, rebus Christianis cùm serenior afflaret aura, persecutionum vorticibus superatis, Pontificale diadema sacrorum Antistitum verticibus impositum, eximio ornatu passim refulsit. Sanè eo tempore certatim Episcopi & fideles extruendis dedicandísque Ecclesiis solemni ritu & apparatu vbique intendebant. *Optatum siquidem* (ait Euseb. lib. 10. hist. cap. 3.) *& desideratum nobis spectaculum exhibebatur, celebrationes videlicet Encæniorum per ciuitates, & Oratoriorùm recèns extructorum consecrationes, Episcoporum conuentus, populorum concursus, &c. Paulini per omnia optimi & pij Episcopi, templum illud quæ in Phœnicum sunt gente celeberrimum, magnificè structum est.* Túmque in præclari adeo facti collaudationem, inter encæniorum solemnia, pronunciata est Paulino ipsimet Tyriensi Metropolitæ in plurimorum Episcoporum audientia & consessu celebris illa panegyrica oratio, quam idem Eusebius recitat seriatim præsignato lib. 10. Histor. Ecclesi. cap. 4. In cuius exordio hac apostrophe Paulinus, ab auctore, cum collegis compellatur. *Amici Dei & Sacerdotes, qui sacro-sancto podere, indumento cælesti, gloriæ coronâ, & diuino chrismate, denique sacerdotali sancti Spiritus stola decorati estis.* Quo ex testimonio liquet Christianos Antistites, tum iam sacra corona insignes, Ecclesiastico in cœtu enituisse: proinde recen-

tem non fuisse sexcentorum duntaxat annorum morem, vsum sacræ infulæ seu Mitræ Pontificalis : cùm iam in Ecclesia vigeret, cùm à Constantino Magno Christiana religio à pressuris Gentilium vindicata, plenáque libertate donata, vbique florentissimo statu effulgeret.

Eludere tamen nititur sæpe iamdictus Scholiastes teli huius aciem : *ista*, respondens, *enuntiari ad veteris Sacerdotij similitudinem*. Quæ sanè euasio, quàm ludicra sit: ex loci conspectu vnde qua de agitur deprompta est auctoritas, facilè apparet. Agit præcedente capite Eusebius de rituum Christianorum splendida iam vbique celebratione, de Ecclesiarum constructione & encæniis, de Synodis Episcoporum, de veri sacrificij Christiani mystica & tremenda actione. Continuáque serie Eusebius ipse ad exemplum reuocans capite consequenti panegyricam orationem, factam in Synodo Tyriensi, coram Paulino præantistite, eiúsque Coepiscopis, hac eos apostrophe, sacrum Panegyristam recitat esse affatum: qua tunica sacerdotali indutos, corona honoris redimitos, diuinóque chrismate consecratos eosdem salutat ac veneratur. Quidnam quæso in hoc Eusebij discursu ac relatione sapit specialem ritum Sacerdotij veteris ? Nonne omnia potiùs Christianum cultum indicant ac testantur? Itáne Scholiastes propriũ putat fuisse Leuitico Pontifici gerere tunicam talarem albam, vt à Christiano sacerdotio hoc abhorrere indumentum censeat ? Iacobum igitur fratrem Domini & post eum primum Hierosolymitanæ Ecclesiæ Pontificem, exsortem à sacerdotio Christiano reputet : potiúsque Aaronis quàm Christi vices subeuntem ; qui teste sancto Hieronymo *linea veste vsus est*, Catal. cap.2. cuius poderem & Pontificalem stolam diutissimè conseruatam esse ; eáque in sacris mysteriis vti solitos ipsius successores Episcopos docet epistola Theodosij sanctæ ciuitatis Antistitis ad sanctum Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham, qua profitetur se eandem ipsam ei dono, cum muneribus mittere, in actis VIII. Synodi act. 1. quin perpetuum fuisse morem Hierosolymitanorum Episcoporum, exemplô eiusdem sancti Iacobi, cuius successores erant ; vbi-

cunque comparerent candidam veſtem eámque lineam gerere, ex narratione Cyrilli conſtat in rebus geſtis ſancti Euthymij, vbi agit de ſancto Athanaſio Præſule eiuſdem ſanctæ ciuitatis, apud Surium 20. Ianuarij. At verò geſſit ipſe Iacobus (vt ſuprà probatum eſt) dum Pontificatu fungeretur, coronam ſacerdotalem, ſeu laminam auream ſuperpoſitam fronti. quid magis igitur mirum, illa in re fuiſſe quàm in hac, factum eius à ſucceſſoribus in imitationem traductum? Porrò ſi eius exemplo Hieroſolymitani Hierarchæ, corona & tunicà ſacerdotali continuam per ſeriem vſi ſunt: cur idem exemplum ad vicinos Epiſcopos (quales erant Tyrienſis & eius collegæ) laudabili æmulatione propagatum, quiſpiam mero ex contentionis æſtu inficiatum ierit? Dato autem quod prorſus veriſimile eſt, ab iis inde acceptum & pariter obſeruatum: ſicut in longè remotiſſimas Eccleſias, ab initio diffuſum fuiſſe, ſacrorum eiuſmodi inſignium morem, tam ex ſuperioribus obſeruationibus, quàm aliis pleriſque monimentis Eccleſiaſticæ antiquitatis peritis, ſatis ſupérque conſtat: quonam iam obſecro iure, vel qua veri vel tenui ſpecie niſus eſt præfatus Scholiaſtes (quo cum in præſentiarum agimus) Chriſtianæ adeò illuſtrem religionis ritum, ad Moſaïcas vmbras retorquere, ac quæ ore tenus ad Chriſtianorum Pontificum venerabilem conſeſſum dicuntur, de Sacerdotij veteris vſibus interpretari? Profectò irriſus prorſus fuiſſet, exploſúſque confeſtim ab exordio ipſo ſermonis Orator, qui Chriſtianos Antiſtites tam ineptis alloquiis compellâſſet, vt alienis non propriis illuſtres dixiſſet inſignibus; ſoláque figura & vmbratili ſimilitudine ſpectabiles, poſt figuratæ legis Sacerdotes antiquatos, tanto verborum apparatu, quanta cum ſingularitatis laude, in conuentu adeò ſolenni commendâſſet. Preſſiùs vt ſenſa exprimam. Si figurata huius Oratoris locutio erat, in eo quem deſignat Epiſcoporum ornatu, erat etiam in templo quod prædicat à Paulino Epiſcopo Tyrienſi extructum, & Chriſto dedicatũ: item in altari & ſacrificio, & ſacræ ædis magnificentiſſimo quem deſcribit decore. At quiſnam quæſo metaphorica hæc Chriſtiani illius

Ora-

Oratoris dicta ad Paulinum Epiſcopalis Senatus præſidem, huius Baſilicæ, & ornatus eius auctorem, exiſtimabit? *At enim hîc abſoluto quoque templo, & ſedibus excelſiſſimis ad honorem Præſidentium, deinde & ſubſelliis ordine per omnia collocatis ornato, ac poſt omnia Sancto ſanctorum, altari videlicet in medio conſtituto. Rurſus etiam iſta vt multis ſint inacceſſa, cancellis ligneis, ad verticem vſque artificioſa cælatura fabrefactis, ita circumdedit, vt videntibus exhibeat admirabilem aſpectum. Quin nec pauimentum negligenter ſtrauit. Hoc quidem lapide marmoreo ſplendidè adornauit. Iam verò conſequenter etiam exteriora templi molitus eſt: ſediliáque & ædes vtrimque maximas, artificioſè ſtruxit, & lateribus templi coniunxit: quæ & ipſa illis quæ expiatione adhuc & aſperſionibus quæ per aquam & ſpiritum ſanctum ſunt opus habent.* Igitur niſi quis dixerit baptiſterium illud fuiſſe metaphoricum, altare tantùm myſticum, templum eiúſque ornatum per allegoriam duntaxat expoſitum, ſacrificium tantummodò ſpirituale, non viſibile & reale: profectò Epiſcoporum in decore ſacro conſidentium tunicam, ſtolam, coronam, vnctionem allegoricam, & tantùm ad veteris ſacerdotij ſimilitudinem intelligenda hæc eſſe omnia, is non ineptè exiſtimauerit. Verùm tam hoc quàm illud ab omni ratione rectóque iudicio quantum deſultet, prudens quiſque rerum & verborum æſtimator facilè diiudicabit.

Sed prætet illuſtre illud teſtimonium, quo antiquus ille Panegyriſta Epiſcopos in Eccleſia conſidentes ſolenni ornatu, corona ſacerdotali, ac tunica decoratos ſe conſpexiſſe clarè & diſertè inſinuat: habemus certè non minus inſignem ſancti Gregorij Nazianzeni (quem *os Chriſti* ſanctus Hieronymus appellabat) de eodem ornatu Pontificali teſtificationem, qua fidus rei circa ſe geſtæ narrator, dum à patre & eius collegis, Antiſtes ordinatus eſt, ſacra cidari ſeu Mitra inſignitum ſe fuiſſe, recepto ex more meminit & aſſerit. Ita enim ipſum parentem ac initiatorem ſuum, Oratione quinta poſt reditum à fuga reuerenter affatur. *Idcirco* * *me in medium producis, & ſuffugienti manum iniicis, ac iuxta te collocas,*

* διὰ τοῦτο εἰς μέσον ἄγεις καὶ ὑποχωροῦντι

λαμβάνῃ, καὶ παρὰ σεαυτὸν καθίζεις. καὶ κοινωνὸν ποιῇ τῶν φροντίδων καὶ τῶν στεφάνων· διὰ τοῦτο χρίεις τὸν ἀρχιερέα, καὶ περιβάλλεις τὸν ποδήρη, καὶ περιτίθης τὴν κίδαριν, καὶ προσάγεις τῷ θυσιαστηρίῳ τῆς πνευματικῆς ὁλοκαυτώσεως.

** Cidaris promiscuè etiam sumitur pro corona, Ezech. 21. *Aufer cidarim, tolle coronã.* Erat enim cidaris fascia alba, seu diadema quo Reges olim, caput circumligando, coronabãtur. Vide Plutarchũ in Lucullo, Dionem in Pompeij vita, Iustinũ lib. 13. vbi de Alexandro & Lysimacho.

atque curarum simul & coronarum socium ascisćis. Idcirco me Pontificem vngis, ac podere cingis, capitique CIDARIM ** *imponis : atque altari holocausti spiritualis* (agni scilicet mystici innocẽter immolati) *admoues*. Hæc sanè iam tunc erat, quæ etiamnum viget in Ecclesia Catholica, ordinationis Pontificalis theoria & praxis. Nempè sacro chrismate qui creabatur Episcopus vngebatur, tunica seu stola sacra induebatur, & capiti eius Pontificalis imponebatur cidaris seu corona, deinde diuinorum mysteriorum honorabatur consortio & collegarum consessu: sedis enim Episcopalis eidem ab ipsis communicabatur insessus.

Non fugit doctissimum Sacramentarij sancti Gregorij Scholiastem locus hic adeo memorabilis, à cuius anfractu cùm se extricare commodè non posset, eodem responso quod præcedenti auctoritati adhibuerat, elapsum sibi inde quæsiuit. *Ista* (inquit) *commemorantur ad veteris Sacerdotij similitudinem* : quasi duntaxat hæc per meram allegoriam, vel solam analogiam ad Mosaïcos ritus iam antiquatos, dicerentur. At præterquam hæc responsio nouatoribus fauet, qui dum sacerdotium in Ecclesia nonnisi spirituale & omnibus commune Christianis promiscuum contendunt, omnia Patrum dicta de Sacerdotio & Pontificatu, eiúsque muneribus ac insignibus, per metaphoram intelligenda esse comminiscuntur. Certè testimonium tam clarum non patitur eiusmodi futiles argutias. Primò etenim historiam narrat simpliciter? Nazianzenus circa se actam. At quid quæso commune historiæ nudæ relationi, cùm metaphoris & allegoriis? quibus claram ac nitidam rei actę seriem velle obumbrare, quid aliud est quàm solis in meridie fulgentis radios, telæ araneæ inuolucro niti ire obtectum? 2. Neutiquam Gregorius Sacerdotium Christianum Leuitico illic assimilat, sed disertim opponit : subindicat siquidem eodem loco figuratiuum duntaxat fuisse vetus, nouum autem esse verum. Idipsúmque de sanctuario Euangelico & Eucharistico sacrificio subinde docet. *Manus* (inquit) *Spiritui* (scilicet operationibus Spiritus sancti) *consecras, & Sancta sanctorum spectatum introducis,*

verique illius tabernaculi, quod non homo sed Deus fixit ministrum efficis. Sicut igitur in Ecclesia agnoscit verum sacrificium, verum sanctuarium, sic & verum sacerdotium: proinde & veri sacerdotij verum ac proprium decus, non metaphoricum ibi intelligit. 3. Manifestè demonstrat vnctionem qua consecratum se fuisse memoratur, fuisse veram, externam, visibilem, manibúsque sui ordinatoris peractam: subnectit enim continuo sermonis fluxu illum compellando: *dignúmne verò & vobis qui vngitis, & eo propter quem peragitur, & in quem tendit hæc vnctio,* &c. quæ verba adeo perspicua sunt de reali vnctione Pontificia, vt in margine censor perdoctus annotarit, *Episcoporum hinc constare iam olim viguisse vnctionem*: proinde & coronationem: Nam Nazianzenus vtriusque sibi impertitæ pari modo eodem verborum nexu commeminit.

Ceterùm non hîc mihi excidere patior illustre aliud antiquitatis infulæ seu Mitræ Episcopalis monimentum, quod Scholiastes tamen Sacramentalis libri sæpedictus vel non aduertit, vel quòd omnem præcideret euasionem datâ operâ prætermisit, etenim indiscussum non modò, sed prorsus intactum reliquit. Vices Apostolicæ sedis delegâsse Cœlestinum Papam Cyrillo Alexandrino Patriarchæ in Ephesino Concilio, res est vel leuiter imbutis antiquæ historiæ lectione compertissima. Porro in pignus amoris & collatæ dignitatis indicium, missa fuisse ab ipso Cœlestino Pontifice eidem Cyrillo sacra honoris insignia, testata res est etiam Ecclesiasticis monimentis. Ex quibus Theodorus Balsamo Patriarcha Antiochenus in Nomocanonem Photij Tit. 8. c. 1. * hæc speciali obseruatione consignat. ** *Huius quoque temporis Patriarcha Alexandrinus habet, vt cum Phrigio (id est pallio Pontificali) celebret. Habuit autem hanc facultatem sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Cœlestino, quando fuit Ephesina Synodus aduersus Nestorium. Cùm non posset Cœlestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium, visum est vt sancto Cyrillo à Cœlestino permitteretur huic Synodo præsidere. Vt itaque constaret eum habere ius & auctoritatem Papæ, sedit cum phrigio & con-*

* Editionis Parisiensis in folio p. 89. col. 6. in fine.

** ἀλλὰ καὶ ὁ κατὰ καιροὺς πατριάρχης Ἀλεξανδρείας ἀπὸ τοῦ παρόντος ἰδικῶς δικαιοῦται μετὰ λώρου λειτουργεῖν. ἔλαβε γὰρ τὴν ἐξουσίαν ταύτην ὁ ἅγιος Κύριλλος Ἀλεξανδρείας ἀπὸ τοῦ πάπα Ῥώμης Κελεστίνου, ὅτε ἡ ἐν Ἐφέσῳ γέγονε σύνοδος κατὰ Νεστορίου. τοῦ γὰρ Κελεστίνου μὴ δυναμένου παρευρεθῆναι εἰς Ἔφεσον, καὶ κρῖναι τὸν Νεστόριον, συνέδοξεν ἐπιτραπῆναι τὸν ἅγιον Κύριλλον ὑπὸ τοῦ Κελεστίνου προεδρεῦσαι τῆς συνόδου, ἀνθ' αὐτοῦ. εἰς γοῦν παράστασιν τοῦ ἔχειν αὐτὸν τὸ δίκαιον τοῦ πάπα Ῥώμης Κελεστίνου, ἐκάθισε μετὰ λώρου, καὶ

κατεδίκασε τὸν Νεστόριον. ἐκ τότε σὺν τῷ αὐτῷ λώρῳ ἱερουργοῦσι, καὶ προεδεύουσιν οἱ πατριάρχαι Ἀλεξανδρείας, καὶ αἰτίασιν οὐχ ὑποπτεύουσι.

*** κἀκεῖθεν ἐπὶ διαδοχὴν προσῆλθεν ταῦτα, καὶ τοῖς κατὰ κλῆρον εἰληχόσι τὸν τῆς Ἀλεξάνδρου θρόνον ἱεροῖς ἐπισκόποις.

demnauit Neſtorium. Ab eo autem tempore, cum eodem phrigio ſacrificant & procedunt Patriarchæ Alexandrini, & non verentur reprehendi. Addit porrò Nicephorus l. 14. hiſtor. Eccleſ. c. 34. etiam miſſam Cyrillo à Cœleſtino Papa Mitram, communicatúmque Papæ nomen cum titulo Iudicis Oecumenici ſeu Papæ vices (in orbe Orientali videlicet) gerentis.*** *Quæ deinde omnia* (ſubiungit) *per ſucceſsionem ad eos peruenerunt, quibus ſorte Alexandrinæ Eccleſiæ thronus legitimè obueniſſet.*

Metaphoricam fuiſſe hanc Mitram, quam tanto beneuolentiæ indicio, & honorificationis ſignificatione beatus Pontifex Cœleſtinus ſancto Cyrillo Alexandrino dedit, videat an ſibi fas ſit exiſtimare, vel iure nobis perſuadere poſſit, ſæpè iam citatus Sacramentarij Gregoriani Scholiaſtes: vel ſi teſtes ferendo in hac cauſa ſuffragio impares queat excipere. Cùm Græci ſint, intérque Græcos, Romanæ Eccleſiæ dignitatis peracres æmuli. Ceteroqui nec antiquitatis ignari, nec hebetes, vt rei cuius ſe vades ſiſtunt, ſeſe imperitos, vel temerarios aſſertores, iudicari à recentiore cenſore æquo animo patiantur.

At quiſpiam forte hîc reſpondebit, exemplum iſtud intentum noſtrum non fulcire at potiùs amoliri: quandoquidem tantum abeſt vt probet quod volumus, nempè Mitræ vſum iam fuiſſe in Eccleſia celebrem, ac ferè communem: cùm econtrà hinc pateat Orienti fuiſſe ignotum & hactenus inſolitum. Alioquin quî fiat vt ſingulare hoc munus, quod ſancto Cyrillo beatus Cœleſtinus tranſmiſit viſum eſſet: ſi inſigne eiuſmodi Pontificalis honoris fuiſſet iam, nedum Patriarchis, qualis erat Cyrillus, ſed & cunctis Epiſcopis aſſuetum? Sed nihil eſt quod contra aſſertionem noſtram obiectio hæc efficiat. Neque enim hîc probare intendimus, vbique Mitrę iam receptum fuiſſe vſum. Satis eſt quod planè euicimus inſigne Pontificalis dignitatis, iam ab Apoſtolorum ætate Epiſcopos in capite geſtaſſe: quod tametſi eadem forma non omnes perferrent, tamen ſic omnes ſacro in vertice præfulſiſſe ornatu, vt regale ſacerdotium quod gerebant, eo palam indicaretur. Nam lamina aurea, infula,

cidaris, tiara, sertum, Mitra, coronæ erant sacerdotalis diuersæ quidem species, at vnius eiusdémque generis: cùm sacri diadematis, quo summa dignitas Pontificatus & Sacerdotij apex in Ecclesia præeminet, singula essent species ac indices. Porrò quod Mitræ vsum spectat, frequentiorem fortè fuisse haud grauatè concessero in Occidente, quàm in Oriente. Quin & in ipso Occidente peculiarem fuisse primitus ornatum Romani Pontificis: deinde etiam indulgentia quadam communicatum ceteris Episcopis, non tamen sine alicuius differentiæ signo, quo supremi Pontificatus eminentia ab inferiorum Præsulum insigni dignosceretur. Rituales auctores nonnulli volunt speciali titulo sedis Apostolicæ præsulem, Papam appellari, *quasi admirabilem seu coronatum**, tametsi vt ex dictis patet solus sacerdotali corona non insigniretur. Sed discrimen erat in hoc ornatu, quo præeminentia ipsius summi Pontificis inter ceteros appareret. Cæsaribus pridem concessum, vt quædam imperij signa gererent, tributa enim facultas fuit, vtendi coccineo pallio, atque etiam purpura (sed sine auro) tametsi Augusto præsente. Ita & à Pontificibus summis, vsus Mitræ indultus est ceteris Episcopis, deinde Abbatibus, imò & Principibus quibusdam, sed non sine differentia ac delectu. Sanè Gregorius VII. literis prodidisse legitur l. 1. ep. 38. à prædecessore suo Alexandro II. vsum Mitræ indultum, Wratislao Boëmiæ Duci, spondenti Apostolicæ sedi omnem cultum & obsequium: cùm hactenus Mitræ vsus laïcis inconcessus fuisset. Sed vt inter Episcopales Mitras & Abbatiales perspectum discrimen erat: Cœnobiarchis enim quibusdam tributum à sede Apostolica passim Mitras gerere, *cap. vt Apostolicæ de priuilegiis apud Bonifacium*, dummodo Mitris vterentur non tam ornatis & luculentis, ac Episcopi: vt scilicet vbi maior dignitas, maior & ornatus intersit: Ita non dubium, quin ab Alexandro II. concedente Boëmiæ Duci vsum Mitræ, additum fuerit discrimen, quo illa differret à sacræ dignitatis Prælatorum ornatu, ipsiúsque insigni præcipuo summi Pontificis. Ad cuius Mitræ singularitatem spectare illud videtur quo Petrus Damiani, pellu-

* Vide Remigium Autissiodor. de celebr. Missæ.

Rescript. Cōmodi ad Albium.

cidum tunc Romanæ Ecclesiæ lumen ac columen præcelsum, scribit ad Cadolaum Antipapam, Honorium II. à suis sectatoribus vocitatum, lib. 1. ep. 20. *Habes nunc forsitan Mitram, habes, iuxta morem Romani Pontificis, rubeam cappam*, &c. Siquidem cùm ante inuasum Papatum Cadolaus Episcopus esset Parmensis, Episcopalis Mitræ profectò ornatu potitus erat, at nondum Papali, quæ certè præcellebat formæ decore. Vnde postea subiunxit idem Cardinalis Petrus. *Caue ne hanc aduersum te sententiam, diuinus per eumdem Prophetam* (Ezechielem scilicet) *sermo decernat. Tu autem prophane impie Dux, rex Israël, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita: Hæc dicit Dominus Deus: aufer cidarim, tolle coronam: nonne hæc est quæ humilem subleuabit & sublimem humiliabit? ac si patenter enuntiet quia quisquis ad hanc cidarim vel sacerdotalem coronam arroganter anhelat, iure deprimitur.* Iam igitur perspicuum est Mitram Papæ, ab aliis fuisse distinctam, seu formæ amplitudine, seu gemmarum ornatu, seu imperialis coronæ (quam *regnum* posteri vocitarunt) speciali præeminentia. Nam iam pridem datum Romano Pontifici, Ecclesiæ Catholicæ apici, vt imperij insignibus, signatímque corona vteretur, Theodorus Balsamò supracitatus luculenter insinuat, *Tit.* 8. *c.* 1. *in Nomocanonem Photij*, &c. Hinc igitur colligere licet, singulari munere Cœlestinum misisse Mitram Romani Pontificis propriam, sancto Cyrillo Alexandrino Patriarchæ, qua vt pallio Papali, Oecumenicæ Synodo conspicuus vice Papæ præsideret, eiúsque summæ auctoritatis præditus legatione, ac sacris insignibus pollens, Nestorium regiæ vrbis Patriarcham iudicaret. Tametsi aliàs ipse Cyrillus Episcopalia, iure suo haberet decora, imò Patriarcharum propria insignia, in quibus infulæ sacræ, Mitræ scilicet simplicis (si non serti, fasciæ verticalis aut laminæ aureæ) ornamentum imprimis numeratur.

In Africa iam eodem Cœlestino Apostolicæ sedis Pontifice, vsum Mitræ fuisse celebrem, ex spectabili venerandæ antiquitatis monimento licet elicere. Eam ete-

nim ſanctum Auguſtinum in vſu habuiſſe, ipſa indicio eſt Mitra, quâ dudum inſignitus ſacro Epiſcopatus munere fungebatur. De cuius ex Africa, vnà cum corpore aliiſque reliquiis eiuſdem beati Auguſtini, in Sardiniam tranſlatione, hæc memoriæ digna obſeruauit magnus Cardinalis Baronius tom. 6. Annal. ſub anno Chriſti quingenteſimo quarto. *Tunc planè* (inquit) *accidiſſe perhibetur* * *vt Hipponenſis Epiſcopus & alij prouinciæ Numidiæ Sacerdotes, occultè (vt licuit) ſeorſum ferrent ſecum vnà theſaurum: nempe venerandum corpus magni illius totius Eccleſiæ Catholicæ magiſtri Aurelij Auguſtini, Hipponenſis Epiſcopi: ſimúlque eiuſdem ſacri verticis ornamentum, Mitram Epiſcopalem, & Epiſcopatus inſigne, baculum paſtoralem; ſed & alias plures ſecum eueherent reliquias. Cuius quidem ſancti Auguſtini corporis tranſlationis hiſtoria cùm plures ſint teſtes, nobiliori illo monimento conſignata relinquitur, quo Petrus Oldardus Mediolanenſis Epiſcopus, Carolum-magnum Imperatorem id ſcire cupientem, ſcripta ad eum epiſtola reddidit certiorem.* Refert ſeriatim illam epiſtolam ſub an. 725. quamuis anno ſeptingenteſimo nonageſimo ſexto ſubnotatam, Baronius: qui iterum de hac tranſlatione diſſerens, in notis ad Martyrol. Romanum die 28. Februarij ſuper hæc verba, *Papiæ tranſlatio S. Auguſtini ex Sardinia inſula, operâ Luïthprandi Regis Longobardorum*, adducto Bedæ (qui tum viuebat) ea de re inſigni teſtimonio ſubiungit. *At verò eo tempore, non tantùm corpus, ſed Mitram & baculum paſtoralem, aliáſque Sanctorum reliquias, ab eiſdem Epiſcopis illuc tranſlatas fuiſſe auctor eſt Fara, de rebus Sardoïs. Conſulendi etiam Sigonius lib. 3. hiſtoriæ de regibus Ital. Iacobus Gualliuſ in Antiquitatibus Ticinenſibus, ac lib. de Sanctis Papienſibus.* Ceterùm venerabile ſancti Auguſtini corpus, etiamnum in templi ſancti Petri, in Cœlo aureo, (quod cum cœnobio Luithprandus Rex pridem condidit) nobili ſacello, ſeruat niueus niténſque marmoreis ſignis, ſumma certè arte elaboratis loculus. Nec præterire hîc immemoratum fas eſſe reor, quod vetuſtus auctor, qui vitam ſancti Auguſtini compoſuit, litteris prodidit de

* *Sigib. an. 721. Ado an. 718. Marian. Scotus an. 734. Paulus Diaconus lib. 6. c. 14. S. Ant. 2. p. t. 14. c. li.*

ſigno diuinæ virtutis, quo ſancti huius Doctoris in Catholicam Eccleſiam promerita inſigniter declarantur. *Atque ita eſſe* (inquit) *ſtupendo & euidenti miraculo eluceſcit. Siquidem in ſupradicta Eccleſia in qua iacet, Puteus eſt, qui ab aliquot annis in die feſto eius ſuperabundans, tota ſepta ſupereffluxit. In ſignum quia ſicut aqua illa ſordes eluit: ſic ſordes hæreticorum ab Eccleſia effluens eius doctrina abſterſit.* Cuius ſententiæ tenorem ſuis his verbis Auctor expreſſit magni Chronici Belgici. *In ipſa crypta in qua Diuus Auguſtinus iacet, puteus eſt, qui ſingulis annis in feſto eius ſuperabundans, totam cryptam perfluit: vt liqueat, ſicut illæ aquæ illius cryptæ ſordes diluunt, ſic hæreſim ab Eccleſia Dei per viri ſancti doctrinam fuiſſe deterſam.* Atque hoc πάρεργον.

Ad Mitram ſancti Auguſtini, vnde huc defluxit, noſtra redeat oratio. Tametſi non extaret illa ipſa quam geſſiſſe perhibetur, quæque à Baronio aſtruitur vnà cum eius corpore ex Africa in Italiam tranſlata: tamen huc vſque inſignia monimenta, in Africa ipſa ſuperſtant, quibus ornamenti huius ab ipſo S. Auguſtino geſtati apparet certitudo. Enimuerò Ioannes B. Gramaye lib. 5. Africæ illuſtratæ, quo continetur hiſtoria Numidica c. 3. diſſerens de locis à B. Auguſtino celebribus, vbi de Tagaſtenſi oppido; *Oppidi* (inquit) *nulla modò ſuperſunt veſtigia. Inciſum interim in rupe antrum ſupereſt, & à Mauris colitur memoria B. Auguſtini vbi natum addunt*, &c. *ſupereſt etiam ara mediocris, ad quam gradibus quatuor aſcenditur, in quorum infimo foramen rotundum lapidi inciſum, in quod oleo Arabes defuſo votiuam lucem accendunt, & ſterilitatis tempore preces fundunt, opem ſalutarem pluries experti. Ara porro non adhæret parieti, ſed circumiri poteſt: Reliquiæque picturarum alibi conſpiciuntur in parietibus & fornice. Statuam etiam Auguſtini* INFVLATI, *albiſque amicti & cincti raræ antiquitatis ibidem ſe vidiſſe, teſtatus mihi eſt, F. Hieronymus Hiurueda Horamenſis ordinis B. Mariæ de Mercede religioſus, ſumma mihi iunctus neceſſitudine, Argellæ, è cuius amplius relatu ipſam ſpeciem per Garſiam Pamano ſeruum, etiam oculatum teſtem, delineatam curioſè aſſeruo.* Nec hoc vnicum

Mitræ S. Auguſtini in Africa ſupereſt monimentum, idem enim Gramaye eodem capite verba faciens de Hipponenſi S. Auguſtini Monaſterio. *Rudera etiam huius loci* (ait) *& quædam ædificia ſuperſunt; haud procul à Moſquetta ſecundaria, nobis viſa & ſpectabile antiquitatis ſacellum prope ergaſtulum Mauri Ramirez, cum ara & supernè tabula veteri, vbi ſanctus Pontifex, obſidentibus ciuitatem Wandalis, lecto moribundus decumbit* MITRATVS, *& brachiis candida veſtitis & ſuper ſtragulo extenſis, aſtante ad pedes turba religioſorum.* Hæc ille ex viſu. qui iterum paulò infrà, *Quod autem Hippone manſit* (inquit) *reliquum huius magni Antiſtitis & Doctoris Eccleſiæ, præter Monaſteria ſupradicta, eſt inſcriptio vetus ad latus Moſquettæ exterius verſus Meridiem vbi inciſæ in ſaxo litteræ fuerunt olim, & figura Epiſcopi, reſtantibus adhuc* INFVLA *& parte baculi paſtoralis, litteríſque his Gothicis* AV. *cùm reliqua eſſent obſoleta.* Tanta ex vetuſtate ſcilicet, vt vix maior ſpectari poſſit.

Si itaque taceremus lapides clamarent, Mitræ vſum eſſe longè annoſiorem quàm nouitatis cenſores ſuſpicentur. Cùm his ex veſtigiis pateat, fuiſſe B. Auguſtino in vſu, hoc Epiſcopale ornamentum. Verumtamen Mitræ Epiſcopalis vſum in Africa ea ætate fuiſſe, vix ipſis diſputatoribus perſuaderi poterit, nouitatis huius ſacri ornatus in Eccleſia, opinione præoccupatis. Maximè quòd ex Optato Mileuitano, qui ſancto Auguſtino paulò ſenior fuit: conſtet Mitræ ſeu mitrellæ ornatum in Africana Eccleſia muliebrem fuiſſe. Ornamenti enim genus erat, quod ſacrandis virginibus, ab Epiſcopo ſoleret imponi, ſicut Romæ & aliis in locis ſimplex velum. Vnde ipſe Optatus lib. 6. aduerſus Parmenianum, illi Donatiſtiſque ceteris improperat. *Iam illud quàm ſtultum, quàm vanum, quod ad voluntatem & quaſi dignitatem veſtram reuocare voluiſtis? vt virgines Dei* (ſcilicet à Catholicis Epiſcopis cõſecratæ) *agerent pœnitentiam; vt iamdudum profeſſæ, ſigna voluntatis capitibus poſtea vobis iubentibus immutarent; vt mitrellas alias proiicerent, alias acciperent.* Rurſúmque, *In mitrella indicium eſt voluntatis* (profeſſionis ſcilicet virginalis ſignaculum) *non caſtitatis*

(apud vos) *auxilium*. Ex lana eas contexi moris erat: vnde idem paulò antè ait. *De qua lana mitrella fieret. Et tamen virginitas si illæsa sit, sine mitrella tuta esse non potest.* Erat enim dicatæ Deo integritatis indicium, vnáque patrocinium & tutela sanctitatis. Quorsum igitur Episcopi Mitram pro ornatu gestarent (inde quispiam fortè eliciet:) quam ipsi virginibus consecratis imponebant, pro insigni deuotæ Christo castitatis.

Verùm haud sum nescius Mitram, non modò mitrellam, muliebre fuisse dudum ornamentum, quo non solùm sacræ virgines insigniebantur: at (etsi splendidiore) puellæ nubiles; etiámque aliæ fœminæ, præsertim nobiles, verticem decorarent. De Iudith legimus c. 10. *Discriminauit crinem capitis sui, & imposuit Mitram super caput suum.* Minatur verò Deus per Esaïam, Iudæis fœminis, hoc cum ceteris cultus muliebris ornamentum, iis, in die furoris sui ablatum iri: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques & monilia, & armillas & Mitras*, cap. 3. Meminit huius fœminei ornatus sua ætate adhuc celebris, sanctus Hieronymus ep. 23. ad Marcellam, vbi agit de Blesilla. *Tùm crines* (inquit) *ancillulæ disponebant, & mitellis crispantibus vertex coartabatur innoxius: nunc neglectum caput, scit sibi tantùm sufficere, quod velatur.* Mitella enim nihil aliud erat quàm mitrella: diminutiuum scilicet Mitræ, sed & idem vtriusque vsus, vt ex Iudith loco suprà citato constat. Nec modò muliebre decoramentum erat, vnde Virgilius 4. Æneid. ita canit:

Mæonia mentum Mitra crinémque madentem
Subnixus rapto potitur.

Sed viris probrosus amictus: præsertim si redimiculo religarentur, vt Lydarum & Troianorum mulierum mos proprius erat. Quo de redimiculo meminit quoque Virgilius dum ait 9. Æneid.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula Mitræ.

Sub Mitra enim crinem mentúmque subiectum habebant, Lydorum præsertim & Phrygum fœminæ. Vulgare est itidem quod apud Lucianum, Iuno ex Mitræ vsu mollitiem Baccho obiicit. Pluraque hîc congeri possent

eiusmodi Ethnicæ antiquitatis monimenta, quæ prolixitatis vitandæ causa hîc prætereo. At hæc quæ prolata sunt ex vtroque more, nihil intento nostro certè præiudicant; antiquitati scilicet quam tuemur Mitræ sacræ Episcopalis. Scitè hîc re vera aptari potest, quod reperi, 1. Paralipomenon cap. 20. de Dauidis facto memoriæ proditum. *Tulit Dauid coronam Melchom de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum & pretiosissimas gemmas, fecitque inde sibi diadema.* Ita siquidem vt mihi videtur verus Dauid Christus Réxque non modò, sed & summus Sacerdos, ornatum sacri diadematis, Mitræ scilicet & coronæ sacerdotalis insigne, quod impietatis artifex diabolus, *nunquam desinens* (vt vas electionis ait *) *vias Domini subuertere rectas,* profanos in vsus detorserat: (antè siquidem, decorum illud summo Pontifici veteris fœderis, Deus per Moysen assignauerat:) sibi tanquam eiusdem ornatus auctori & supremo Regi atque Pontifici voluisse vendicare; hunc videlicet ad veri Dei legitimum, vnde arreptus fuerat, cultum reuocando, & suo summo in terris Vicario, aliisque noui & æterni testamenti Pontificibus, vsum eiusdem conferendo. Siquidem (vt iampridem sanctus Epiphanius de aureis Apostolorum laminis coronísque Pontificiis disserens, obseruandum docuit) *Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & Rex ex semine Dauid, ipsam regiam dignitatem spiritualis imperij, vnà cum Pontificio, in Ecclesiam ac eius Pontifices, in æternum transtulit permansuram,* ac vtriusque coniunctæ dignitatis sacra insignia, voluit eisdem (vt docuit perennis ab hinc vsus) esse perpetua.

1. *Paral.* 20.

* *Act.* 13. 10.

Hæs. 19. & 78.

Sanè cùm aliquando apud Iotrum, nobile ac perantiquum sacrarum virginum monasterium * Ecclesiasticorum negotiorum causâ versarem: introductus iussu Illustrissimæ Principis ac Reuerendissimæ Abbatissæ Dominæ Ioannę à Lotharingia, cuius in iurisdictione Episcopali qua monasterium illud in suo territorio fruitur, vices gerebam; ad Archiuum vbi priuilegia, & chartæ loci huius censuales asseruantur: in ipso aditu, Dormitorium, quod imminebat, sub ductu & præsentia eiusdem piis-

* Situm est in diœcesi Meldensi ita celebre, vt in Iure sacro non semel memoretur c. 15. *Cùm à nobis*, &c. ex *parte* De priuileg. & c. *Dilecta*, De excess. prælat.

ſimæ ac religioſiſſimæ Abbatiſſæ & aſſiſtentium ei aliquot monialium conſpicere rogatus ſum, ob vaſtam ædificij molem, ac inſignem ſtructuram. cúmque ingreſſus eſſem, in oppoſito, qui ad caput fabricæ extat pariete, ſolidam Chriſti Saluatoris cruci affixi imaginem vetuſtiſſimæ operæ collocatam aſpexi: in cuius vertice non ſpineum ſertum, non corona, qualem Reges geſtare ſolent, ſed Mitra candida Pontificalis, conſpicua eminet, circulo ac lamina aurea inſtructa. Quo inſigni, Chriſti Redemptoris regale ſacerdotium, percontanti à me reuerendiſſimæ Abbatiſſæ deſignari reſpondi: vnáque Vicariorum eius Euangelij fœderis Pontificum, demonſtrari genuinum ac legitimum ornatum.

Nec refert quòd in Africana Eccleſia Optati Mileuitani iam æuo, Mitræ ſeu mitrellæ * etiam virginibus caſtitatem Chriſto profitentibus, dum initiarentur ab Epiſcopis, in ſignum conſecratæ Deo pudicitiæ ſolerent imponi. Erant ſiquidem ab Epiſcopalibus differentes: tum materiâ, nam ex lana duntaxat, vt ex ipſo Optato liquet, contexebantur: tum etiam formâ, erant enim admodum demiſſæ, vnde non Mitræ, ſed Mitrellæ diminutiuo nomine appellabantur, nullóque ornatu aureo vel gemmato micabant: cùm Pontificales Mitræ ex ſerico auróque confectæ, pretioſis inſuper vt plurimum decorarentur margaritis, ampláque ac ſublimi forma conſtarent, qua Epiſcopalis maieſtas ſplendidior appareret.

* *vel* mitellæ.

Nec pariter obſtat, quòd laïcæ fœminæ mitellis fulgentibus auro & gemmis paſſim inſignes, olim etiam apud Chriſtianos prodirent in publicum conſpectum: etenim Chriſtianarum fœminarum nobilium ornatum hunc fuiſſe ſanctus Hieronymus ſupracitatus diſertè teſtatur. Quandoquidem eodem teſte, fœmineæ mitellæ ſeu Mitræ, non acuminatæ neque ſublimes vt Pontificalia coronamenta, eſſent: enimuerò tantùm erant vela, vel faſciæ biſſinæ capitis, gemmis & bracteolis aureis tremuliſque collucentes. Ideóque mitellas eiuſmodi appoſitè dictas docet apud Hebræos, *realot:* voce ſcilicet quæ venena adæquè ſignificat. Nimirum eo quòd, hoc laſciuientes ornatu, venenatos aſpectus in intuentes viros de-

figerent, vel eorum ad ſe exitioſo hoc illicio pertraherent lubriſcentes intuitus. Nam (vt doctè ac eleganter ait idem Beatus Hieronymus:) *Si vir aut mulier ſe ornauerit, & vultus hominum ad ſe prouocauerit, etſi nullum inde ſequatur damnum: iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, ſi fuiſſet qui biberit.*

Nec etiam id me moratur, quod ſectarij nuper paſſim ogganniũt, Pontifices noſtros muliebria ornamenta qualis Mitra ſit, indecoro affectu ſibi vſurpâſſe. Præterquam ſiquidem ſanctus Hieronymus ſuprà effatus in c. 3. Iſaïæ, quo muliebris mundi ornatus deſcribitur; quaſdam veſtes ac ornamenta quibus ſibi fœminæ decora quærunt, ad Eccleſiæ ornatum ſpectare monet: vt quæ ſcilicet myſtico intellecta ſenſu, interiorẽ animę cultum eximiè deſignent. Sanè muliebrem ornatus appetitum & ambitum, eſſe ſine diſcrimine, omnis decoris ſacri vel profani captatorem, nemo eſt qui neſciat. Sed num ideo quòd effrenis hæc in fœminis pompæ externæ & ornatus exquiſitioris cupiditas, etiam ſacra inſignia plerumque inuaſit, quæ Deus in cultus ſui honorem ac decorem, ſanctuarij ſui miniſtris, maieſtatíſque ſuæ inter homines viuis imaginibus adaptauerat: hæc veri æterníque fœderis Antiſtites abiicient*, atque ſine ſacræ dignitatis decoro apparebunt diuino perfungentes munere? vt ſola nimirũ muliebris mollities omni ornatu glorietur, quaſique propudioſo luxu triumphans, velut ex conceſſo abutatur iis ipſis inſignibus, quibus diuini miniſterij gloria, ſuperni numinis arbitrio atque iuſſu, debuit inter homines maximè præfulgere? Certè in linteaminum nitore, fœminæ etiam Chriſtianæ ſeſe hactenus delectarunt: attamen linea veſte vſum S. Iacobum Apoſtolum fratrem Domini, primum Hieroſolymitanum Epiſcopum (eiúſque ſucceſſores) Egeſippus apud Euſebium l. 2. c. 23. hiſt. Eccleſ. ſanctus Hieronymus ex vtroque catalogo c. 2. ſanctus Epiphanius Hæreſ. 78. aliíque veterum ſcriptorum anteſignani, literis prodiderunt. Sanxit verò Concilium quartum Carthaginenſe, cui ſanctus Auguſtinus interfuit, c. 41. *ne Diaconi alba niſi in ſacro miniſterio vterentur.* Porrò ſanctus Hieronymus lib. 1. aduerſus

* S. Aug. lib. 2. de ſerm. Domini in monte c. 12. tom. 4. *Oues non debẽt* (inquit) *pelles ſuas deponere ſi aliquando eis lupi ſe contegant*, applicatio facilis eſt, dempta vocabulorũ aſperitate.

Pelagianos vltra medium teſtatur, *Epiſcopos & Preſbyteros & omnem Clerum candidis veſtibus in ſacrificij administratione vti.* Zona etiam eſt non poſtrema pars fœminei ornatus, vnde Curtius refert * Dario Perſarum Regi, clade ſua & Alexandri victoria notiſſimo, probro fuiſſe datum, quòd zona aurea muliebriter accinctus incederet. Et tamen dilectus Ieſu diſcipulus, ſua in reuelatione teſtis eſt, ſe eum vidiſſe in gloriæ apparatu, *præcinctum ad mammillas zona aurea.* Quam qui Chriſti vices gerit, cùm defert Pontifex, eapropter muliebris ornatus affectati ſugillari nequit, niſi diuini prototypi ad cuius ſe formam cuius imago eſt, componit, primùm reprehendatur ornatus. Coronam etiam ad fœmineum apparatum ſpectare, nemo eſt in ſacra & profana antiquitate vel tenuiter verſatus, qui ignoret. Maximè ſponſis impoſitam etiam ſacræ ſcripturæ inſinuant: móſque etiam tum perdurat, vt nupturis virginibus coronæ ſeu ſerta decoris ac honoris cauſa conferantur. Nihil hoc tamen ſacerdotali derogat apici, cui coronæ decus primario iure diuinitus conceſſum eſt. Quamobrem vtrumque morem miro conciliauit artificio Spiritus ſanctus Iſa. 61. vbi enim Vulgata habet, *& ſicut ſponſum decorauit me corona* (nam & ſponſi coronabantur) ex Hebræo verti debuiſſe periti huius linguæ obſeruant, *tanquam ſponſum* (iecahen) *ſacerdotauit me Mitrâ;* ſic enim poſt Septuaginta, Vatablus & Pagninus vertendum aduerterunt. Aquila verò, legendum cenſuit *quaſi ſponſus, ſacerdotij portans coronam.* Chriſtus enim ſimul ſponſus & Pontifex, coronam vtroque iure in cruce geſtauit. Cuius Vicarij Chriſtiani Antiſtites, proprias vt quique Eccleſias, ſicut Virgines caſtas deſponſarunt: ideo vt ſponſi coronati, & Pontifices ſacro diademate redimiti, Mitram in vertice geſtant, & pronubum, quem vocat Tertullianus, ferunt annulum in digito. Nihil mirum igitur ſi (quemadmodum ſanctus Hieronymus ad caput tertium Iſaïæ annotauit) fœminei ornatus, Eccleſiæ, cuius Epiſcopi duces ſunt & apices ſponſique ac Principes, accommodentur, myſtico ſignificatu: ſine quo inſignia iſta quiſquis aſpicit, deficit à proprio rei

* *lib. 3. poſt initium.*

Apoc. 1.

intellectu. *Nam omnis gloria filiæ Regis ab intus est.* Psal. 44.

Verùm ne extra oleas (vt aiunt) longiùs videamur euagari : è diuerticulo, rectum redeamus in nostri instituti tramitem. In Africa sacris virginibus Mitras impositas fuisse ab Episcopis suprà ex Optato Mileuitano perspectum fecimus. At ab infulis Pontificalibus, quas perferebant ipsi Episcopi, notabili discrimine differentes fuisse etiam indicauimus. In vsu iam verò Mitram & coronam fuisse Episcoporum receptam ipsa in Africa, monimento constantissimo illa est corona sacerdotalis, quam muneris pretiosi gratiâ missam à Tyranno Mauro, veniæ & pacis ambitore, Theodosio magno Imperatori, ab eoque grâtis obtutibus receptam, suprà ex Ammiano Marcellino commemorauimus. Indicio quoque etiamnum spectabili, Mitra est S. Augustini, quam suprà quoque recensuimus, ex Africa in Sardiniam vnà cum venerabili eius corpore, baculóque eius pastorali, aliísque pretiosis eius pignoribus euectam ab Episcopis hinc ob fidei sinceritatem depulsis: demúmque Ticinum, à Luitprando Rege honorificè translatam, vbi nunc vsque iisdem cum sacris reliquiis eo quo decet cultu asseruatur. Nec est quòd parum verisimile quispiam existimet, Mitram à sancto Augustino gestatam : qui ad mentem reuocauerit, quod suprà probatum est : scilicet eodem ornatu ipsóque splendidissimo vsum fuisse sanctum Ambrosium, cuius vt ipsemet Beatus Augustinus præcipuus discipulus, ita & sedulus in doctrina & factis imitator erat.

Solum verò Augustinum in Africa, & Ambrosium in Italia hoc Pontificio insigni vsos, absurdum foret arbitrari : cùm modestissimi fuerint & æquè nouitatis omnis osores, ac singularitatis inimici. Porrò vt non primi, sic nec postremi censendi sunt, qui hoc ornatu sacro conspicui, Episcopalis dignitatis decus venerandum populis indicarunt. Qui sanctorum gesta accuratiùs peruoluerit, facilè pleraque in iis exempla reperiet sacratissimæ huius praxis : quam & vetustissimæ sanctorum Episcoporum imagines (præter antiquissimos etiam

iconiſmos ſummorum Pontificum, quos ex archetypis, æneis impreſſos tabulis, Ciaconius in Pontificali ſua Hiſtoria ſpectandos, vitis Pontificum præfixit:) quæ poſt ſæuam hæreticorum rabiem, qui harum myriades deturbarunt aut deleuerunt, huc vſque ſuperſtant, euidenter oſtendunt atque teſtantur. Sanè in Gallia, florens ſpectatæ ſanctitatis ac raræ eruditionis gloriâ Vincentius Lerinenſis, qui paulò poſt Concilium Epheſinum (vt ipſe notat) excellens ac percelebre commonitorium ſcripſit contra profanas vocum nouitates: patenter in eo meminit ſacerdotalium coronarum, quas deiectas antea ſæuientis hæreſis turbinibus, repoſitas demum gratulatur. *Et deiectas* (inquit) *ſacerdotum coronas reponeret.* Duplicis coronæ ſacerdotalis memoratur etiam ſanctus Germanus Conſtantinopolitanus, Patriarcha, in Theoria rerum Eccleſiaſticarum *. Quarum cùm altera capillorum deciſione in vertice formaretur: altera alia eſſe non poterat, quàm quæ myſtico ornatu in Pontificis capite radiabat.

* *Tom. 2. Biblioth. ſanctorũ Patrum.*

Amictum quidem omnibus ſacris miniſtris cum alba conceſſum, ſunt plerique qui velint Mitræ loco fuiſſe, mitellámque ideo etiam appellatum. Cui opinationi fauet Pariſienſis Eccleſiæ mos perantiquus, etiamnum perdurans, quo ſacerdos cum miniſtris ſacris operando, amictum cum alba ſic ornatum gerit, vt ſupra ipſum videre ſit ex holoſerico, vel textura aurea, aliáve pretioſa materia, opificio caſulæ vel dalmaticarum conſimili aſſutam plagulam, decenter verticem cooperientem & frontem ſacri myſtæ adumbrantem, vt non abs re ad inſtar infulæ cuiuſdam impoſita, ad decorum augendum miniſterij videri poſſit. Perſimilis ornatus ſuper vtriuſque manicæ extremitatem intextus, atque in albæ, quam *paratam* vocitant, antica ac poſtica parte extrema conſertus, non modicam conciliat myſtici apparatus decentiæ venuſtatem. Nec modò in Cathedratica iámque Metropolica Baſilica, mos hic iampridem inualuit: In eiuſdem vrbis præcipuis Eccleſiis Collegiatis ac Parœcialibus, huc vſque perſeuerat. Imo in nonnullis Galliarum Cathedraticis aliíſque

que inſignibus templis idem hodiéque ſeruatur; quem acceptum eſſe à peruetuſta maiorum theoria, indicio ſunt antiquiſſimæ ſacerdotum ac Pontificum imagines, eorum tumulis inſculptæ, vel parietibus appictæ. Ceterùm amictus ornatu vſos pridem Romanos, teſtis eſt Virgilius 3. Æneidos, vbi ait

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Non hinc tamen acceptum habent Chriſtiani ſacerdotes amictum ſuum, quem vice ſuperhumeralis, quo Leuitici myſtæ inſigniebantur vſurpatum, docet vetus auctor aurei libelli qui prænotatur *gemma animæ*, ſeu *de antiquo Miſſæ ritu* cap. 201. inſcripto de humerali, quem amictum ſubinde nuncupat; quemadmodum Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccleſ. Offic. cap. 1. titulo de amictu. Meminit eiuſdem Rupertus Abbas lib. 1. de diuinis Offic. cap. 19. his dignis obſeruatione verbis. *Sacerdos in officio altaris, capitis ſui, ſcilicet Chriſti cuius membrum eſt, perſonam gerit: quodam amictu caput ſuum obnubit, donec ſuper os caſulæ illum reuoluat, & velut caput aut coronam illi coaptet.*

Præter hunc ornatum, Epiſcopos coronam geſtaſſe, haud operoſum eſt peruincere. Locus ex tractatu Arnoldi Abbatis Bonnæuallis ſynchroni ſancti Bernardi ac familiaris amici, de ſeptem verbis Domini in cruce hîc mirificè collineat. *Sequitur* (inquit) *octauus ornatus Pontificis, Thyara videlicet, quam etiam* Tom. 1. Bibl. SS. PP. *nonnulli vocant galerum vel cidarim. Hac etiam minores Sacerdotes vtebantur, erátque byſſina, circundatâ coronula aurea, opere textili facta, ſicut hodie phrigium* MITRIS *noſtrorum Pontificum plerunque conſuitur, erátque in modum caſſidis portatilis, aliquantulùm verticis cacumen in ſublime excedens, aſtringebatúrque capiti vitta hyacinthina, ne caſu aliquo, immolante Pontifice laberetur. At verò ſummi Thyara Pontificis excellentior erat: & præter hæc laminam auream (quam Plateum** * Petalon. *vocant) fronti habebat inſertam, in qua nomen Dei quod apud Hebræos ineffabile dicitur ſcriptum erat. Hæc Thyara quæ caput tegit & ornat Pontificis, totámque eius pulchritudinem coronat & protegit* (vt dictum eſt ſu-

* *Ex S. Hier. ad Fabiolam de vest. sac.*

prà *) *omnes sensus capitis Deo indicat consecratos, & totam corporis gloriam debere ad caput referri.* Hæc insignia profectò verba, eo loci habet Arnoldus, qui iisdem præsertim intendit Pontificum Christianorum apparatum, in Aaronico figuratum ostendere : vnáque docere notabile ornatus discrimen, quo simplicibus Presbyteris, Episcopus antecellit : quibus tantùm alba vestiri, superhumerali amiciri, velut coronula quadam in priscorum Sacerdotum galero seu cidari figurata, cum cetero sacrorum vestimentorum apparatu, concessum esse subindicat ; cùm Pontificibus nostris Mitræ (phrygio etiam circumplexo *) impositum ornamentum, sacræ prærogatiuæ decus singulare conciliet. Quod etiam perspicuum videre sit in præmemorato ritu ab Herardo Metropolita Turonensi, & Collegis eius obseruato in ordinatione Electranni Episcopi Redonensis. Postquam enim consueta allocutione, initiandum Pontificio admonuerunt, ceremonias à se seruatas in eius promotione seriatim recensent, hoc verborum, qui in eorum formulari epistola leguntur, contextu. *Hæc ergo* (inquiunt) *aliáque ad institutionem & informationem fidelis viri, fratris & filij nostri Electranni die præfixo, verbo pariter & stylo promulgantes,* PONTIFICALI *eum* INFVLA *adornantes, sacra quoque benedictione,* MORE *sanctæ Ecclesiæ ditantes, annulo quoque dotantes, & baculo decorantes sanctæ Redonensi Ecclesiæ Pontificali eum ordine præferimus : & paternè Cathedrali solio sublimantes, confratrem, consacerdotem & comparticipem in regimine & gubernaculo Ecclesiæ sanctæ, nobis ex integro Dei nomine effecimus, manuum quoque annotationibus confirmauimus.* Qua in Episcopalis ordinationis canonica iam tum obseruata formula, cùm perfectam panopliam Episcopalis ornatus conspicere sit, imprimis infulæ seu Mitræ decus spectabile est, quo sacer nuperi Præsulis vertex, de more exornabatur. Anno autem cùm octingentesimo sexagesimo sexto, peracta fuerit illa ordinatio : hinc planè liquet longè antiquiorem esse etiam in Gallia insignis huius Episcopalis vsum, quàm Scholiastes sæpè fatus, aliúsque Ec-

* Sic ornatũ se vidisse refert apud S. Dionysiũ die sancto Pachæ Innocentium II. Sugerius Abbas in lib. de vita Ludouic. Grossi Regis : *capiti eius* (Papæ scilicet) *Frigiũ instar galeæ circulo aureo circinatã imponunt.* Cuiusmodi ornamenti decore insignîta, Auenione ostenditur Mitra Innocentij IV.

clesiasticæ antiquæ supellectilis indagator, opinentur; qui ab annis quingentis vel sexcentis duntaxat, Mitræ, seu cuiusuis alterius Episcopalis coronæ ornamentum, vsu receptum in Ecclesia persuadere volunt. Quorum etsi opinio ex superiùs citatis auctoritatibus & exemplis validè refellatur, vel hoc vno sanè Episcoporum Prouinciæ tertiæ Lugdunensis testimonio, adeò authentico vt impugnari non possit, quàm à vero procul dissideat, euadit penitus exploratum. Cui accedit antiquius rei eiusdem monimentum in gestis sancti Birini Dorcestriensis Episcopi, quæ Scholiastes ipse in annuli Pontificalis commendationem laudat: at licèt æquè pertineret hæc auctoritas ad coronæ Episcopalis confirmationem, volens lubénsque nihilominus ne sibi noceret prætermisit; illic enim specialis extat mentio Episcopalis infulæ, quam sanctus ipse Birinus cum cruce pectorali & annulo gesserat. Vbi inuentionis siquidem eius series denarratur, hæc notatu digna legere est. *Inuenisse corpus Episcopi integrum, cum duplici stola, &* INFVLA RVBRA E PANNO SERICO, *atque cum cruce è metallo confecta, pectori eius imposita. denique cum calice ad vmbilicum posito.* Et infrà, *Inuentus quoque annulus &c.* Floruit autem S. Birinus, cuius hæc sacra insignia erant, circà ann. 640. sub Honorio I. Pontifice, à quo in Angliam Euangelij prædicandi, promouendæque fidei gratiâ, missus fuerat. *Apud Sur. 3. Dec.*

Certè eo tempore quo ortum Mitræ Pontificalis aduersarij consignant, nuperi eius initij æstimatores: iamiam tanta erat antiquitate vsitatus, ipsóque nomine ac ordinariæ gestationis ritu in tota Ecclesia celebris, vt summi Pontifices suis in diplomatibus, passim de hoc Episcopalis dignitatis præcipuo insigni, quasi omnibus notissimo, tritissima vocitatione mentionem facerent. Tam illustre porrò in Episcoporum capitibus ornamentum, quomodo tunc vsui tantùm esse cœpisset: quo iam tempore Abbatibus aliquot insignioris notæ, à Pontificibus maximis fruendi eo facultas, munificis codicillis concedebatur. Sanè Vrbanus II. priuilegio dato sancto Hugoni Cluniacensi Cœnobiarchæ anno 1088. signa-

tim eidem indulget ac permittit vſum Mitræ Epiſcopalis. *Tibi* (inquit) *planè peculiari deuotione concedimus, vt in proceſsionum Miſſarúmque ſolennibus*, MITRA VTARIS EPISCOPALI. *In præcipuis verò feſtiuitatibus : id eſt in quinque quas præcipuas habetis, & in Theophania, & in Aſcenſione, nec non in Dedicatione veſtræ Eccleſiæ, dalmaticam, chirotecas & ſandalia induaris. Et hoc ad tuæ religionis euidentiam, atque oſtenſionem noſtræ peculiaris dilectionis, quam ex ſede Apoſtolica magis meritis exigentibus promereris.* Quam gratiam deinde etiam ad eius ſucceſſores extendit, indulto dato Placentiæ Pontificatus anno 8.

Extat in Bibl. Clun. col. 514. & 515.

Extat ib. col. 516. 517. 518.

Alexander II. antea vſum Mitræ & ſandaliorum Pontificalium Egelſino Abbati ſancti Auguſtini Cantuarienſis, & eius ſucceſſoribus contulerat anno 1063. *Hunc apicem* (inquit ipſe Alexander Papa in ſuo munifico diplomate) *habere perpetuò rectorem decreuimus Auguſtinienſem, ob ipſius* (B. Auguſtini) *Romanorum alumni, & Anglorum Apoſtoli dignitatem.*

Vide Concilia Britannica, edita Londini pag. 118.

Ceterùm cùm ſubinde inferioris gradus Abbates, idem conſequi priuilegium quaſi certatim ambirent: inſolentior hæc affectatio tunc viuentibus ſanctis Patribus viſa eſt. Ex quibus ſanctus Bernardus ſcribens ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem, typhum tantæ vanitatis aculeatis his verbis perſtrinxit. *Verùm apertè indicant* (Abbates ſcilicet, contra quos pio feruore excandeſcit) *quidam horum quid cogitent, dum multo labore & pretio, Apoſtolicis adeptis priuilegiis, per ipſa vendicant inſignia Pontificalia, vtentes & ipſi more Pontificum* MITRA, *annulo atque ſandaliis. Sanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc monachi abhorret profeſsio. Si miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus: profectò eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt, meritóque non queunt eſſe ſubiecti, quibus iam ipſo ſe comparant deſiderio. Quid ſi & eis nomen conferre priuilegiorum poſſet auctoritas? quanto putas auro redimerent, vt appellarentur Pontifices?*

S. Bern. ep. 42. in fine.

Eò res tandem nihilominùs deuenit, vt ſanis monitis tanti Patris nonnullorum Abbatum ambitus eiuſ-

modi præualeret. vſus ſiquidem Mitræ & aliorum Epiſcopalium inſignium, petentibus fere vbique monaſteriorum Præfectis conceſſus eſt. Id tamen ſancti Bernardi monimento profectum, vt Ordinis eius Abbates, ſeriùs hoc decus Epiſcopale expoſcerent ac impetrarent. Non enim niſi anno 1489. id honoris conceſſum Ioanni Abbati Ciſtercienſi, & quatuor primis eius Ordinis Abbatibus, Apoſtolico indulto Innocentij VIII. dato Romæ Pontificatus ann. 5. Hoc enim etſi expoſuerint poſtulantes, ſe ex Apoſtolicis priuilegiis ius habere, *Mitra & annulo & aliis Pontificalibus inſigniis vti:* ante hoc nullum tamen priuilegium Ciſtercienſes oſtendunt (vt ex collectione edita * Ordinis ipſius priuilegiorum patet) quo decus hoc ſibi comperiatur impertitum.

* *à Chryſoſt. Henriquez ad calcem Menologij Ciſtercien.*

Attamen quòd iam Clementis Papæ IV. tempore vſus hic Epiſcopalium inſignium, pleriſque Benedictini præſertim inſtituti Abbatibus attributus eſſet Sedis Apoſtolicæ Pontificum conceſſu, vel inde colligitur, quòd cùm Abbates illi modum menſurámque legitimi vſus extenderent, Mitras pari ornatu decoras ac Epiſcopi geſtantes; neceſſe fuerit præfato ſummo Pontifici exceſſum eiuſmodi edita ſanctione coercere. Qua primùm declarauit, Mitræ vſum Abbatibus non competere de iure communi. Deinde circa Mitræ vſum in illis qui priuilegio gaudent, deberi attendi priuilegij tenorem, formámque huius ſacri ornatus præſcriptam. Poſtremò edixit Mitris tantummodò aurifriſiatis, non habentibus laminas in Prouincialibus & Epiſcopalibus Conciliis, quibus adeſſe tenentur, Prælatos eiuſmodi inferiores vti poſſe, quibus per priuilegium, Epiſcopale hoc inſigne gerere conceſſum eſt, ſi ſint exempti. Si verò exemptione non polleant, albis & planis duntaxat vti licere. *Cap. ſexto de priuilegiis, in ſexto.* Cuius Pontificiæ conſtitutionis quòd breuis ſit, in gratiam lectoris, haud abſque operæpretio fore mihi viſum, hîc per ſeriem verba retexere.

Vt Apoſtolicæ Sedis benignitas, quæ nonnullis Abbatibus, aliiſque Prælatis, quibus non competit ex propria

dignitate, conceßit in Ecclesiarum suarum gloriam & honorem, quòd MITRA *& aliis Pontificalibus vti poßint *, prouideat, ne inde scandalum oriatur: sic tamen quod ipsi priuilegiati suorum priuilegiorum non frustrentur effectu, & ex maioritate ac decore maiori ornatuum, maioritas appareat dignitatum. De fratrum nostrorum consilio, præsenti decreto statuimus, vt Abbates & alij quibus Mitræ vsus est ab eadem Sede concessus, exempti quidem in Prouincialibus Conciliis & Episcopalibus Synodis (quibus nonnulli eorum interesse tenentur) Mitris tantummodò aurifrisiatis, non tamen aureas vel argenteas laminas, aut gemmas habentibus vti poßint: Non exempti verò simplicibus & albis ac planis vtantur. In aliis verò locis exemptis & non exemptis, Mitris liceat illis vti, prout concessa eis ab eadem Sede indulta permittunt.* Hactenus Clemens IV. in suo hac de re constituto. Quod ratum habens Bonifacius VIII. in sextum Decretalium retulit, quò perpetuæ legis vim huic impertiretur.

Clericis Lugdunensibus primoris classis, id etiam honoris delatum constat ex summæ Sedis indulgentiâ. Qua Primatialis Ecclesiæ non modò, sed collegiatarum quoque Ecclesiarum, eius metropolicæ sedi subiacentium sacri ministri diuinis operantes, nimirum Presbyter, diaconus & subdiaconus infulati, solemni ritu altari deseruiunt. Porrò Primicerio Ecclesiæ S. Marci Venetiarum Alexander III. obsequiorum, quæ ipsi Respublica illa magnis in angustiis constituto impenderat, obtentu; speciali indulto etiam permisit vt Mitra & baculo insignitus sacra munera perageret.

Ceterùm etiam Mitræ vsum alma Sedes Hierosolymitano Minoritarum custodi, vt summi Pontificis in terra sancta Vicario, cum ceterorum Episcopalium insignium panoplia communicauit, quo etiamnum priuilegio claret, non sine Ecclesiæ sancti Sepulcri, in qua hoc ornatu conspicuus celebrat diuina mysteria, ingenti decore, & peregrinorum Latinorum eò confluentium non mediocri solatio. Maronitarum Antistitibus, qui cum hac gente Libanum montem inco-

* Diu ante hâc Clem. IV. constitutionem discrimen in vsu fuerat inter Episcopales Mitras & Abbatiales. Ad quod spectasse mihi videtur Sugerius S. Dionys. Cœnobiarcha in libello de consecratione Ecclesiæ eiusdem S. Dionysij: sic enim scribit, Episcoporum exprimens in dedicationis huius officio Pôtificalê apparatû; *videres, & qui aderât non sine deuotione magna videbât, tot tantorum choream Pontificum, vestibus albis decorâ,* MITRIS PONTIFICALIBVS, *& circinatis aurifrisiis pretiosis admodum comatam, pastorales virgas manu tenere &c.* vbi ad distinctionem has Mitras Pontificales appellat; & circinatas fuisse, aurifrisiatas, signatim meminit, qua specificatione subindicaret Mitras, quas Abbates perferebât fuisse planas duntaxat & simplices. Vide tractatû præcitatum Sugerij apud Quercetanum tom. 4. Histor. Franc. pag. 357.

funt, eorundem infignium decus etiam eadem ex gratia in vfu eft. Romanæ Ecclefiæ hi fequuntur fidem & fedem, habentes nihilominus proprium Patriarcham, fibi ab Hadriano VI. conceffum, Antiochenæ Ecclefiæ titulo præfulgentem. Refidet in Monafterio fanctæ Mariæ Carnobim vel Chernubim Montis Libani, habétque fub fe decem Epifcopos fuffraganeos, quorum opera & confilio in religionis & fidei caufis vtitur: eófque (fi ratio poftulat) ad fuæ curæ commiffas oues, per Syriæ vrbes & oppida difperfas ablegare folet. Proprias fiquidem diœcefes Epifcopi illi nullas habent, fed incerta fede vagantur, & prout Ecclefiæ neceffitas exigit difcurrunt, multitudines moderantur, & Patriarchæ fui mandata exequuntur. Mitra autem, aureo annulo, ceterifque infignibus Pontificalibus, Occidentalium Antiftitum more, in facris vtuntur myfteriis: cùm ceteri Orientales Epifcopi omnes careant hoc ornatu *.

Mofcouitis tamen qui ritum Græcum fequuntur, atque Conftantinopolitano Patriarchæ fubiacent, Mitra vfui eft. Illorum fiquidem Epifcopi Mitras, fed nigras & rotundas ferunt. Solus Archiepifcopus Nouogardienfis albam Mitram, eámque bicornem gerere confueuit. Quemadmodum Sigifmundus liber Baro in fuo *rerum Mofcouitarum commentario* refert *cap. de religione*. Porrò ad formam Mitræ quod fpectat, difcrimen illud quod in Mofcouia cernitur inter rotundam & bicornem Mitram, hîc indifcuffum non debet præteriri. Certè in Latina Ecclefia etiam rotundam Mitram, fed in acumen affurgentem fuiffe in vfu, antiquæ Epifcoporum imagines, quæ etiamnum confpiciuntur: fignatim verò in dextra frontis porticu magnæ Ecclefiæ Parifienfis, monimento effe poffunt. Frequentiorem tamen fuiffe vfum Mitræ bicornis longè plures demonftrant, quæ hodiéque fuperfunt, veteris Epifcoporum ornatus imagines, quæ facris plerifque in locis fculptæ vel depictæ vifuntur. Eruditiffimus Quercetanus in notis ad vitam fancti Maioli, quæ extant ad finem Cluniacenfis Bibliothecæ ectypum repræfentat

* *Vide Cotonicium pag. 190. Itinerarij Hierofolym. & Syriaci.*

ærei numiſmatis perantiqui, quo expreſſa cernitur effigies ſancti ipſius Maioli (qui Saluiniaci in Aruernis obiit anno ſalutis 994. 5. Idus Maij, poſtquam Cluniacenſi Ordini annos triginta octo præfuiſſet) in Epiſcopali ornatu. Baculum etenim in manu geſtat Paſtoralem, & mitram in capite, non admodum altam, ſed à circumferentia ipſius capitis, ſtatim ſe erigentem in acumen: à latere autem non ſectam ſed clauſam, dependentibus à tergo duobus appendiculis, quæ in Epiſcopalibus Mitris eſſe ſolent.

Qua ex effigie colligere licet ſanctum Hugonem, cui Vrbanus II. Mitræ vſum conceſſit, non fuiſſe primum Abbatem Cluniacenſem, qui hoc emicuit ſacro inſigni. Vrbanus certè idem, in diplomate anni 1095. meminit priuilegij indulti à Gregorio VII. mediato ſuo anteceſſore, Abbati & Monaſterio Cluniacenſi. Sed cùm ſanctus Maiolus obitu ſuo ortum Gregorij præceſſerit, mitráque ac baculo vſus fuerit, antiquior equidem horum inſignium conceſſio, priuilegio ipſius Gregorij Papæ quòd fuerit, inde prorſus euadit perſpicuum. Et verò qui attentiùs conſiderauerit verba priuilegij, quo Gregorius ipſe ſeptimus Wrazlao Boëmiæ Duci vſum Mitræ confirmat, antè (anno ſcilicet vt ſuprà innuit magnus Cardin. Baronius 1068.) ipſimet Duci, ab Alexandro II. Papa indultum: facilè inde deprehendet, ornamenti eiuſmodi communicationem Clericis vel Monachis antea conceſſam fuiſſe. Sic enim Gregorius VII. in munifico ad prædictum Wrazlaum Ducem ſuo reſcripto, quod extat lib. 1. epiſt. 38. eius regiſtri * illum alloquitur. *Longa iam temporis interualla tranſacta ſunt, ex quo & nobilitas tua B. Petro Apoſtolorum Principi, non modicæ deuotionis animum ſpopondit & ſtudium: & tibi in Apoſtolicam Sedem, inter ceteros Principes larga benignitas præ multis etiam ſingularis, & egregia fuit aſtricta charitas. Cuius rei fidem & indicium ex beneuolentia Domini & anteceſſoris noſtri Alexandri Papæ, ſatis percepiſſe potes: qui petitionibus tuis nonnunquam ſine ſua & filiorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſollicitudine & labore condeſcendit, & ad ſignum intimæ dilectionis*

* *Tranſcripti tom. 3. Concil. part. 2.*

ctionis quod laicæ personæ tribui non consueuit, Mitram quam postulasti direxit. Antè igitur ea vti, aliis quàm laicis, Clericis nimirum Episcopis inferioribus, & Monachis quibusdam spectatioribus, Abbatibus scilicet præcipuæ considerationis permissum erat, iámque mos inualuerat apud Sedem Apostolicam conferendi inferioribus Prælatis, huiusmodi priuilegij. Proinde hinc inferre quisque meritò potest, neutiquam eos audiendos esse, qui à quingentis vel sexcentis ad summum annis, vsum Mitræ ab Episcopis cœptum contendunt. Cùm antè iam Abbatibus, insignis huius Episcopalis communicatio, à summis Pontificibus fuisset impertita. Imò hoc ipso tempore, quo primùm cœpisse volunt Mitræ ornatum in Ecclesia à Pontificibus gestari, vsus eiusdem laico Principi singulari priuilegio fuerit concessus. Qui hactenùs (vt ait Gregorius idem confirmans indultum) laicæ personæ tribui non consueuerat.

CAPVT IV.

Digreßiuncula contra segregum ironias ac argutationes.

VERVM hac dissertatione, à nobis cum nuperis ritualistis censoribus, non infaustis auibus, vt reor equidem, peractâ: superest hîc etiam manus cum sectariis conserere, qui cùm omnia sacra Christianæ religionis mystarum ornamenta repudient, efflictim Mitræ insigne abolitum ire nituntur.

Et primò quidem ab ipsa eius antiquitate negotium nobis facessunt. Ornatum siquidem Mitræ Pontificum ac Sacerdotum, esse iam olim illustrem non abnuunt: at Antistitum Ethnicorum, non verò Christianorum. Quòd enim pridem Pseudonuminum sacrificuli, eo insigniti claruerint ornatu, perspectum esse ex Gentilium Historiæ certioribus monimentis. Philostratus etenim in vita Apollon. lib. 2. & 3. testis est, sacerdotes Brach-

manos litare ſolitos, Mitra nitentes gemmis decorata. Lucianus quoque literis prodidit Deæ Syriæ Sacerdotem ſummum, auream Mitram ſacris operando pertuliſſe. Sed & apud Romanos mos hic inualuit. Maximo ſiquidem antiquæ ſuperſtitionis Pontifici, conſimile ornamentum fuiſſe in vſu, ex Prudentio elicitur ſic canente in Romani Martyris Epinicio.

Periſteph. hym. 9. inter med. & fin. tom. 8. Bibl. Patr. p. 515.

Summus Sacerdos, nempe ſub terram ſcrobe
Acta in profundum, conſecrandus mergitur,
Mirè infulatus, feſta vittis tempora
** Nectens, corona tum repexus aurea,*
Cinctu Gabino ſericam fultus togam.

** Nexus.*

Sed hæc & millia eiuſmodi iacula, petita ab hæreticis ex Ethnicorum penu, nos minimè terrent; doctos ſcilicet à ſancto Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana*, *ſi qua forte Ethnici ſcriptores affinia rebus noſtris prodiderunt, non ſolùm formidanda non eſſe, ſed ab eis tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus, noſtrum in vſum vindicanda.* Arripuerunt ſiquidem multa ex veræ religionis ritibus, quæ ideo profana à piis æſtimari non debent, quòd ab infidelibus fuerint illicitos in vſus impij cultus traducta. Numam Pompilium, quis neſciat à Pythagora mutuaſſe ſacrorum pleroſque ritus ac mores, quos hic à Platone, Plato ex Moſis libris deſumpſerat? Mitræ ornatum & coronæ, Dei iuſſu, fuiſſe à Moyſe tributum ſummo antiqui fœderis Sacerdoti, ſuperiùs inſinuatum eſt ex ipſis Moſaïcæ legis codicibus. Hinc igitur diaboli aſtu, qui ſimia Dei eſt, fieri contigit vt gentiles idololatriæ cultui dediti, ſacrum eiuſmodi ornatum cum aliis pleriſque, impium ad vſum ſuæ ſuperſtitionis detorſerint. Quem demum iure ſuo vtens Chriſtiana religio, Moſaïcæ hæres, ſuis Pontificibus vindicauit: melioríque iure quàm Moſis Synagoga, Chriſti Eccleſia, ſua fecit: ſiquidem (vt ait ſanctus Hieronymus epiſt. 128. ad Fabiolam de veſte ſacerdotali:) *omnia indumentorum priſci Pontificatus inſignia in Chriſto perfectiùs conſummata ſunt, quàm fuerant prægeſtata ab Aarone.*

** paulò ante finem. Vide inſuper c. Legim. diſt. 38.*

Præterea à cornibus ſegreges argumentantur, ver-

ſúmque illum priſci Poëtæ incutiunt,

Indignata ſequi torquentem cornua Mitram. Statius lib. 1. Thebaid. in fin.

Hinc inſultat Caluinus Epiſcopis, quos per ludibrium paſſim cornutos appellat. Primus irriſorum tamen non fuit, qui hoc Epiſcopale decus in ludibrium traduceret. Quidam hæretici (ait Durandus*: nempè Albigenſes & Waldenſes, recentiorum ſectariorum prodromi) Mitram, & eius cornua, ac Epiſcopum illum geſtantem irrident & improbant; mouentur verò quòd ſcriptum ſit Apoc. 13. *vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni.* Sed hæc nihil ad rem faciunt, & ſi quoſpiam lædunt, certè ipſos hæreticos, qui proprium in dedecus ac ludibrium, locum hunc afferunt ad religioni illudendum. Certè, vt ex ſanctis Patribus obſeruauit S. Thomas * *duo cornua agni duo ſunt teſtamenta, quibus ſcientia ſalutis quam docuit Chriſtus continetur.* Quibus dum hæreſis, bellua hæc immanis, cuius ſectarij filij ſunt, abutitur in animarum quas corrumpit perniciem : perperam ſe Scripturæ diuinæ auctoritate niti gloriatur, cuius immeritò vſurpat ſibi doctrinæ, quam ſequi ſimulat, præſidium. Profectò ſi eo quòd beſtia (quæcumque tandem futura eſt) quam præuidit B. Ioannes, duo cornua geſtabit, arguere licet fore omnes antichriſtos, quicunque cornua quauis ratione perferunt. Moſem ipſum, hæretici prodromis igitur antichriſti adcenſeant, cuius cornuta facies coram omni populo apparuit, dum de monte tabulas legis deferens deſcendebat, Exod. 34. 30. Obſtupuit enim omnis Iſraël, nec aſpicere fixis obtutibus poterat.

* Lib. 3. c. 13. Rat. Diuin. Off.

* In hunc locū.

Flammea cornuto librantem lumina vultu,
Geſtantémque ſacris iura ſuperna libris.

Cornu in ſacris Scripturis, paſſim gloriæ & poteſtatis ac principatus ſignaculum eſt. Vnde Pſalm. 131. *Illuc producam cornu Dauid :* id eſt exaltabo regiam eius maieſtatem : ſic de Ioſeph poſteris, ſcilicet regibus naſcituris ex Ephraim, prænuntiat ipſe Moſes Deuteron. 33. 17. *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in illis ventilabit gentes.* Ita & 1. Reg. 2. 10. *Dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui.* Aliis certè pleriſque di-

uini codicis locis, cornu pro poteſtate ponitur, verbi gratiâ 1. Paralipomen. 25. 5. Pſalm. 17. 3. 43. 11. Eccleſ. 47. 6. 8. & 13. Ierem. 48. 15. Thren. 2.3. & 17. Mich. 4. 13. Pro gloria verò & honore conſignatur alibi: videlicet Pſalm. 88. 18. 91. 11. 111. 9. Eccleſ. 47. 6. Apoc. 5. 6. Denique cornu, pro ſymbolo vnctionis regiæ & Sacerdotalis in ſacra Scriptura inſinuatur. 1. Reg. 16. dicit Dominus ad Samuëlem, *imple cornu tuum oleo*, &c. *prouidi enim mihi Regem*. Et 3. Reg. 39. *Sumpſit Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo & vnxit Salomonem.* Sic Iſaïæ 5. 1. qui ad ſacrum vel ciuilem populi principatum vocatur, à Domino, filius dicitur olei. *Vinea facta eſt dilecto meo, in cornu filio olei.* Eleganter verò ambo vtriuſque principatus apices, filij olei appellantur. Zac. 4. *Iſti ſunt duo filij olei, qui aſsiſtunt Dominatori terræ:* hic enim ſecundum præcipuos interpretes innuuntur Princeps populi, & ſummus Sacerdos, ſcilicèt Zorobabel & Ieſus filius Ioſedech: *in his namque duobus perſonis* (Principis ſcilicet & Pontificis) ait Auguſtinus lib. 2. de Euangeliorum conſenſu cap. 1. *apud populum Hebræorum myſtica vnctio figurabatur, id eſt Chriſma. Vnde Chriſti nomen elucet, tantò antè, iſta euidentiſsima ſignificatione prænunciatum.* Quo reges & Pontifices (qui ipſius Chriſti ſummi Sacerdotis, & Regis regum terræ, vices apud nos gerunt) etiamnum religioſo ritu inunguntur. Vnde celebre Gelaſij Papæ ad Anaſtaſium Imperatorem hoc prodiit documentum. *Duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas* &c. diſt. 96. can. 10. In cuius ſignum dignitatis Rex diadema geſtat, Pontifex verò Mitram ſeu ſacerdotalem coronam: quæ non abſque myſterio bifida duplici cornu in eius promicat vertice. Nam cornu, vt ex præmiſſis patet, indicium eſt ſacræ vnctionis: dupléxque ideo eſt, quòd honorem ſimul & poteſtatem deſignet, quâ Sacerdotij Principatus præſtat. Vtriuſque etiam teſtamenti innuit ſcientiam, quâ Clerus & populus, ab Epiſcopo erudiendus eſt. Vnde ex ritu Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo impoſiturus, in eius or-

Vide Pontific. Roman. tit. de conſec. electi in Epiſc. ſub fine.

dinatione, hoc Pontificale ornamentum, Præantiſtes ſic orat, cum Epiſcopis qui ei hac in ſacra actione ſuffragantur. *Imponimus Domine, capiti huius Antiſtitis & Agoniſtæ tui Galeam munitionis & ſalutis, quatenus decorata facie & armato capite, cornibus vtriuſque teſtamenti terribilis appareat aduerſariis veritatis, & te ei largiente gratiam, impugnator eorum robuſtus exiſtat: qui Moyſi famuli tui faciem ex tui ſermonis conſortio decoratam lucidiſſimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus inſigniſti, & capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi iuſſiſti, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

Sed Petrus Molinæus lib. *de Paſtorum vocatione*, ritum Pontificiæ ordinationis, pro ſuo more ſacra omnia in ridiculum traducendi, ſcurriliter deridendum cùm ob ceremoniarum ſeriem, tùm propter ipſorum inſignium, quibus in conſecratione ſuâ adornatur Epiſcopus, decorem: Mitræ verò præſertim ornamentum, quod haud ſecùs recenſet ac hiſtrionis cuiuſuis viliſſimi cuculionem. Quo reuera ipſe iam pridem meruit inſigniri, ob ſingularem illam peritiam, quâ certè præcellit impiæ dicacitatis; carpendíque, irridendi, cauillandi, ioculandi, exercitatiſſimum genium ac ingenium. Alium certè ſibi hactenùs priſcus ille Lucianus, in hac diuina quæque proſcindendi impiis ſcommatibus, profana induſtria, ſupparem non habuit: quem in iſto rediuiuum omnes profectò norunt, ac impij quidem ſcurrarum principem vnicè prædicant, pij autem quique meritò hoc ipſo nomine execrantur. Obteſtor quotquot eius de fidei controuerſiis libellos lectitarunt, ingenuè dicant, ſi non hoc pruritu ſacra irridendi ingenioſis dicteriis, eum vbique cernere ſit oblectari? At qui non cetera peruoluerint eius opuſcula, facilè de hoc eius genio moréque iudicabunt, ſi librum maximè præcitatum, quem inſcripſit *de Paſtorum vocatione* conſideratè perluſtrarint. Non enim alius eſt vllus eius tractatus, qui crebrioribus ſarcaſmis, fœdioribus ſacrorum Eccleſiæ Catholicæ rituum irriſionibus, ſcateat.

Huius operis libri ſecundi, tractatus ſecundi caput octauum prænotauit *de Conſecratione* Epiſcoporum:

cuius cæremoniarum ordinem, in margine notat, à ſe deſcriptum ex Pontificali Romano. Et verò ſi vt in Pontificali ipſo, illæ cæremoniæ perſcribuntur, expreſſiſſet caſdem Molinæus, non eſſet cur hîc contra eius factum à nobis poſſet expoſtulari. Nec enim quicquam in ea recitatione inueniretur, quo piorum aures offenderentur, vel aduerſariorum Catholicæ religionis excitaretur riſus impius. Sed exceptis orationum formulis, ritus ita ironicè ipſius conſecrationis ac ſcurriliter expoſuit, vt ne quidem diabolus, ſi ludionis perſonam indueret, circa res adeo ſacras fœdiores cachinnos par eſſet ciere. Pauca hîc ſpecimina, eius impiæ ſcurrilitatis, duntaxat ſubiiciam. Vbi libri Pontificalis liminaris rubrica, in ritu conſecrationis Epiſcopi, monet vt habeat conſecratus Antiſtes tres capellanos & duos ſcutiferos ad credentiam: vertit nefarius ludio, *Eſcuiers ſeruans au buffet:* quaſi hîc pararetur epulum, atque Præſules ad compotandum in loco tam ſacro conuenirent. Vbi in rubrica legitur, *ampulla cum vino & aqua pro ſacrificio*, ille reponit; *des bouteilles de vin & de l'eau,* quaſi ſymposium hîc profanum exhiberetur. Præſcribit rubrica, vt habeatur etiam *medulla panis pro abſtergendis manibus ordinatoris,* poſtquàm ſcilicèt adhibuerit vertici electi ſacrum chriſma. Vafer & impius miniſter traducit, *pour torcher les mains:* quaſi de culinæ hîc ſordibus ageretur. In iuramento quod præſtat electus Papæ, queritur nebulo nullam de Deo mentionem fieri: & tamen in fine ex ipſo Pontificali notat omnem iuramenti formulam in Dei nomine terminari; hâc clauſulâ nimirùm: *Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.* Vbi rubrica monet, vt conſecrator accepto libro Euangeliorum, illum apertum adiuuantibus Epiſcopis aſſiſtentibus imponat ſuper ceruicem & ſcapulas electi, ita quòd inferior pars ceruicem capitis electi tangat. ritum hunc hiſtrio impudentiſſimus ſic ironicè refert. *Luy met le Liure de l'Euangile ſur les eſpaules, comme ſur vn pulpitre:* Et infrà. *Et demeure ledit éleu ainſi courbé & transformé en pulpitre prés d'vne demie heure.* Cùm ſacro Chri-

ſmate conſecrator, electi verticem perungit, vim vt benedictionis, inuocationi ſuæ, diuina Trinitas infundat ſuper electum, orationi ſuæ hanc ſubiungit clauſulam: *in nomine* PA†TRIS ET FI†LII ET SPIRITVS † SANCTI. AMEN, ter ſignum crucis in honorem trium diuinarum perſonarum ſuper electi caput efformans. At ridet hanc diuinæ triadis inuocationem, & crucis Chriſti (ex qua omnis fluit benedictio *) ſalutarem memoriam, impius ioculator: *cependant* (dit-il) *les ſignes de Croix ne ceſſent point.* Diabolicum virus quo feruet contra hoc Chriſti ſignum, ſic nihilominus non obſcurè aperiens: quo nimirum ſignaculo ſalutis, ſe & ſpiritum perditionis quo agitur, prodit vnà percelli. Denarrat ſubinde traditionem Euangelij baculi & annuli, quæ Epiſcopalia inſignia contemptim deſignans: *le conſacrant* (dit-il) *benît chacune de ces pieces à part:* antea ornamenta Pontificalia appellauerat, *l'équipage de l'éleu.* Pudet hîc ſacrilega verba retexere, quibus Miſſæ tremendi quam vocant Patres ſacrificij celebrationem, ridiculè deſcribit. At Mitræ impoſitionem, quæ mox diuinam actionem ſequitur, neceſſe eſt (quòd hoc de ornatu hîc potiſſimum ſermo ſit) quo narrat ſtylo recenſere. *Lors commencent* (dit-il) *nouuelles ceremonies: car on reprend ſes places. On rapporte vne nouuelle Mitre, ſur laquelle le Conſacrant prononce quelques oraiſons, l'arrouſe d'eau beniſte, puis la met ſur la teſte du Conſacré, diſant, O Seigneur nous mettons ſur la teſte de ce tien Prelat & champion le heaume de ſalut,* &c. Túmque recitata ſeriatim tota hac deprecatione, hoc corollarium ſuo more ſubiungit. *Telles oraiſons ſans doute ſe diſoient, quand l'Apoſtre ſainct Paul coeffoit Timothée,* &c. Quaſi verò nullas liceret alias orationes in ordinatione Epiſcopi proferre, præter eas quas tum ſanctus Paulus enuntiauit cùm Timotheum ordinabat Epiſcopum: Aut ex Pauli ſcriptis conſtaret, quibus verbis tunc vſus fuerit. Profectò cùm ipſe, vnà cum Barnaba, ordinatus eſt: orationes à viris Apoſtolicis qui eum cum collega, iuſſu Spiritus ſancti conſecrarunt, prolatas fuiſſe, ſanctus Lucas in actis

* S. Aug. tract. 118. in Ioan. *Signo crucis cõſecratur corpus dominicum, & omnia quæcunque ſanctificantur, cũ inuocatione Chriſti nominis, in hoc ſigno cõſecrantur. Hoc enim ſignũ niſi adhibeatur, ſiue frõtibus credentiũ, ſiue ipſi aquæ qua regenerantur, ſiue oleo quo Chriſmate vnguntur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorũ ritè perficitur.* Idem Serm. 181. de temp.

commemorat; quibus verbis conceptæ fuerint non consignat. *Tunc ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus*, &c. Eundem ritum profectò, Antistites Catholici etiamnum imitantur. Ieiunant enim consecrator & electus, vt consecrationis ordo præcisè admonet, (quod tamen inimicus relator malignè reticuit) die præcedenti ordinationem: precésque fundit cum suis assistentibus super electum Antistes ordinator, quas omnes (vt ex serie liquet) non aliunde Ecclesia, quàm à Spiritu quo regitur, spiritu scilicet sapientiæ & intellectus, pietatis & timoris, delibauit. Quamobrem ne hilum quidem Pseudominister reperit, vnde harum seriem reprehendere posset. Ceterùm quod Mitram Pontificalis capitis benedictum ornamentum, per ludibrium *coeffe* denominat, consecratorémque dum electo hanc Pontificiam coronam imponit, dicit nouum Episcopum calantica induere, *coeffer:* digna profectò impuro ganeone hæc verba sunt, qui patre excuculato genitus, capillaris reticuli quo ille irretitus, & vt vulgò aiunt, *coeffé du sale amour d'vne femme*, tam infaustam tulit ex ea prolem, non potest obliuisci. Inde enim habet quod ipse est: totúsque in peccatis conceptus quicquid spirat eò reflectit. Ceterùm non tam Episcopis illudit, quàm Apostolo Paulo, quem mimicè dicit Timotheo calyptram indidisse: *Quand il coeffoit* (dit-il) *Timothée.* Imò & Moysi, qui Cidarim, Mitram & Tiaram Dei iussu, Aaroni imposuit. Nec minori enim iniuria verbum illud muliebre, *coeffer*, Metropolitæ, Mitram ordinato recèns Episcopo, ac Moysi triplicem hanc sacerdotalem coronam, ritu Pontificio imponenti, adaptari potest. Insultationibus igitur tam putidis nihil aliud profecit Molinæus, quàm à prisco Romano Oratore, scitè pronunciatum istud elogium, sine inuidia promereri: *Risum fecit, sed ipse ridiculus fuit.*

Act. 13.

CA-

CAPVT V.

Tiaræ summi Pontificis, contra Molinæi impias scurrilitates, defensio.

AT circa Episcoporum Mitras postquam tam ineptè lusit: contra Tiaram summi Pontificis, atrum impiæ suæ dicacitatis tandem euomit virus. In libro enim quem inscripsit, *Prophetiarum complementum*; Rupellæ edito anno 1612. p. 92. describens solita scurrilitate ritum, quo summus Pontifex sacris mysteriis operatur, solemni apparatu insignitus. *On le coeffe* (dit-il) *& décoeffe, on le chausse & deschausse, on luy met & remet des gans & des anneaux par plusieurs fois.* Histrionico stilo videlicet Pontificalis ornatus deridens sanctitatem: vt nimirum se ex iis esse non obscurè prodat, quos Iudas Apostolus futuros aliquando prædixerat impios, gratiam Dei transferentes in luxuriam, dominationem spernentes, & (quam Christus in Ecclesia sui vice spectabilem constituit) *blasphemantes maiestatem.* *Iud. epist. vers. 4. 8.*

Radiat Pontificis Tiara gemmarum fulgore, quo summæ in Ecclesia dignitatis venerabile decus indicatur. Eodem gemmarum ornatu, iussu Dei, effulsit dudum in sanctuario Pontifex Leuiticus; Apostolique Iacobus & Ioannes bracteis aureis in vertice, vt suprà ex Eusebio & Epiphanio probatum est, diuinis operantes mysteriis coruscarunt. Sanctus Ambrosius teste Ennodio sacerdotali corona gemmis exornata, sacro itidem defungens munere emicuit. At decorem istum, quo Ecclesia in suo potissimum apice promicat, nonnisi liuidis oculis tenebrarum filius intueri potest. Libri citati pagina octuagesima tertia, vbi morem recitat, electi ad Pontificatum supremum sacris insignibus inuestiendi. *L'ayant* (dit-il) *équipé de toutes pieces, auec le manteau rouge & la triple couronne luisante de diamans, on l'enleue comme vn corps sainct*, &c. Et pag. 205. *Il a pris* (dit-il) *la couronne, ayant laissé la crosse*

Episcopale. Iterúmque in sua Nouitate, quam Papatus vocat, lib. 2. cap. 34. p. 130. *Comparez moy* (dit-il) *S. Pierre, auec le Pape ne preschant point l'Euangile, se faisant porter sur les espaules des hommes, portant vne triple Couronne luisante de diamans.* Hæc enim corona, quæ summi Apostolatus insigne est, suo decore nebulonis huius oculos acriter admodum perstringit, & eius animum diris modis torquet. Nempe quia Christi Vicarij *cornu exaltatum est in gloria:* (vt Prophetę verba hîc non abs re vsurpem) *Peccator videt & irascitur: at dentibus licèt fremat & tabescat, eius desiderium peribit.* Manet enim, manebitque Pontifex in decore suo, quandiu Christi regnum in terris constabit. Scitè dudum S. Augustinus, de causa agens Cæciliani Episcopi Carthaginensis, cui Donatistæ, odij & inuidiæ cæco furore aduersabantur : *Non erat* (inquit epistolâ 162.) *cur curaret conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit Principatus,* &c. *per communicatorias literas esse coniunctum.* Meliori at verò iure, hoc de ipso Papa dici potest, qui in Sede Apostolica collocatus, & à Domino supra firmam petram constitutus, tartareos impetus, hominum dæmonúmque meritò contemnit. Nec enim vllis perturbationibus concuti potest, quem in Apostolicæ fidei petra, ac Sedis firmamento, Christus ipse solidauit. Coronam gestat Pontifex, non ex mundanæ superbiæ typho, sed mystica significatione : scilicèt eius repræsentatione cuius vices in terris gerit. Spineam tulit Christus patiens coronam, non auream. Sed spinæ istæ in flores eruperunt, Christúsque, qui ludibrioso serto in Passionę sua fuerat redimitus, postea rediuiuus & triumphans visus est à dilecto suo discipulo, *in capite suo habens diademata multa* : regnorum scilicèt trium iure & titulo, quô sub eius adorando nomine, incuruari scribit Apostolus omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum. Vnde Ecclesia in Ascensus eius glorioso epinicio, gratulabunda ipsi acclamat & concinit.

Psalm. 111.

Apoc. 19. 12.

Philipp. 2. 10.

Scandens tribunal dexteræ

Patris potestas omnium
Collata Iesu cœlitus
Quæ non erat diuinitus.
Vt trina rerum machina
Cœlestium terrestrium
Et infernorum condita
Flectat genu iam subdita.

Vice sua Petrum regni sui inter mortales Principem, & gregis pastorem, Christus ipse constituit: cui etiam claues regni cœlorum tradidit, vt iis non modò superna, sed & inferna reseraret & clauderet. Petro successit Romanus Pontifex, qui eius vt hæres & Christi Vicarius, potestatem eiusdem Domini vt in terris exercet, etiam maiestatem inter homines repræsentat. Quamobrem meritò S. Hieronymus scribens ad Damasum, illum se sequi profitetur proximè post Christum, *eiúsque magnitudine* (quæ ideo propè diuina est) *sese asserit perterreri.* Iniuriâ igitur Molinæus Papam criminatur, quòd Christi perferat insignia. Cùm enim Papa sit in terris viua Christi imago, cuius vice Ecclesiam gubernat, potestatéque præditus omnia quæ ad regnum eius spirituale spectant summo iure, quia & diuina auctoritate administrat: honoris huius insignia iure æquissimo præfert, quibus non tam suam, quàm eius cuius locum tenet, indicat maiestatem. *Honor seruorum* (ait præfatus B. Hieronymus) *redundat in dominum.* Decus idcirco illud triplicis coronæ, quo Papam Christi Vicarium Ecclesia insigniuit, ad eius (cuius gerit similitudinem) honorificentiam refertur. Nec culpari debet sacra eiusmodi insignia perferens Pontifex, qui non hæc sibi, sed Domino, delata esse agnoscit, eiúsque ideo nomine, non iure suo, redimitus sacris operatur: iis enim vtitur ad diuinum augustiùs celebrandum cultum, non proprium quærendum honorem & decorem. Sic Mardochæus pridem, diadema magni Assueri gerens in capite, triumphali ornatu per regiam vrbem incessit. At citra iniuriam ipsius regis, cuius nutu & mandato sic actum: ipso Mardochæi æmulo ante hanc pompam præcinente*, *sic honorabitur, quemcunque rex voluerit*

Cont. Vigil.

* Esther. 6.

honorare. Quid igitur insanit cæco liuore Molinæus honores Papæ detractos ire frustra contendens, quos ipsi Christus suam ad gloriam concessit? *Apostolorum triumphus* (ait insignis Ecclesiæ Pater *) *est Christi victoria*. Igitur & honor, Apostolorum Principis successori delatus, *Christi est gloria*.

* S. Hier. ad Hedib. q. 11.

Apposite huc facit quod sanctus Augustinus de sancti Petri vinculis alicubi pronunciat*. *Felices nexus, qui de manicis & compedibus, in Apostoli coronam mutandi erant*. Id ipsum de ludibriosa corona, qua dudum impij quidam, Apostoli ipsius verticem dedecorarunt, non immeritò dici potest. *Cùm missus esset Apostolus Petrus* (scribit sanctus Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, in Theoria rerum Ecclesiasticarum **) *ad prædicationem Domini & magistri, ei tonsa est* (coma) *ab iis qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis: eique magister eius Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit, & posuit super caput eius coronam* &c. *ex petra eius fidei fulgescentem, super aurum & topazion & lapides pretiosos. Vertex enim ornatus, & corona duodecim lapillorum, Apostoli* sunt: *Petra verò sanctißimus Apostolus est, primus Hierarcharum Christi*. In cuius Primatus signum, & indicium sacri Principatus, memoriámque probrosæ quondam tonsionis, quam beatus Apostolorum Princeps pro Christo perpessus est: successor Petri Pontifex Romanus, in vertice coronam quidem capillorum tonsurâ expressam gerit. Super hanc verò coronam illam auream gemmarum fulgore nitentem; quâ illa corona significatur, quâ iam in cœlis regnans cum Christo Domino suo, beatissimus Apostolorum apex, clarificatus coruscat: corona scilicet quam ipse vocat *immarceßibilem gloriæ coronam*, de qua Propheta gratulabundus concinebat. *Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, gloria & honore coronasti eum, posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*.

* Serm. 28. de Sanctis.

** Tom. 2. Bibl. SS. PP.

Vide Bed. l. 5. Hist. Ecc. c. 22. & Petrum Blesensē, Explanat. in Iob ad c. 1. ad illa verba, & tōso capite, p. 493.

Psal. 8.

Accedit quòd in hoc Pontificali decoro, quo Ecclesiæ clarescit splendor & maiestas, promissa hæc diuina, quibus post persecutionum diras exagitationes, erat Ec-

clesia potitura, visibili effectu auspicantur. *Dicit miserator Dominus, Paupercula, tempestate conuulsa, absque vlla consolatione. Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in saphiris*, &c. Et rursus: *dabo coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Splendidus igitur ille ornatus, quo iam plantata vbique & stabilita fide, & Christi toto orbe rutilante gloria, eius Vicarius, summus Ecclesiæ Pastor refulget, nihil aliud refert, quàm Christi ipsius triumphum & Ecclesiæ victoriam. Purpura qua fulgescit, cruorem Martyrum, qui pro salutari Christi doctrina, animas in extremo agone profuderunt, in memoriam reuocat. Chrisma quo delibutus sacra in ordinatione nitet Pontifex, *oleum illud lætitiæ*, quo Christus post passionis gemitus & extremos mortis dolores resurgens *præ consortibus suis* perfusus *in splendoribus sanctorum*, vt sol inter astra coruscat. Corona denique, innuit diadema illud æterni imperij, quod pro spineo serto, quo in Passione sua ludibriosè redimitus est, Christus ipse promeruit. Et gloriæ ac honoris vnà designat coronam quam quique fidelium, ipsius Christi exemplo & amore passuri sunt, demum pro præmio consequentur. Vnde Apostolus, *si compatimur & conglorificabimur, si sustinemus & conregnabimus.* Hanc præcipuè coronam adepturi sunt animarum Pastores, quibus ipse Apostolorum Princeps Petrus dicebat. *Forma si effecti fueritis gregis ex animo, cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Quod gestat igitur diadema decoris Pontifex summus, futurum hoc præmium præsignat, omnibus deferendum Episcopis & Prælatis, qui suo Pastorali munere, quo decet zelo ac studio, fuerint perfuncti. Hácque fortassis significatione Tiaram Pontificis regnum * vocitari non temerè dixero: quòd splendenti hac gemmis & auro corona, non regnum Papæ temporale (quo sub titulo nullum dominium gerit) sed spirituale Christi imperium, futurúmque & æternum electorum, cum eo regnum designetur: ad quod omnes fideles triplici potissimum virtute aspirant; fide scilicet, spe & chari-

Esa. 54. & 61.

Psal. 44.

Psal. 109.

Rom. 8. 17.

1. *Pet.* 5. 4.

* Alias rationes huius appellationis videre est apud doctissimum P. Ioan. Morinum, *in Historia liberationis Ecclesiæ per Constantinum Ma-*

gnum, atque eiusdem exaltationis ac magnificationis per Francorum Christianissimos Reges, parte 3. c. 26. Ex quibus patet etiam ad Molinæi inquisitionem, *à quo tempore cœperit Rom. Pontifex triplicem gestare coronam?* luculenta responsio.

tate. Harum enim, triplex aureola est præmium: nempè visio beatifica, fruitio, & vnio cum Deo perfectissima, ex qua omne bonum emanat. vnde Paulus V. optimus Pontifex, cùm sacræ dignitatis insignia solemni ritu susciperet, illáque tiara (quam lucifuga Molinæus ob fulgorem speciosissimum quo rutilat, tetro respicit liuore) pro more Pontificio coronaretur: huic non defigendos affectus transitoriæ gloriæ euanido splendori, piè ac sapienter existimans, cum regio Propheta intimo ex animi sensu, hanc in vocem erupit. *Satiabor Domine, cùm apparuerit gloria tua.* Psal. 16. 15.

Inde etiam factum videtur, vt parcè vtatur tiara summus Pontifex: Mitra verò passim, quæ simplicior est ornatus: quemadmodum Innocentius III. Papa animaduertit sermone 1. in festo sancti Siluestri. *Mitra* (inquit) *qua Pontificatus signum est, Papa semper vtitur & vbique: regno verò* (sic corona illa vocitata est quam sancto Petro dudum Clodouæus Magnus * regio munere obtulerat) *nec vbique, nec semper.* Prout etiam ex libro sacrarum cæremoniarum, satis supérque liquet.

* *Aimoin. l. 1. c. 24.*

Molinæus idcirco cùm Papam transformatum in regem, relicto Episcopali munere, ostendere gestiret: dicere tamen non ausus est, illum Mitram Episcopalem deseruisse, sed duntaxat baculum Pastoralem, *il a pris* (dit-il) *la couronne, & laissé la Crosse Episcopale.* Tametsi & in hac re perperam summum Pontificem criminetur. Certè sanctus Thomas in 4. dist. 24. q. 2. art. 9. obseruat consueuisse Papam, baculum Pastoralem portare in diœcesi Treuirensi. cuius moris notatam originem habemus *cap. vnico in fine, de extrema vnctione.* Sed hoc de baculo, incuruo in summitate, intelligi debet. Nam alioquin Papa, mystica virga de more vtitur, efformata scilicet ad modum crucis: quæ etiamnum ante eum præferri solet, & ante primores Ecclesiæ Antistites, ex honoris participatione, ipsis summæ Sedis priuilegio indulta: de qua fusè pridem à nobis dissertatum lib. cui titulus est, *de sacro ritu præferendi crucem maioribus Prælatis Ecclesiæ.*

Sed Mitræ iterum tam Papali quàm Episcopali, ob

murmurat ** Molinæus, signum esse impleti per Antichristum mysterij iniquitatis, ab Apostolo prædicti * persuadere volens. *Ioseph Scaliger* (dit-il) *homme non moins fidel & veritable que sçauant; m'a souuent attesté qu'estant à Rome auec feu Monsieur d'Abin, Ambassadeur pour le Roy, leur furent monstrées parmy diuers autres anciens meubles du Chasteau sainct Ange, des vieilles Mitres simples, qui auoient ce mot engraué au front,* MYSTERIVM. *Ce qui est aussi remarqué par Brocard en ses Notes sur le dix-septiéme chapitre de l'Apocalypse. Si cela est, il n'est point besoin, de chercher autre exposition de cette grande Paillarde Babylon, que sainct Iean a veu ayant écrit sur son front, ce mot,* MYSTERE.

** Lib. de Prophetiarũ euẽntu p. 261.

* 2. Thess. 2. 7.

At multa sunt hac in narratiuncula, quæ commentum redolent. Primùm enim Iosephus Scaliger, Caluinianæ hæresis sectator erat, in qua etiam mortuus est Lugduni Batauorum anno 1609. vnde cùm hostis esset infestus Romanæ Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, haud mirum si eius odio fabulamentum istud confinxerit, de Mitris quas à se ait Romæ conspectas, Mysterij titulo in antica parte consignatas. 2. Num vel hoc Scaliger dixerit vnquam Molinæo, quis testis est, Molinæus amabo dicat, nisi ipse qui refert? Atqui fide, hac ipsa in re, sese omnino indignum præbet, qui summorum Pontificum acerrimum hostem apertissimè se prodit, tot famosis & virulentis libellis, quos contra eos Sedémque Apostolicam, publicis euulgauit typis. Adde quòd hîc de Mitra quæstio vertitur, quam Antichristi proprium esse indicium, ipsemet blaterat Molinæus. Vehementior igitur contra eum suspicio est, id quod hanc in rem incutit, fuisse ab ipso eo fine confictum, quo suum intentum meris innixum nugis, aliqua specie probabilitatis fulciret, vel verisimilis persuasionis fuco obduceret. Quapropter vt faciliùs Lectori imponeret, vmbratile Scaligeri testimonium prætexuit, ratus maiorem illi quàm sibi fidem fore adhibendam. Cuius tamen artificij veritus inanitatem, planè dictis non fidit, at ambiguè ex his concludit,

Si cela est, &c. Non ausus scilicèt conscientiæ punctus stimulis, ex tam futili commento, cuius se fabricatorem non ignorat, certam consequentiam elicere. 3. Brocardus quis iste sit, qui Mitras vetustas Romæ extare asseueret, Mysterium in fronte perferentes, minimè designat Molinæus. Scripsisse tamen illum in Apocalypsin insinuat, sed vbi extent illa commentaria, haudquaquam innuit. Sanè non antiquæ classis esse auctorem, nomine ipso quod priscis ignotum fuit sæculis, fit satis perspectum. Nomenclatores profectò Catholici Ecclesiasticorum auctorum, nulli ex veteribus illorum catalogo ipsum adscripsêre. Recentiores planè de eo silent, vt pote Trithemius, Sextus Senensis, Posseuinus, Bellarminus, Miræus, qui Blibliothecam Ecclesiasticam nuper edidit, septem ex priscis nomenclatoribus collectam, sancto Hieronymo scilicèt, Gennadio Massiliensi, Isidoro Hispalensi, Ildephonso Toletano, Sigeberto Gemblacensi, Honorio Augustodunensi, & Henrico Gandauensi: quibus & scholia adiunxit & luculentum auctuarium, scriptorum scilicèt qui vel post nomenclatorum prædictorum tempora floruerunt, vel in eorum indicibus fuerant prætermissi. Sed nusquam in illis catalogis & auctuario, comparet quispiam Brocardus. Claruit quidem ante sexcentos annos Burchardus Episcopus Wormaciensis, qui celebrem illam decretorum ex Conciliis & Pontificibus, ac sanctis Patribus, collectionem edidit, vulgatam primùm typis à Bartholdo Questenburghio, qui Philippo Episcopo Spirensi illam nuncupauit, anno salutis 1547. quò ex infernali Leærna erumpentibus hæresibus, potenti hoc antidoto iret occursum. At neque hic Burchardus vllum commentarium contexuit in Apocalypsin, vel alium Scripturæ sacræ librum, vt ex scriptorum eius recensione, à Sigeberto, sequentis sæculi auctore, facta, sequentiúmque temporum nomenclatoribus, qui eius meminêre, manifestum est. Tantùm verò abest vt hic insignis auctor, quem Bellarminus in Catalogo, sub vndecimi sæculi exordium, titulo sanctitatis honorabilem inscribit, obiiséque sanctè & religiosè

vt

vt vixerat, eius in elogio commeminit, Papam esse Antichristum senserit, qui illum vt Christi supremum in terris Vicarium sua in collectione passim veneratur & prædicat: primum verò suum librum inscripsit & totum contexuit *de potestate & primatu Apostolicæ Sedis*, &c. Viderit igitur Molinæus an ab hoc, vel alio, quæ Brochardi nomine refert, de signo Antichristi, in Mitris Pontificalibus expresso, dicta velit intelligi. Si ab hoc enim non Brocardo quidem, sed Burchardo sanctissimo Episcopo Wormaciensi, scripta hæc quæ suggerit, accipienda à nobis censeat: quàm fœdè hallucinetur, ex hoc patet, quòd Sedi Apostolicæ Burchardus hic coniunctissimus omni nexu religionis, ad extremum vsque vitæ spiritum perstiterit, summi Pontificis supereminentem in Ecclesia potestatem agnouerit, coluerit; in eáque residere docuerit robur totius Ecclesiasticæ auctoritatis ac disciplinæ, decúsque potestatis, dignitatis & gloriæ. Nullo autem scriptorum loco meminerit inscriptionis huius, quam conspectam à Brocardo in laminis anterioribus, vetustarum Præsulum Romanæ Ecclesiæ infularum. Si ab alio æquiuoco hæc autem testata velit Molinæus, dicat obsecro quis iste fuerit, qua ætate, quóve loco vixerit, quibus (antequam illum in testem citaret) innotuerit: denique quis eius vsquam hactenus meminerit alicuius nominis adstipulator? Iudæis dudum meritò succensebat sanctus Augustinus, qui vt sublatum furtim Christi corpus ab eius discipulis astruerent, *testes dormientes* adhibebant*. *Verè* (inquit) *tu obdormisti, qui scrutando talia defecisti.* At verè quidem Molinæus de ridiculis hìc excipiendus venit, testem qui proferre non vereatur, ne dicam dormientem, at nusquam sub sole conspectum, vt qui pote nunquam extiterit in rerum quæ spectari possunt, natura.

* *In Psal.* 63, 7.

Sed liberaliùs cum eo hìc volo agere, quàm vllo iure exigere possit. Demus igitur id esse verum, quod supposititium iam clarè patet: Scaligerum ei semel vel sæpiùs contestatum esse, Romæ conspectas à se veteris operis Mitras, in quarum frontali periphe-

ria exaratum esset, vt ait, vocabulum istud, MYSTERIVM. Brocardúmque, quisquis tandem fuerit, idipsum testari à se spectatum, in scholiis suis scilicèt ad decimum septimum Apocalypsis, super illa verba. *Et in fronte eius* (meretricis magnæ) *nomen scriptum erat, Mysterium.* Hincne licet Molinæo quod infert collectum ire, *Ergo Papa est Antichristus. In eo enim impleta est illa prophetia, & Apostoli prædictio, quâ mysterium iniquitatis ab Antichristo peractum iri, præmonuerat?* Neutiquam profectò, illo ex antecedente, hæc illatio sequitur.

Siquidem primò, quis certò asserere potest Mitras eiusmodi, quas in arce S. Angeli, inter vetustam ornamentorum supellectilem, Molinæus vult esse repertas, Pontificum fuisse qui Petri Sedem legitima electione tenuerunt, aut Antipaparum, qui vi & iniuriâ, non tam Sedem, quàm locum Sedis Apostolicæ iamdudum inuasêre? Multum tamen hoc discrimen interponere refert. Nam si pseudopapæ quipiam Romam occupantes, & verum Pontificem oppugnantes, eiusmodi Mitras, mysterij epigraphen in antica parte exaratam perferentes, aliquando gestarunt: hoc nihil ad legitimorum Pontificum trahi potest incommodum, sed Pseudopaparum dedecus, qui cùm Antichristi partes agerent, vnitatem Ecclesiæ violando & sese vero Christi Vicario Petrique successori exitiabili nequitia opponendo, notam etiam Antichristi (si quæ signatur à Molinæo propria est) suæ fronti Dei iusto iudicio, arcanóque nutu, inuri promeruerunt. Patrum enim vetus hoc axioma fuit, à sancto Hieronymo etiam scriptis proditum. *Qui cum Petri successore non colligit spargit. id est qui Christi non est, Antichristi est.* Quamobrem Petrus Damiani, dudum Cadaolum Parmensem, qui contra Alexandrum II. legitimum Pontificem, summi Ecclesiæ præsulatus fastigium, nefando ausu, sub Honorij II. nomine inuaserat, Antichristi titulis ac coloribus, graphicè depinxit, eodémque iure ipsi competere docuit Antichristi insignia, cuius palã admittebat nefarios actus lib. 1. epist. 20. Sed dato etiam quòd veri Romani

Ad Damas. de nomine hypost. ep. 57. tom. 2.

Pontifices, Episcopalem Mitram pertulerint, in quibus Mysterij quod incutit nomen Molinæus, scriptum conspiceretur.

Dico secundò, malè ab eodem Molinæo & eius Symmystis, locum Apocalypsis quem in summum Pontificem detorquet, legi & intelligi: vult enim ex textu asserere, mysterij nomen in fronte mulieris meretricis, quam pro Roma sumit, visum fuisse à sancto Ioanne expressum. At textus sic habet: *Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium: Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Apoc 17.5. Vbi vocabulum istud, *mysterium*, per parenthesim positum, tantùm designat mysterium in nomine mulieris huius contineri; quod postea in inscriptione denotatur: his namque verbis quæ super frontem exarata perferebat, *Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ*; arcanum insinuatur, status & operum perditæ huius mulieris, vnde postea sequitur, *Quare miraris? Ego dicam tibi sacramentum* (Græcè μυστήριον) *mulieris & bestiæ quæ portat eam.* Id est, dicam tibi quid mysticus ille apparatus significet. Richardus à sancto Victore, in commentariis ad hunc locum, legit. *Et in fronte eius nomen scriptum mysterij.* Hoc est, inscriptio fronti insita, erat mysterij plena, quod verba continuò expressa continebant, nempè *Babylon magna, fornicationum mater, & abominationum terræ.* Part.2. lib.4. comm. in Apoc. c. 9. Pulchrè ac apposite hæc verba edisserit ibidem Richardus ipse Victorinus. *Babylon* (inquit) *per confusionem, magna per elationem, mater fornicationum & abominationum terræ per inuentionem vitiorum abominabilium, quibus fœdantur omnes, qui se inuoluunt terrena cupiditate.* Pergit verò expendens verba Angeli ad sanctum Ioannem. *Quare miraris? Quasi diceret* (subnectit) *noli mirari, sed intellige quid sit, ego dicam tibi sacramentum* (seu mysterium) *mulieris & bestiæ: id est, ostendam tibi quid sit vtraque. Nempè bestia diabolus est; mulier meretrix, vniuersitas reproborum.* Ex qua explanatione, quæ meridiano sole lucidior est, cernere licet nihil hanc Prophetiam penitus ad Pontificem Roma-

num, neque Sedem Apoſtolicam pertinere. Nec myſterium ſyllabatim ac literaliter in fronte propudioſæ illius mulieris fuiſſe exaratum: ſed inſcriptionem quam perferebat in fronte, deſignaſſe id quod myſticè ipſa mulier erat, arcanóque denotabatur apparatu. Ceterùm nec in eius ornatu Mitra apparebat, nec in Mitra, myſterij expreſſum vocabulum conſpiciebatur.

Dico 3. quamuis myſterij nomen, ad literam expreſſum fuiſſet ſuper frontem impiæ illius Babylonicæ mulieris, & in Mitris quibuſdam Pontificalibus, quas dicit Molinæus extare Romæ, idem myſterij vocabulum impreſſum cerneretur; perperam tamen hinc ab ipſo Molinæo deduci Papam eſſe Antichriſtum, quem
2. Theſſ. 2. 7. Apoſtolus (de myſterio iniquitatis in extremis temporibus adimplendo, verba faciens) ſub titulo filij perditionis & hominis peccati venturum prædixit. Siquidem myſterij nomen, propriè ad Antichriſtum non ſpectat: vocabulum enim indifferens eſt, & æquè patens, tam ad bonum, quàm ad malum ſignificatum. Certè apud ipſum Apoſtolum, vt nominatim legimus 2. Theſſal. 2. *myſterium iniquitatis*: ſic & 1. Timoth. 3. *myſterium pietatis (magnum pietatis ſacramentum.)* dato igitur quod in Mitris Pontificiis myſterium extaret ſcriptum, ratio non ſuppetit qua compellamur eiuſmodi nomen, potiùs in malo quàm bono ſignificatu interpretari. Quin potiùs ipſa pietas perſuadet, vt myſterij nomen, hîc in bonam quàm ſequiorem partem referamus. Maximè cùm vt præoſtenſum eſt, omnis Pontificum ornatus tendat in cultum & gloriam Dei. Adeout Petrus Martyr Vermilius, ſectariorum anteſignanus, *in communibus locis,* Catholicos Antiſtites paſſim inſimulet, quòd magnam vim diuini cultus in eiuſmodi apparatum impendant. Qui tamen *titulo de Eccleſiaſticis legibus* col. 1423. ſub finem, patenter agnoſcit, hoc decus conferre ad religionis dignitatem. *Eſſe etiam* (inquit) *oportere, quæ faciant ad ordinem & decorum, Paulus docet ad Corinthios.* Argui igitur non poteſt myſterij iniquitatis, myſterium iſtud pietatis, quod in ſacris veſtibus & ornatu Sacerdotum

& Pontificum, diuinis operantium, resplendet. In veteri lege perferebat Pontifex super tiaram suam & cidarim, laminam auream in qua sculptum erat opere cælatoris, *Sanctum Domino:* seu vt ex Hebræo accuratiùs verti potest, *Sanctitas Iehoua*. Non quòd titulus ipse sanctitatis personæ Pontificis competeret, sed officio, quô Deo, cui sanctitas est propria & essentialis, sanctis actibus & sacrificiis seruiebat: & cuius etiam sanctitatis, apud homines præferebat spectabilem imaginem. Gerebat enim typum Christi *omnium ferens iniquitates* (vt habet continuo nexu sacer textus) quas diuini nominis inuocatione, & pura litatione expiaret, vicissimque vt diuino quod perferebat nomine insigniretur, atque etiam muniretur. Hanc enim diuini nominis inscriptionem gerebat in fronte, vt imposita *hæc lamina* (ait sanctus Hieronymus) *ipsius Pontificis omnem pulchritudinem coronaret & protegeret.* Si qua igitur inscriptio Mitræ Romani Pontificis, qui Christi in terris vices gerit, dudum insita fuisse comperirietur, pio eodem sensu foret intelligenda. Vocatur Eucharistia etiam ab Apostolo *mysterium fidei* 1. Timoth. 3. Porrò sacerdotij ac Pontificatus Christiani suprema actio, circa huius mysterij celebrationem versatur, eiúsque in perfunctione religionis Christianæ summa consistit. Id fortè ad indicandum, nomen mysterij (quod per excellentiam, de diuinissimo altaris sacramento intelligitur) sacerdotali coronæ seu Mitræ summi Christianæ religionis Antistitis, à Maioribus visum est inscribendum. Nec enim mos hic nouus est, vt sacris mystarum Christianorum ornamentis, mysticæ inscriptiones intexantur. Nam & Diaconorum tunicis seu dalmaticis, insertas dudum, ex hoc insigni loco Ammiani Marcellini, etsi ethnici scriptoris, manifestè constat. *Pectoralem tuniculam* (inquit * libr. 14. Rerum gestarum) *sine manicis textam, Maras quidam nomine (vt appellant Christiani) Diaconus, per latera scripta Græco sermone, ad Tyrij textrini propositum celerari speciem perurgebat.* Nec exprimit auctor, quid ea scriptura literatim perferret. Quòd si nomen my-

Exod. 28.

Ad Fabiolam de vest. sacerdot.

* *Circa mediū & finē.*

ſterij in ea expreſſum fuiſſe constaret: hinc ne quæſo fas eſſet Molinæo calumniari hunc Diaconum, quòd myſterij iniquitatis fuerit conſcius, Antichriſtíque iam prodromus? Quaſi vbicunque myſterij nomen delineatum perſpicitur, hîc propria Antichriſti extaret nota, & index myſterij iniquitatis neceſſarius appareret. Apage tam ridiculas ineptias, abſurdáſque commentationes, quæ eiuſmodi ſunt, vt eorum qui his nituntur Catholicæ pietatis iura moréſque concutere, Pontificiæque dignitatis euulſum ire honorem, perſpectam adeò inſaniam faciant, vel hos dignos potiùs irriſionė prodant, quàm ſeria & graui redargutione vlla.

Ceterùm eſt tamen quòd Molinæum ipſum dignum commiſeratione quadam arbitremur, qui dum ſacrum Mitrarum vſum deridet & impugnat, earum Eccleſiaſticam antiquitatem * vltro apertéque confitetur, Scaligeríque etiam confirmat teſtimonio. Familiare enim hæreticis eſt, dum aduerſus Eccleſiam pugnant de fide vel ritibus, ea quæ concutere pertentant, firmiùs ſtabilire. Inuitè enim veritatem aliquo loco agnoſcunt, quam alio imprudenter inficiantur, *non intelligentes*, vt de iis Apoſtolus prænunciauit, *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Aguntur enim* (vt ait Propheta) *ſpiritu vertiginis, qui eos errare facit ſicut ebrios, in omni opere ſuo.*

* Quid enim aliud hæc eius verba indicant ſuperiùs citata? *De vieilles Mitres, &c. parmy diuers anciens meubles, &c.*

1. *Timoth.* 1. 7.

Iſa. 19. 14.

FINIS.

PANOPLIAE EPISCOPALIS

LIBER SECVNDVS.

SEV

De virga Episcopali, vel Pastorali baculo

DISSERTATIVNCVLA.

INTER Episcopalis dignitatis insignia, hic certè eminet magis post Mitram spectabilis ornatus: cuius antiquitas, vix à quoquam potest, aliqua cum rationis specie, in dubium reuocari. Sanè Concilium IV. Toletanum, in quo Episcopi septuaginta conuenerunt, Honorio I. summo Pontifice, anno sexcentesimo trigesimo tertio c. 27. inter insignia Episcopi signatim baculum connumerat: *si Episcopus est* (inquit Synodus) *recipiat coram altari orarium, annulum, & baculum*. Qui in singulis quarum monumenta extant Episcopalis ordinationis formulis, ex antiqua traditione Episcopo dum consecratur, assignandus ab ordinatore Antistite præscribitur. In veteri ordine *qualiter Episcopus in Romana Ecclesia ordinetur* * post consecrati vnctionem & benedictionem ac traditionem annuli Pontificalis, immediatè sequitur *benedictio baculi*: qui mox à consecrante initiato datur, certa cum verborum expressione, quæ inferiùs dum de huius mystica ac morali significatione sermo erit, expendemus. Beda qui anno septingen-

** Insertus est ordini Romano de diuinis Offic. tom. 10. Bibl. SS. PP.*

tesimo trigesimo primo maximè florebat, in collectaneis quæ ad calcem tomi tertij eius operum extant sub epigraphe *de septem ordinibus:* baculum Episcopalis honoris insigne speciatim consignat. *Baculum* (inquit) *habet Episcopus vt subditos regat, infirmos sustineat*, &c. Liber de antiquo missæ ritu, aliàs Animæ gemma inscriptus (quem Pammelius vir in perquirendis veterum monimentis diligentissimus, Honorio cuidam adscribit, cuius tamen nec ætatem, nec vitæ genus designat*) caput prænotat proprium ** *de baculo Episcopali.* de quo sic habet dictorum eius exordium: *Baculus ex auctoritate legis & Euangelij assumitur, qui & virga Pastoralis, & caputia & ferula & pedum dicitur. Moses quippe dum oues pauit, virgam manu gestauit. Hanc ex præcepto Domini in Ægyptum pergens secum portauit, hostes signis per eam factis terruit, qui velut lupi oues Domini strangulabant,* &c. Sequenti verò capite, cuius est iterum titulus *de virga & baculo Episcopi. In Euangelio quoque Dominus* (ait) *præcepit Apostolis vt in prædicatione nihil nisi virgam tollerent,* &c.

* Alibi euicimus hunc esse Honoriū Augustodunens.

** *Serie 217.*

Nimirum apud Marcum cap. 6. vbi legitur: *præcepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantùm, non peram, non panem.* Sed antinomia hîc cum loco Matthæi c. 10. satis ad conciliandum difficilis, intercedere videtur. Apud Matthæum siquidem vetitam Apostolis virgam legimus, quam iuxta Marcum iis à Domino constat fuisse concessam. *Nolite possidere aurum* (inquit) *neque argentum* &c. *non peram in via, neque calceamenta, neque virgam.* Cruciauit vterque hic locus non parum interpretes, quorum pars altera, metaphoricè virgam apud Matthæum positam esse contendit: altera literaliter vtrobique tam apud Matthæum quàm Marcum virgam asserit intelligendam esse. Non permittit opusculi huius breuitas, explicandæ fusiùs vtrique opinioni, amplè expatiari. Adhibenda est igitur, vt optimè recentiores quidam Theologi admonuerunt*, circa virgæ nomen distinctio. Duplex est virga seu baculus, ad nitendum scilicet & sine ferro, & hanc intellexit sanctus Marcus duntaxat à Domino permissam Apo-

* *Emman. Sa, Ioan. Mariana in scholiis, & Cornel. Iansen. in comment. super Matth.*

Apoſtolis. Et cum ferro, ſeu ferrea cuſpide, quam geſtarent ad defenſionem, hanc enim Apoſtolis ipſis vetitam à Domino S. Matthæus inſinuat. Quoniam ſcilicet ſicut oues in medio luporum mittebantur, perſequentibúſque ſe reniti, aut ſe vllo defenſionis inſtrumento tueri, ipſis prohibitum erat. Vnde & Petro iuſſit Dominus gladium ſuum recondere in vaginam.

Sed ad corporis in via fulciendum debilitatos ex labore, æſtu, & ſudore artus, ſcipionem, ſeu baculum geſtare ſuis diſcipulis Dominus non vetuit, ſed diſertè permiſit apud beatum Marcum; *præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm:* tùm ne cætera eis forent oneri, expeditioríque profectioni impedimento fierent: tum ne ſi peram, ſi panem, ſi aurum & argentum perferrent, de diuinæ Prouidentiæ ſolatiis ſibi promiſſis & paratis diffidere viderentur: ſimúlque eorum quibus annuntiaturi erant verbum gratiæ, charitatem præpedirent, ex cuius affectuoſis obſequiis decreuerat Dominus, quæ victui eorum neceſſaria forent ſuppeditari. Vnde ſic ipſe Chriſtus apud Lucam cap. 22. eos compellat. *Quando miſi vos ſine ſaculo & pera,* &c. *aliquid defuit vobis?* ipſi reſpondentes vltro fatentur, nihil ſibi omnino defuiſſe.

Virgam autem ad indicium directionis ouium, correctioniſque etiam non prohibitam: facilè hinc perſpicere licet, quòd beatus Paulus nomine virgæ, qua cum venturum ſe Corinthum comminabatur, correctionem ſignificarit Paſtoralem. *Non enim in ſermone* 1. Corinth. 4. *eſt regnum Dei, ſed in virtute. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Quamuis ipſa virga paſtoralis etiamſi cuſpide feriat, ſolatio non careat. Extat Toloſæ in Eccleſia ſancti Stephani (refert Duranti oculatus teſtis lib. 2. de ritib. Catholicæ Eccleſiæ) lapis marmoreus antiquiſſimus, in quo ſculptæ ſunt ſancti Petri, & beati Saturnini imagines; Saturnini autem cum baculo incuruo, in quo verſus ille legitur,

Curua trahit, quos recta regit, pars vltima pungit.

De baculo ſancti Petri quem dedit Euchario Treuiren-

ſi, vulgaris eſt hiſtoria. Porrò auctor eſt Fortunatus, in vita ſancti Marcelli Epiſcopi Pariſienſis qui ſub Conſtantino magno floruit, illum baculo ſuo ter percuſſiſſe draconem ſuburbia infeſtantem. *Tunc beatus Marcellus, caput eius baculo ter percutiens, miſſô in ceruicem ſerpentis orariô, triumphum ſuum ante ciuium oculos extrahebat.* Vbi habitu Epiſcopali belluam hanc aggreſſum, orario, hoc eſt ſacra ſtola alligaſſe, baculóque, id eſt, Paſtorali virga ter ictum ſubegiſſe atque adduxiſſe in triumphum, ſatis perſpectum eſt. Vidiſſe me olim Remis, bene ſum memor, in templo celeberrimo ſancti Remigij vbi eius mauſoleum cernitur, ſacræque exuuiæ condignis honoribus percoluntur, baculum eius Epiſcopalem, auri laminis coopertum cælaturiſque artificioſis circumquaque exornatum. De hoc ſancti Remigij Paſtorali baculo memoratu digna hæc verba notaui, *In ordine qualiter Philippus I. in regem conſecratus eſt. Accipiens* (Geruaſius ſcilicèt Archiepiſcopus Remenſis) *baculum ſancti Remigij, diſſeruit quietè & pacificè quomodo ad eum pertineat maximè electio & conſecratio Regis, ex quo ſanctus Remigius Hludouicum Regem baptizauit & conſecrauit. Diſſeruit etiam quomodo per illum baculum hanc conſecrandi poteſtatem, & totius Galliæ Primatum, Ormiſda Papa ſancto dederit Remigio, & quomodo Papa Victor, ſibi & Eccleſiæ ſuæ.* Hæc in illo ordine, quem è codice manuſcripto D. Petauij Senatoris Pariſienſis edidit Quercetanus tom. 4. Hiſtoriæ Francorum &c. inter fragmenta diuerſorum Auctorum de rebus geſtis Henrici I. Regis, pag. 161. & 162. Coloniæ Agrippinæ ſeruatur etiam, in Eccleſia Collegiata ſancti Seuerini eiuſdem vrbis Epiſcopi, qui in locum Euphratæ Ariani, ob probatæ fidei & ſanctimoniæ clara inſignia, anno trecenteſimo quinquageſimo ſecundo Synodali iudicio ſuffectus fuit, Epiſcopale pedum cum eius pretioſo corpore, in loculo argenteo auro illito, margaritiſque fulgenti ab Hermanno Antiſtite Colonienſi decenter recondito circa annum ſalutis milleſimum centeſimum ſecundum*. In vita à priſco auctore ſcripta ſancti Romani Archiepiſcopi Ro-

* *Vide ſacrariũ Agripp. p. 58. & 59. Et Martyrol. Gall. 23. Octob.*

tomagensis qui Clotario Regi à secretis fuerat, circa annum sexcentesimum fit mentio traditi eidem baculi pastoralis. Quem ad sanctum Melonum eiusdem sedis antiquissimum Præsulem, eò scilicet missum à sancto Stephano Papa & Martyre sancti Cypriani synchrono, cœlitus ab Angelo delatum, eius acta perhibent. In quorum epitome inserta Breuiario Parisiensi ante annos 400. in membranis exarato, hæc leguntur, eiusdem in natali. *Quadam autem die cùm S. Melonus celebraret missam, viderunt ipse & dominus Stephanus, Angelum Dei stantem ad dextram partem altaris, tenentem virgam Pastoralem: qui peracto officio dedit eam sancto Melono, dicens, Accipe virgam sub qua regere habes populum ciuitatis quæ Rotomagus dicitur in finibus Neustriæ*, &c. Sequitur in actis *, *qui continuò accepta benedictione à Papa discessit, & Christum itineris ducem habuit. Veniens autem Antissiodorum inuenit hominem qui casu bipenni sibi pedem in duas partes diuiserat. Quem baculo, quem ab Angelo acceperat tetigit, & ipsum sine mora sanauit. Veniens autem Rothomagum, prædicationis officio fideliter institit, & miraculis clarens ferè totum populum ad Christum conuertit, & ministerium suum implens, in Domino quieuit*, &c. De quo fusiùs à nobis dictum in Martyrologio Galliæ vndecimo Kalend. Nouemb. Nimius forem si quæ inter seligendum ipsi Martyrologio struendo, & adstruendo propria adminicula, exempla plurima obseruaui, hîc sigillatim recenserem, de antiquo vsu Baculi Pastoralis. Quæ prætexta sunt satis esse possunt ad vetustam eius originem, ac vsitationem in Ecclesia præsertim Occidentali indicandam. Quòd verò etiam in Orientali huius fuerit vsus receptus, in actis Synodi octauæ Oecumenicæ monumento est perillustri, iussio à Marino Vicario Apostolicæ Sedis, facta Photio Pseudo-Patriarchæ: qui cùm ingressus esset sacrum in consessum, baculum in manu gerens, illum coactus est illico deponere*: quòd baculus seu virga esset signum dignitatis Pastoralis, cuius ipse ob illegitimum in Sedem Constantinopolitanam ingressum, nefariósque quos admiserat ausus, prorsus

* *Apud Exquilinum lib. 9. c. 93.*

* *Actione 7.*

indignus erat. Ruthenis iam pridem Ecclesiæ Græcæ ſectatoribus, virga Epiſcopalis etiamnum in vſu perdurat, ſed forma à Latinorum Epiſcoporum pedis diſſimili, cùm horum Baculi Paſtorales incurui ſint, illorum verò cruciati, quemadmodum perſpicax Moſcouiæ luſtrator & illuſtrator Sigiſmundus liber Baro literis prodidit, in commentariis de Moſcouitarum rebus.

Sanctus Bernardus vel potiùs quiuis apud eum alius contemporaneus Auctor Sermonis in Cœna Domini, de Baptiſmo, de Sacramento altaris & ablutione pedum, baculum æquè inſigne cenſet Abbatis ac Epiſcopi. *Multa* (inquit) *ſiquidem, fiunt propter ſe tantùm: alia verò propter alia deſignanda, & ipſa dicuntur ſigna, & ſunt. Vt enim de vſualibus ſumamus exemplum, datur annulus abſolutè propter annulum, & nulla eſt ſignificatio; datur ad inueſtiendum de hæreditate aliqua, & ſignum eſt,* &c. *ſicut enim in exterioribus diuerſa ſunt ſigna, vt cœpto immoremur exemplo, variæ ſunt inueſtituræ ſecundùm ea de quibus inueſtimur. Verbi gratia inueſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per baculum & annulum ſimul,* &c.

Et verò non modò Abbatibus, ſed & monachis antiquis baculum fuiſſe in vſu, ac quaſi indicium ſeuerioris quam amplectebantur diſciplinæ, plerìſque hiſtoriæ monimentis fit compertum. Sanè Caſſianus lib. 1. de Monachorum veterum inſtitutis & regulis cap. 8. baculum ſpeciatim cenſet inter eorum inſignia. *Vltimus* (inquit) *eſt habitus eorum* (*ſcilicet qui in Ægypto viuunt*) *pellis caprina, quæ melotes vel pera appellatur, & baculus. Quæ geſtant ad imitationem eorum qui profeſſionis huius præfigurauere lineas in veteri teſtamento.* Et cap. 9. *Nam & baculum* (ait) *geſtaſſe eoſdem viros, etiam Eliſæus qui vnus ex ipſis eſt docet, cùm dicit ad Gieſi puerum ſuum, mittens eum ad ſuſcitandum filium mulieris: Tolle baculum meum & currens vade, pone eum ſuper faciem pueri vt viuat.* Idémque Caſſianus Collat. 11. cap. 3. quo deſcribit eremum in qua tres religioſi ſenes Chæremon, Neſteros & Ioſeph commorabantur. *Sumpto itaque* (inquit) *baculo & pera, vt illic cun-*

ctis viam ingredientibus monachis moris est, ad ciuitatem nos suam (Panephysim) dux ipse perduxit. Gessisse eiusmodi baculum sanctum Antonium, cùm visitatum pergeret Paulum eremitam, auctor est sanctus Hieronymus in eiusdem Pauli elogio*: *Baculo* (inquit) *humum percutiens,* aiebat, *væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris,* &c. Tametsi verò baculus ad membrorum debilium fulcimentum, eidem Antonio vt ibidem prænotauit S. Hieronymus ** inseruiret: *illicò* (ait) *erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus sustentans baculo regente:* tamen mystico significatu vnáque pro monasticæ professionis indicio gestatum passim à Monachis Cassianus suprà laudatus disertim insinuat. *Cuius* (baculi, ait lib. 1. Institut. cap. 9.) *gestatio spiritualiter monet nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes & inuisibiles nequitiarum spiritualium bestias, inermes incedere,* &c. *Sed irruentes eas retundere crucis signaculo,* &c.

* *Seu vita Pauli eremitæ tom. 1. p. 242. &c.*

** Videndus idem in Amos 1. & Zac. 8. nec non in vita S. Hilarionis n. 28. *Immobilis ad preces, baculo discutiens loquebatur.*

Virtutum etiam pleraque signa veteres sanctos ascetas, operatos per baculi eiusmodi applicationem: res eorum gestæ memorantur. Vrsus sanctissimæ vitæ Anachoreta, éxque eremo tandem ob micantes gratiæ quibus coruscabat radios, inuitus ad sedem Ecclesiæ Trecensis Episcopalem tractus & prouectus, baculum monastico more ferebat. *Cùm igitur die quadam ciuitas subito incendio conflagraret, ipse populi clamore permotus, scipionem suum illuc deferendum tradidit, quo inter minaces flammarum globos collocato, omne incendium dicto citiùs deflagrauit**. Sic & Aredius Lemouicensis Abbas ** aridam humum manuali virga percutiens, alter Moses, aquarum peruberem hinc deduxit copiam. Et aliàs impendentem sibi nimbum, aliò declinauit. Sanctus Liephardus Abbas in agro Aurelianensi, traditâ sodali suo Vrbitio virgâ, serpentem exitiosissimum enecauit, solo tactu, non ictu: dæmonésque suo à tugurio longè expulit. Sed hoc πάρεργον. de baculo siquidem monastico eiusmodi, hîc ex professo non agimus: Sed de baculo pastorali, quem tam Abbatibus quàm Episcopis communem, præfatus Auctor Sermonis de

* *Martyrol. Gallic. 3. Kal. August.*

** *25. Augusti.*

Cœna Domini, apud ſanctum Bernardum eſſe, ex more iam, vt innuit, vigenti aſſeuerat. Procul ſcilicèt à ſancti Bernardi genio, cui nouus ille mos qui iam irrepſerat ſemper diſplicuit, vt Abbates infulas, baculum paſtoralem, annulum ceteráque Epiſcopalis dignitatis inſignia, ſibi per ambitum conquiſitis priuilegiis, vſurpare niterentur. A Ludouico VI. Francorum Rege, eius tempore (adeóque vt nonnulli volunt conſilio) fundatum fuit prope muros Pariſienſes inclytum monaſterium ſancti Victoris, (vnde tot ſubinde ſanctitatis lumina, fluminâque doctrinæ Theologicæ eruperunt) cui Gilduinus diſcipulus Guillelmi de Campellis primus Abbas præfectus eſt, laude religionis ac pietatis eximiæ clariſſimus. A quo nec petita vnquam nec geſtata fuêre Pontificalia inſignia, tametſi horum impetrandorum facultas non deficeret, Regis ſibi beneuolentiſſimi, multis comparato meritis, affulgente fauore, & ſummorum Pontificum Paſchalis, Innocentij, Honorij, Cœleſtini & Lucij II. eximiâ gratiâ. Ex qua pleraque diplomata in ſui monaſterij vtilitatem obtinuit, gloriam verò nullam ſibi propriam exquiſiuit; ſolo ſchemate regulari contentus, nec Mitra, nec annulo, nec baculo paſtorali inſignis. Cuius modeſtiæ hoc hactenus monimentum perſeuerat, quòd ſucceſſores eius Abbates ſancti Victoris, regalis tametſi monaſterij, ſtructura magnifici, amplitudine copioſi, cenſibus opulenti, multiplicique ornatu perilluſtris, nedum Mitra, at nec pedo paſtorali, ſed duntaxat ſcipione, ſeu inferiori baculo, cui nituntur, vti conſueuerint. Niſi fuerint Epiſcopi: quo ſolo iure, non Abbatiali, Pontificiis inſignibus præfulgent, ſi quando de Antiſtitis Pariſienſis (cui monaſterium ſubeſt) ſpeciali licentia, ibi ſolemni apparatu ſacris operantur. Ceterùm nec deſunt hoc in cœnobio nonnullorum Abbatum effigies, tumulis eorumdem inſculptæ, quibus expreſſi patent in regularium Canonicorum (cuius inſtituti domus eſt) venerando habitu: hoc plus ſolummodo habentes, præ gregali aſcetarum cœtu, quòd dimidij fulciantur recurui ſub manu dextra *baculi robore*, ſenilis potiùs æta-

tis, quàm superioris dignitatis indicio.

Sed est tamen quòd hîc obseruandum discrimen moneamus, quod dudum sanctus Bernardus, pio æstu contra plus iusto erumpentes ambitus quorumdam Abbatum, cùm inueheretur, admittendum suadebat. Qui & si exemptiones reprobet emendicatas, ac ambitiosa priuilegia: rata grataque tamen illa habenda arbitratur, quæ iustis modis bonóque fine concessa sunt. *Nonnulla tamen* (inquit lib. 3. de cons. cap. 4*.) *sita in diuersis Episcopatibus, quod specialiùs pertinuerunt ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam, pro voluntate fundatorum quis nesciat? sed aliud est quod largitur deuotio, aliud quod molitur ambitio, impatiens subiectionis.* Et in illis quidem monasteriis, quæ petitione ipsa ac deuotione fundatorum, Sedi Apostolicæ fuerunt ab initio immediatè subiecta: in ipsius prærogatiuæ indicium, licitè vt potuerunt quædam dignitatis insignia impetrari, sic etiam sine nota ambitionis, at iusto titulo, ab iis qui eorum regimini præfecti fuerant suscipi ac gestari. Sic baculum pastoralem solenniter traditum à Berengario Archiepiscopo Vesuntionensi beato Odoni sanctissimo Abbati Cluniacensi, ab eóque religiosè susceptum, eius ex actis nostro in Martyrologio Galliæ obseruauimus, die 18. Nouembris. Ita & Galtherum sanctissimæ vitæ Abbatem Pontesiensem*, pedum eiusmodi quo in suo munere vtebatur, sibi extremo morbo laboranti adferri iussisse: túmque illum in ipso lectulo quo decumbebat manu tenendo, stoláque collo reuincta, gregi suo benedixisse. *Facta siquidem exomologesi conuocatos fratres, ad concordiam, obedientiam & perseuerantiam cohortatus est, posteáque stolam collo suo imponi iussit, & dextera baculum pastoralem tenens, eos absoluit, ac Deo commendauit*, &c.

* In fine.

* Is sub Greg. VII. claruit.

Vnum hîc pronunciare pro certo, dissimulare nolim; ante millesimum à Christo annum, insigne baculi pastoralis vix Monachorum præfectis, Abbatibus scilicet concessum fuisse. Subinde verò ferè passim hoc decus impertitum: deinde tandem & communi quasi more omnibus Abbatibus attributum, qui ius ha-

bent ſuſcipiendi ſolennis benedictionis gratiam & honorem.

Vnde in Pontificali Romano, vbi ordo præſcribitur quo benedicitur Abbas, extat oratio quam profert Epiſcopus, dum tradit ei baculum paſtoralem : hoc qui ſequitur concepta verborum tenore, *ſuſtentator imbecillitatis humanæ, Deus, bene† dic baculum iſtum : & quod in eo exteriùs deſignatur, interiùs in moribus huius famuli tui, propitiationis tuæ clementia operetur, per Chriſtum.* Tum ſtans Epiſcopus baculum aqua aſperſum benedicta Abbati coram ſe genu flexo, ambabus illum manibus capienti tradit dicens. *Accipe baculum paſtoralis officij, quem præferas cateruæ tibi commiſſæ, vt ſis in corrigendis vitiis piè ſæuiens : & cùm iratus fueris miſericordiæ memor eris.* In Sacramentario S. Gregorij de hac baculi traditione nulla fit mentio : ſed hæc tantùm ſuper Abbatem fundenda oratio, pro omni cæremonia, aſſignatur.

Oratio ad Abbatem faciendum.

Quæſumus omnipotens Deus famulum tuum N. quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono proſequere : vt te largiente, cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per, &c.

Videtur Iuo Carnotenſis ſuo adhuc æuo benedictionem Abbatis hac ſola oratione actitatam inſinuare ep. 73. ad Bernardum Abbatem monaſterij Maioris. *Quid ergo eſt* (inquit) *diſceptandum de benedictione Abbatis, à quocunque Epiſcopo eam fuerit conſecutus? in qua nec fit manus impoſitio, nec conſecratio, ſed ſimplex oratio; in qua accepta vel non accepta ſalus ſubditorum nec minuitur nec augetur.* Ita Iuo, qui cùm multa cum Abbatibus ſuæ diœceſis iurgia, circa exemptiones habuerit : paulò arctiùs illorum ſolet quàm par ſit circumſcribere dignitatem. Abbates enim iam antè per manus impoſitionem ſolitos fuiſſe ab Epiſcopo benedici, ex can. 14. liquet ſeptimi Concilij generalis : procedentéque tempore traditum illis fuiſſe etiam baculum paſtoralem, acta S. Odonis ſuperiùs citata indicant, ſubindéque communi more id factum iam ætate ſua inſinuat Auctor

Ser-

Sermonis de Cœna Domini apud S. Bernardum. At verò illustre vestigium insignis huius Abbatialis passim vsitati ante sancti Bernardi ætatem, habes in vita Burchardi Comitis ab Odone monacho Fossatensi descripta*. Hic enim de spontanea abdicatione Teutonis Abbatis Fossatensis differens, *Illuc ergo* (inquit) *iam dictus Abbas arduam pro Christo peragens vitam, multo tempore conuersatus est.* (Nempè in agello Remensi.) *Quo pergens ibidémque permanere desiderans*, BACVLVM CVRÆ PASTORALIS, *per sui seruitij ministrum, nomine Walterum, quèm ipse in Dei timore enutrierat, fratribus transmisit, mandans vt sibi secundùm Christi voluntatem, dignum Pastorem eligerent.*

* Extat apud Quercetanum tom. 4. Franc. hist. inter Fragmenta diuersorũ scriptorũ de Regum Hugonis & Roberti rebus, p. 120.

Certè in Romano Pontificali, duplex ordo assignatur benedictionis Abbatis. Recentior & longè diffusior (vt ex collatione huius, cum priscis Pontificalibus, seu ritualibus formulariis patet) manum ab Episcopo designato Abbati, docet imponendam esse: hac cum deprecatiuncula, quæ ampliori orationis formulæ inserta est. *Affluentem Spiritum tua bene † dictionis super hunc famulum tuum Domine, nobis orantibus infunde; vt qui per manus nostræ impositionem hodie Abbas constituitur, sancti † ficatione tua dignus, à te electus permaneat, & nunquam à tua gratia separetur indignus.*

Imò & Abbatissæ recentiori hoc ritu manus impositio ab Episcopo impertitur, sicut in ipso Romano Pontificali præscriptum est, eadem (præter ea quæ sexus differentiam indicant) prorsus verborum serie. Cui formulæ præfixa hæc rubrica notatu digna est. *Pontifex imponit ambas manus extentas, digitis tamen non disiunctis super caput electæ*, &c.

At in vetustiori ritu, quo Abbas (à Sede Apostolica non prouisus) per ordinarium suum, aut eius auctoritate benedicitur, nec manus ei imponuntur; nec traditur baculus: sed ab eo exigitur tantùm post responsiones ad interrogata, professio ordinario debita obedientiæ canonicæ, & pollicitatio seruandæ & obseruari faciendæ regulæ Monasterij, cuius regimini electus præficiendus est.

In Ordine Romano, qui ſub Stephano III. Papa & Pipino Rege, in Gallia primùm vſui eſſe cœpit: nihil habetur de benedictione Abbatis. At in tractatu de antiquo Miſſæ ritu, ſeu opuſculo inſcripto, Gemma animæ, libr. 1. cap. 238. cuius prænotatio eſt *de virga quæ Abbati conceditur*, moris huius aſſignantur morales ac myſticæ rationes, hac verborum ſerie. *Abbati conceditur Paſtoralis virga: quia ei conceditur Dominici gregis cuſtodia, quem nimirum debet baculo doctrinæ ſuſtentare, & virga miniſterij ad paſcua vitæ minare. per baculum quippe doctrina, per virgam accipitur diſciplina. Vnde dicitur, virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Huius baculi flexura non ex albo, ſed ex nigro debet eſſe, quia in commiſſa cura, non debet gloriam quærere. Summitas curuaturæ debet eſſe ſphærica, quia cuncta diſciplina debet eſſe deifica.* hæc ibi.

In traditione baculi ſeu virgæ Paſtoralis quæ datur Epiſcopo, aliæ inſinuantur huius ſignificationes: ſic benedicitur baculus Epiſcopalis in Ordine Romano. *Deus ſine quo nihil poteſt benedici aut conſecrari: hunc baculum benedicere dignare, vt quotieſcunque famulus tuus illum geſtando, & te in corde tenendo, per hunc ſuſtentatur, tuæ benedictionis vbertate repleatur. Per Dominum*, &c. Quando datur baculus ordinato, dicitur à conſecrante. *Accipe baculum paſtoralis officij, poteſtatem ligandi atque ſoluendi, & ſis in corrigendis vitiis perſeuerans, iudicium ſine ira tenens, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate ſeueritatis cenſuram non deſerens.* Vel ſic, pro arbitratu, Pontificio defungentis. *Accipe baculum ſacri regiminis ſignum, vt imbecilles conſolides, titubantes confirmes, prauos corrigas, rectos dirigas in viam ſalutis æternæ, habeáſque poteſtatem erigendi dignos, & corrigendi indignos, cooperante Domino noſtro.*

Ad quem in Ratoldi Abbatis Corbeienſis manuſcripto Sacramentorum Codice, ſupplex, hanc apoſtrophen dirigit Pontifex, baculum illum myſticum benedicturus:

Tu baculus noſtræ & rector per ſæcula vitæ

Istum sanctifica pietatis iure bacillum,
Quo mala sternantur, quo semper recta regantur.

Hîcque dat baculum Pastoralem dicens : *Accipe baculum sacri regiminis signum*, vt in Romano ordine. Quæ verba *sacri regiminis signum*, in Pontificali Romano edito non extant : sicut nec secunda tota superiùs ex veteri Romano ordine tradendi baculi expressa formula. in qua sequitur, *vt imbecilles consolides*, &c. Oratio autem qua benedicitur baculus, in Romano ipso Pontificali etiam alia præscribitur, sub hoc contextu. *Sustentator imbecillitatis humanæ* DEVS; *bene† dic baculum istum: & quod in eo exteriùs designatur, interiùs in moribus famuli tui, tuæ propitiationis clementia operetur. Per Christum Dominum nostrum.* Deinde illum aspergit aqua benedicta, túmque sedens accepta Mitra, solus tradit illum consecrato coram eo genuflexo, capienti ipsum inter indices & medios digitos, manibus non disiunctis.

Porrò in vetustiore superiùs recitata formula traditionis ipsius baculi Episcopalis, verba ista digna sunt quæ notentur : *Accipe baculum sacri regiminis signum.* baculus enim hic insigne est, non solùm honoris & dignitatis, sed & potestatis, éstque instar sceptri, quo Ecclesiasticus Princeps subditum populum regit & corrigit, bonos tuetur, malos reprimit & coërcet, vímque tenet ac ius vindicat Ecclesiasticæ disciplinæ. Abusus tamen hoc significatu ille Episcopus videtur, de quo Carolus magnus legitur conquestus, quòd veritus non fuisset sceptrum suum regium, auro ac gemmis coruscum surripere, quo in Ecclesia vtebatur pro Episcopali baculo seu virga pastorali*. Nimis profectò audacter ac imprudenter : cùm ab Ecclesiæ Prælatis abesse debeat omnis regiæ dominationis typhus, ipséque ornatus Pontificalis tantùm differat à regali; quantum animarum cura, à rerum caducarum administratione distat; & sacerdotalis modestia, à secularis gloriæ æmulatione ac ambitu cauere debet ac abstinere. Affinia nihilominus nonnulla habet virga Episcopalis (quantum ad moralem significatum) cum regali

* Apud Monachum Sangallens. l. 1. c. 19. *Quidam ex Episcopis* (ait Carolus) *non contentus Episcopatu quem in prima Germaniæ sede retinet: Sceptrum nostrum, quod pro regiminis nostri significatione aureum ferre solemus, pro pastorali baculo nobis ignorantibus sibi vendicare voluit.*

virga ipſóque ſceptro: quemadmodum his ex verbis facilè elici poteſt, quæ in codice extant præcitato Ratbodi Abbatis Corbeienſis, vbi exponitur ritus ſolemnis olim obſeruatus in vnctione regum Francorum. Cùm datur ſceptrum, dicit Archiepiſcopus. *Accipe ſceptrum regiæ maieſtatis inſigne, virgam ſcilicet rectam regni, virgam virtutis, quâ teipſum benè geras, ſanctámque Eccleſiam, populúmque Chriſtianum tibi à Deo commiſſum, regiâ virtute ab improbis defendas, prauos corrigas, rectos pacifices, & vt viam rectam tenere poſſint, tuo iuuamine dirigas,* &c. Cùm datur virga. *Accipe virgam virtutis atque æquitatis, quâ intelligas mulcere pios & terrere reprobos. Erranti viam doce, lapsíſque manum porrige, diſperdáſque ſuperbos, & releues humiles. Imitando ipſum qui dicit diligas iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem,* &c. Quæ monita quàm benè etiam competant Epiſcopo, gregem commiſſum vt debet dirigenti, manifeſtum eſt ex præmiſſa formula, qua baculus Epiſcopalis ſeu paſtoralis virga, ei in ordinatione traditur.

Ex cuius forma, rituum ſacrorum interpretes, myſtica moraliáque pleraque documenta eliciunt. Innocentius III. lib. 1. myſteriorum miſſæ c. 62. *Baculus* (inquit) *correctionem ſignificat Paſtoralem: propter quod à conſecratore dicitur conſecrato, Accipe baculum paſtoralitatis: Et de quo dicit Apoſtolus* 1. *Corinth.* 4. *In virga veniam ad vos. Quod autem eſt acutus in fine, rectus in medio, retortus in ſummo, deſignat quòd per eum Pontifex debet pungere pigros, regere debiles, colligere vagos; quæ vno carmine verſificator quidam expreſſit.*

Collige, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Sed Gloſa *propter hiſtoriam* in cap. vnicum *de ſacra vnctione* §. vltimo qui incipit *licet*, lib. 1. Decret. tit. 16. quatuor his verſibus, expreſſos docet luculentiores baculi Epiſcopalis ſignificatus:

In baculi forma, Præſul, datur hæc tibi norma.
Attrahe per primum, medio rege, punge per imum.
Attrahe peccantes, rege iuſtos, punge vagantes.
Attrahe, ſuſtenta, ſtimula, vaga, morbida, lenta.

Ad proprij etiam documenti rationem pertinere, ſolerter Epiſcopo aduertendum eſt, quòd baculus ipſe quem gerit Paſtoralis, cuſpidem habeat in imo, in faſtigio autem ſit recuruus. quo ſcilicet intelligat inferiorem animæ portionem, mortificatione carnis retundendam eſſe. *Benè pungitur enim caro, ſi anima compungitur.* S. Bern. in ſerm. Nec abs re etiam eſt, quòd erectus ita aſſurgat baculus, vt tamen in ſe reflexus ipſo ab apice redeat. Cauere enim debet Epiſcopus, ne quòd cæteris præſit, ſic ideò ſe extollat, vt fiat immemor propriæ fragilitatis. Dixit Dominus Petro, *Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Nam ſi ad ſe non rediiſſet Petrus, cæteris, vt opus erat, proſpicere neutiquam potuiſſet. Vnde, eius coapoſtolus Paulus, ſui ipſius explorator factus & vindex: *captiuo* (ait) *corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. 27. Quid prodeſſet quæſo paſtori ouibus præire, ſi ipſe præeundo periret? Præclarè S. Bernardus ad ſuum Eugenium, tunc patrem, olim filium. *Si totus vis eſſe omnium, inſtar illius qui omnia factus eſt, laudo humanitatem, ſed ſi plena ſit. Quomodo autem plena, ſi te excluſo? Et tu homo es. Ergo vt integra ſit & plena humanitas, colligat & te intra ſe, ſinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodeſt, iuxta verbum Domini, ſi vniuerſos lucreris, teipſum perdens? Quamobrem cùm omnes te habeant, eſto etiam tu ex habentibus vnus. Quid ſolus fraudaris munere tui? vſquequò non recipis te, & ipſe inter alios, vice tua?* &c. *Memento proinde non dico ſemper, non dico ſæpe, ſed vel interdum reddere teipſum tibi.* Hæc ſanctus Bernardus piè, doctè ac eleganter lib. 1. de conſideratione cap. 5. Idipſum ferè docet Gloſa ordinaria in cap. 1. epiſt. beati Pauli ad Titum, inſinuans baculum Epiſcopalem circa faſtigium incuruari, vt Epiſcopus cæteros regens & corrigens in ſe redeat, ſedulóque exploret ſi quæ aliis prædicat, ipſe opere exequatur, & quod exigit in eis, ipſemet virtutis poſſideat, ſi deſit exquirat, ſi quid in ceteris reprehendit, primùm in ſeipſo ſi aduertit, corrigat.

At ſunt qui ex inflexione baculi, reflexam in Epi-

ſcopis particularibus & coërcitam poteſtatem, exiſtiment deſignari. Ideóque ſummum Pontificem eiuſmodi incuruatam virgam non gerere, quia eius poteſtas nullis locorum limitibus circumſcribitur, at vbique patet. Quin & Epiſcopalem baculum incuruari, quòd ſit ſuperiori, ſummi ſcilicet Pontificis faſtigio, inferiorum Præſulum poteſtas ſubiecta: eius verò ita ſumma, vt non pendeat ab homine. Huc collineat Gloſ. Myſticum in §. vltim. capitis præcitati *de ſacra vnctione*, vbi ſic legitur. *Baculus habet in ſummitate recuruationem, quaſi ad trahendum: quod non eſt neceſſarium Romano Pontifici, quia nullus ab eo diuertere poteſt finaliter*, &c. *vel quia per baculum deſignatur coërcitio, ſiue caſtigatio. Ideò alij Pontifices recipiunt à ſuis ſuperioribus baculos, quia ab homine poteſtatem recipiunt, Romanus Pontifex non vtitur baculo, quia poteſtatem à ſolo Deo recipit.* hæc ibi. Tamen ſanctus Bernardus lib. 3. de conſec. cap. 4. in medio, alios Epiſcopos habere etiam à Deo poteſtatem aſſerit. *Erras ſi vt ſummam, ita ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo qui ait: Non eſt poteſtas niſi à Deo. Proinde quod ſequitur, qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit, & ſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Denique idem ait, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non ait ſublimiori quaſi in vno, ſed ſublimioribus tanquam in multis. Non ergo tua ſola poteſtas à Domino, ſunt & mediocres, ſunt & inferiores.*

Innocentius III. lib. 1. de Myſteriis Miſſæ cap. 62. explicans cur ſummus Pontifex baculo non vtitur: *Romanus Pontifex* (ait) *Paſtorali virga non vtitur: pro eo quòd Petrus Apoſtolus baculum ſuum miſit Euchario primo Epiſcopo Treuirorum: quem vnà cum Valerio & Materno ad prædicandum Euangelium genti Teutonicæ deſtinauit. Cui ſucceſſit in Epiſcopatu Maternus, qui per baculum ſancti Petri fuerat ſuſcitatus. Quem baculum vſque hodie, cum magna veneratione, Treuirenſis ſeruat Eccleſia.* In cuius diœceſi propter prænarratam hiſtoriam, cùm exiſtit Pontifex Romanus baculum

gestat pastoralem, non alibi, vt in opusculo nostro de Mitræ Episcopalis antiquitate, obseruatum à S. Thoma Doctore angelico, insinuasse meminimus.

Pridem tamen secus actum. quòd enim Pontifex Romanus baculo pastorali dudum vteretur, perspicuum est ex iis quæ Luitprandus Ticinensis in fine libri sexti de rebus per Europam gestis enarrat. quendam Benedictum qui Sedem Apostolicam inuaserat, more legitimi Pontificis insignia sacra vsurpasse, in hisque signatim baculum pastoralem, quem exauctoratus à Leone Papa, eidem reddidit. Pontifex verò acceptum fregit in indicium ablatæ potestatis. Quod etiam confirmat Rhegino Chron. libr. 2. his omnino verbis. *Leo Apostolicus coadunata multorum Episcoporum Synodo, eundem Benedictum Romanæ Sedis inuasorem, iudicio omnium ab inuaso gradu deposuit, & Pontificale pallium quod sibi imposuerat abscidit, ferulámque Pastoralem manu eius arreptam, coram omnibus in frusta confregit, & ad preces Imperatoris, diaconatus ei tantùm gradu vti concessit.* Vbi per ferulam, virgam designari seu baculum pastoralem indubium est. Disertè enim Honorius lib. 1. de antiquo Missæ ritu cap. 217. admonet, baculum Episcopalem etiam ferulam appellari. Imò sunt qui velint à Constantino magno, Siluestro Papæ baculum hunc virgámque, per modum sceptri concessam fuisse. Si enim donatio quam Balsamo laudat syncera sit, in ea patenter Pontifici Imperator concedit καὶ τὰ βασιλικὰ σκῆπτρα, καὶ πάντα τὰ σίγνα, *sceptra & omnia signa.* Quibus verbis in eum confert omnia insignia, quibus præfulgebat Augustorum maiestas.

Exoleuisse etiam in Græca Ecclesia aliquando ritum, apud ipsos regiæ vrbis Patriarchas, gerendi baculum pastoralem, vel ex eo aduertere possumus, quòd capta à Francis Constantinopoli, Patriarchæ permiserit Innocentius III. vti hoc insigni, ad aliorum Pontificum (Occidentalium præsertim) similitudinem, cap. *Cùm venisset, de sacra vnctione*, in ipso fine capitis. Vbi præfatus Innocentius sic ait: *Licèt Romanus Pontifex non vtatur baculo Pastorali, tum propter historiam,*

tum propter myſticam rationem : tu tamen ad ſimilitudinem aliorum Pontificum poteris eo uti. Hoc enim indultum Patriarchæ Conſtantinopolitano impertiri ab Innocentio, notat expreſsè gloſa præliminaris, in caſu huius capitis.

Sublimi cruce vtitur tamen huc vſque ſummus Pontifex, quam inſtar pedi eſſe Epiſcopalis, ſi quis cenſuerit, non à veritate ipſum deflectere idcirco exiſtimauero; quòd etiamnum apud Ruthenos & Moſcouitas Epiſcopi pro virga crucem perferant, ſeu cruciatis vtantur baculis, quemadmodum teſtis oculatus prodidit Sigiſmundus Liber Baro, in ſuis commentariis rerum Moſcouitarum. Hinc enim perſpicere eſt virgam Paſtoralem ad crucis modum efformatam, antiqui vſus eſſe, vicéque baculi etiam geſtari.

Cæterùm quibuſdam Abbatibus iam olim, ſaltem circa ſæculum decimum, à Sede Apoſtolica conceſſum fuiſſe vt Paſtorale pedum perferrent, iis maximè quibus cæteris Pontificiis inſignibus indultum fuit potiri: res eſt vel ex hoc comperta, quòd baculum paſtoralem iam ferè à primordio fundationis traditum ſuprà meminimus beato Odoni Abbati Monaſterij Cluniacenſis immediatè pendentis à Romana Eccleſia, quæ cauſa eſt cur in diplomate Vrbani II. Papæ, quo ſancto Hugoni mitram cum ceteris Pontificalibus ornamentis conceſſit, dum ea ſigillatim recenſet, nullam tamen faciat baculi mentionem, nec enim opus erat huius inſignis ſpeciatim facultatem recenſere, cuius antè vſu, notum erat, monaſterij huius Cœnobiarcham pollere ſolitum. Iamiam vulgare eſt (vt ex præmiſſis obſeruationibus conſtat) baculum regularibus queiſque Abbatibus, ipſorum in promotione tradi, myſtica cum formula benedictionis.

Sed & Preſbyteris (quo nomine parœciales Paſtores iuris ſacri peritis perſpectum eſt indicari) baculum fuiſſe in vſu, elici videtur ex Canone *Nullus Epiſcopus, Preſbyter,* &c. De conſecrat. diſt. 1. num. 57. cuius titulus eſt: *Cum baculo aut capite velato ad celebrandum miſſarum ſolennia Clericus non ingrediatur.* Verùm ſi ex

hoc

hoc canone consectaneum foret, Presbyterum baculum pastoralem ad altare dudum gessisse, mitræ quoque emicuisse ornatu dum sacrificatum accederet, fas etiam foret inde concludere, imò & diaconum vtroque pariter enituisse ornamento: sic enim se habet citati canonis, qui nomine Zachariæ Papæ notatur primordialis series. *Nullus Episcopus, Presbyter aut diaconus, ad solennia missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altario assistere.*

At nodus facilè totius difficultatis dissoluitur, admissa distinctione quæ ex glossa *baculo*, in dictum canonem resultat. Nimirum hîc non agi de Pastorali virga, sed de baculo communi. Syntagma quoque canonicum illic expressum, speciali dignum est obseruatione. Nempe *non debere promoueri in Presbyterum, qui sine baculo in altari sustentari non potest.* Imò quisque ab aditu ad sacros ordines, hac ex imbecillitate arcetur: iuxta glossam *claudus* in canon. *si quis in infirmitate* dist. 55. qua cauetur, vt si quis ita claudicet, vt nonnisi cum baculo possit ad altare prodire, ad altaris ministerium non debere ordinari. Alia causa tamen subest, cur ipse Episcopus accedens ad altare sacra peracturus, mitram & baculum deponat, ea tamen resumat cùm se vertit ad populum. Siquidem reuerentiæ causâ coram Deo assistens baculum potestatis insigne, & mitram dignitatis indicem, hoc est sacerdotale diadema demittit: beatorum illorum seniorum, quos in regni aula cœlestis, dilectus Domini Ioannes, superno lumine mente irradiata conspexit, exemplum imitatus: *qui cùm darent gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, procedebant & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Apocalyps. 4. 10. Adde quod pro præmio diuini obsequij speret Antistes, cum fideli populo *reuelata facie* 2. Cor. 3. *gloriam Domini speculari.* Cuius expectationis indiciô, procedens in conspectum Domini, caput detegit, baculúmque deponit quo, exutâ mortali infirmitate, ampliùs opus non erit. Tum enim cessabit labor & omnis fatigatio, partâ tandem requie sempiternâ. Iam

enim vltrà non erit lucta, neque luctus, neque labor, neque dolor deinceps erit, quia omnia hæc abierunt.
1. Cor. 15. 28. *Erit porrò Deus omnia in omnibus.* Qui *ſanabit omnes*
Pſal. 102. 3. &c. *infirmitates noſtras, qui redimet de interitu vitam noſtram, qui coronabit nos in miſericordia & miſerationibus, qui replebit in nobis deſiderium noſtrum;* proinde & tædium omne ac faſtidium remouebit. Anagogicæ hæ cauſæ ſunt, cur Epiſcopus dum ingreditur ad altare Dei, eiúſque vultui aſſiſtit, fulcimentum deponit infirmitatis ſuæ, & noſtræ ſignum imbecillitatis.

Sed cùm ſe ad populum conuertit, reſumit tam Epiſcopalis honoris, quàm ſacri Imperij inſignia: vt ſcilicet ſe non modò pro populo apud Deum oſtendat eſſe interceſſorem, ſed vindicem quoque diuinæ legis & gloriæ profiteatur, ſicut pridem ſe exhibuit Moſes: *in cuius pectore* (ait ſanctus Gregorius lib. 20. Moral. part. 4. cap. 6.) *intueri libet miſericordiam, cum ſeueritate ſociatam. Certè cùm Iſraëliticus populus ante Dei oculos penè innumerabilem contraxiſſet offenſam,* &c. *ille ſemel & iterum, pro populo, cui præerat, obicem ſe ad impetum Dei iraſcentis opponens, ait. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis dele me de libro tuo,* &c. *Penſemus quibus viſceribus eundem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri ſe petiit. Sed tamen iſte, qui tanto eius populi amore conſtringitur, contra eius culpas, penſemus, quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione prima, ne delerentur culpæ veniam obtinuit, ad eundem populum veniens ait: ponat vir gladium ſuper femur ſuum: ite & redite de porta ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum,* &c. *Ecce qui vitam omnium etiam cum ſua morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit. intus arſit ignibus amoris, foris accenſus eſt zelo ſeueritatis. Tanta fuit pietas, vt ſe pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret, tanta ſeueritas, vt eos quos diuinitus feriri timuerat ipſe iudicij gladio feriret,* &c. *ſic circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina,* &c. *Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis, virga ſimul*

& manna est. Quia cùm Scripturæ sacræ scientia, in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Virga enim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans. Sit Zelus, sed non immoderatè sæuiens: sit pietas, sed non plus quàm expediat parcens.

Cæterùm ad indicium & commendationem dignitatis Episcopalis, iamdudum fuisse virgam Pastoralem Præsulibus mystico ritu traditam, ex veteri more qui maximè apud Francos ab ipso eorum regni ferè exordio viguit, promptum est elicere, quem litteris prodidit Gregorius Turon. hist. Franc. l. 7. c. 32. *Post hæc* (inquit) *misit iterum Gundobaldus duos legatos ad* (Guntchramnum) *Regem cum virgis consecratis, iuxta ritum Francorum, vt scilicet non contingerentur ab vllo, sed exposita legatione cum responso reuerterentur.* Porrò Christianorum quis obsecro nesciat æterni Regis ad homines Episcopos mandata perferre, pacisque & salutis nuntios agere. Iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Quas gerunt igitur virgæ sacratæ Pontifices in manibus, crediti diuinitus sibi huius ad nos salutiferi muneris indicio sunt. Itidémque monimento honoris & obseruantiæ, quibus eos à nobis excipi decet ac audiri. Vnáque securitatis atque fiduciæ quà nos ipsi adire, monere, hortari ac corripere debeant sicut patres filios, ac discipulos magistri, iuxta hæc effata eiusdem Apostoli ad Ephesios 6. *Vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Euangelij, pro quo legatione fungor; ita vt in ipso* (Christo) *audeam, prout oportet, me loqui.* Rursúmque ad Corinthios epistolæ primæ cap. 4. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis.* Iterúmque ad eosdem epist. 2. cap. 10. *Nam arma militiæ no-*

stræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi & in promptu habentes (quasi erectâ ad corripiendum correctionis virgâ) *omnem vlcisci inobedientiam.* Patrum Galliæ in Vernensi consessu pridem habito huc spectare videtur, hoc memorabile constitutum. *Episcopus in cuius Parochia aliquis consistens aliquid depradatus fuerit, semel & bis atque tertiò, si necesse fuerit, vocabit illum sua admonitione, per suum Presbyterum Canonica* ad emendationem & ad pœnitentiam, vt Deo & Ecclesiæ satisfaciat quam læsit. Si autem despexerit atque contempserit admonitionem atque saluberrimam inuitationem, feriat illum Pastorali virga, hoc est sententia excommunicationis, & à communione sanctæ Ecclesiæ omniúmque Christianorum sit separatus, vsque ad congruam satisfactionem & emendationem. Quam excommunicationem debebit Episcopus seniori illius notam facere, & omnibus suis Coepiscopis, ne eum recipiant vsque ad satisfactionem.* Inter Carolomanni Capp. c. 5.

* canonicè,

DIGRESSIVNCVLA

De inuestituris, aliquando à Principibus vsurpatis per annulum & baculum; vbi & obiter de Canonicarum electionum in hoc regno, veteri vsu disseritur.

AT verò satis abundè, meritò cuique videri posset, hactenus à nobis de Pastorali virga & Episcopali baculo dissertatum. Sed inexpensum præterire nequeo verbum illud peculiari dignum recensione, quo vsus est Auctor *Sermonis in Cœna Domini* apud S. Bernardum, vt Canonicum libro, sic Abbatem baculo, Episcopum verò cùm cæteris insignibus, tum etiam baculo *inuestiri.* Reuocat enim in memoriam luctuosum illud verbum, acres illas contentiones, quæ de inuestitura Præsulum inter Germaniæ Imperatores præser-

tim, & Pontifices summos, pridem efferbuerunt.

Dissidij huius originem vt obiter attingamus, Sigebertus in Chronico auctor est, Hadrianum Papam Carolo magno, ius inuestiturarum, per annulum & baculum conferendarum, in Synodo frequentissima centum quinquaginta trium Episcoporum, vnà cum priuilegio designandi Pontificem, concessisse. Falsò at id prodidisse Sigebertum * Baronius sub annum septingentesimum septuagesimum quartum planè euincit**. Cùm nullus ante ipsum Sigebertum, meminerit tam memorabilis indulti, de quo & qui res Caroli per singulos annos gestas exactiùs recensuêre, planè conticuerunt. Et meritò quidem, quî enim fieri potest, vt tam exorbitans, ac Ecclesiæ exosum priuilegium, Carolo magno Hadrianus Papa contulerit? Cùm ipsas inuestituras, seu Episcoporum per potestatem sæcularem electiones ac designationes, fuisse constet prohibitas sub eodem Hadriano Pontifice, in septimo Concilio generali can. 3. quo decreuit œcumenica Synodus, vt omnis electio Episcoporum aut Sacerdotum quorumcunque à Principibus facta irrita maneret. Sequenti sæculo idem in octauo Concilio generali legere est constitutum. Actione siquidem decima sancitum est, ne à Principibus vel eorum fauore eligerentur Episcopi: nec ipsi Antistites indecentia obsequia Magistratibus exhiberent.

* *Ad annum Domini* M. CXI.
** *Tom.* 9.

Postquam tamen à Caroli stirpe imperium ad Germanos Principes translatum est, Imperatores nescio cuius, non quidem priuilegij à Sede Apostolica emanati (quod credulus nimium Gratianus, deceptus à Sigeberto hac in causa Romanæ Ecclesiæ infesto hoste, aliquando concessum, perperam existimauit, can. *Hadrianus* dist. 63. atque subinde reuocatum can. *Ego Ludouicus* eadem dist. aliisque sparsim canonibus insinuare studuit:) sed priscæ quam prætendebant consuetudinis iure, hanc sibi potestatem arrogarunt, dirisque modis sibi asserere contenderunt. Repugnantibus toto nisu Pontificibus Romanis, quorum omnium acerrimè Gregorius VII. libertatem Ecclesiæ contra tam funestos ausus, ad extremum vsque vitæ

ſpiritum defendit. Quæ potior ferè inter eum & Henricum IV. Germaniæ Cæſarem controuerſia, in hoc çardine vertebatur, quem vetus Fragmentum hiſtoriæ à Roberto, ad mortem Philippi Regis Francorum, indigitat. *Exigebat quoque idem Papa* (Gregorius VII. videlicet) *ab eo* (Henrico IV. nimirum Imperatore) *dimitti dominationem omnium ſui Imperij Eccleſiarum: ne cui baculum paſtoralem donaret. iuxta quod in antiquorum ſtatutis patrum continetur. Quod ille facere renuit. Hæc fuit iuſtior cauſa anathematis.*

Extat editū à Quercet. tom. 4. hiſt. Franc. p. 88.

Fatetur tamen magnus Eccleſiæ Annaliſta, ſub annum milleſimum ſeptuageſimum ſeptimum, inueſtituras ipſas, tametſi iniuſtas fuiſſe toleratas, à quibuſdam Gregorij VII. prædeceſſoribus: quandiu ſcilicet Principes abſtinuerunt in earum vſu, ab omni illegitimo mercimonio. Vbi verò ſemel irrepſit ſacrilega nundinatio, poſt multos tentatos, exitioſi huius abuſus ſuccidendi, à Leone IX. & ſucceſſoribus enixus: tandem Gregorium VII. feruentiori zelo exardeſcentem, eradicandæ ſtirpitus infauſtæ huius propaginis falcem Apoſtolicam exercuiſſe, vigoréque planè ſacerdotali aggreſſum, turpis huius ſeruitutis iugum ab Eccleſiæ gementis ceruice amouere.

Scripſit eo tempore quo magis hoc feruebat diſſidium, Waltramus quidam Epiſcopus, tractatum de inueſtituris: quo ſecluſa ab his omni nundinatione, probari poſſe earum vſum exiſtimauit. Adeóque ex neſcio qua conſtitutione defendi poſſe, dummodo per inſignium, baculi maximè traditionem, temporalia duntaxat, à ſæculari Principe, Prælato concedi intelligeretur. *Purè & integrè* (inquit) *ſeruanda eſt antiqua conſtitutio*, ne puſilli Chriſti ſcandalizentur: nihil enim refert, ſiue verbo, ſiue præcepto, ſiue baculo, ſiue alia re, quam in manu tenuerit, inueſtiat aut intronizet Rex & Imperator Epiſcopum: qui die conſecrationis veniens, annulum & baculum ponit ſuper altare, & in curam paſtoralem ſingula accipit, à ſtola & auctoritate ſancti Petri. Sed congruum magis eſt, quod per baculum, qui eſt temporalis & ſpiritualis, præcedens inueſtitura per Regem in*

* *conſuetudo.*

fundis & rebus Ecclesiæ, contra tyrannos & raptores; quieta & pacifica reddit omnia.

Per baculum, Episcopos diu ante tempora Caroli magni, & posteriorum Occidentis Imperatorum, Regúmque Christianissimorum, in Francia solitos fuisse designari: vetus qui scripsit auctor vitam sancti Romani Episcopi Rothomagensis, anno sexcentesimo vigesimo, die 23. Octob. consecrati; ipsum à Clothario Rege cuius à secretis erat, suscepisse baculum pastoralem, cuius indicio & pignore ad Episcopatum promoueretur. *Fit itaque* (inquit) *inter Palatinos proceres, de viro sancto communis assensio: qui omnes vnanimiter Regi consulunt, ne grex Christi suo fraudetur desiderio, sed diuina protinus ad effectum ducatur electio*: quo Rex gratulatus consilio conuocatis tam Episcopis quàm Abbatibus, baculum illi contulit pastoralem.* Inthronizatur *ergo Pontificali apice,* &c. Sed Rex ille Clotharius, nouo exemplo id videtur aggressus, adeóque singulari, vt solus ex prima Regum stirpe fuerit, cuius consimile factum denotari possit. In secunda porrò, nullus memoratur, qui hoc fuerit imitatus. In tertia verò, praua ex æmulatione Germaniæ regum, virus hoc exitiosi ausus, quo sæcularis potestas, sacræ sibi dispositionem arrogabat, in Franciam serpens, eò vsque tempore Roberti Regis peruenerat, vt non modò Episcopi, sed & Abbates, quorum plerique iam insignia Pontificia ambiebant, à Rege per baculi traditionem & susceptionem sese inuestiri paterentur. Quem propudiosum Christianæ Reipublicæ morem, meritò detestatus Robertus sanctæ memoriæ Rex noster, insigni facto memorabilíque documento indicauit, penitus conuellendum. Refert de eo siquidem Glaber Rodulphus lib. 5. cap. 1. Quòd cùm ad eum venisset quidam Abbas, regij fauoris ambitu sacram præfecturam aucupatus, pio ei succensuerit animo, dicens: *Depone baculum regiminis pastoralis, quem credis largitione mortalis hominis debere gestari.* Quem cùm à se proiecisset: suscipiens illum Rex, imposuit dexteræ imaginis Saluatoris, *vade* (inquiens Abbati) *& suscipe illum de manu omnipotentis Regis, nec sis vltra pro eo*

* Inde liquet, non mero nutu regio, sed & præuia electione sanctum Romanũ factum fuisse præsulem Rotomagensem.

debitor alicuius mortalis, sed liberè vtere eo vt decet culmen tanti nominis. at ipse gaudenter illum suscipiens plurimis de tali facto alacritatem contulit, ac dehinc, cum omni libertate viguit. Hæc Glaber Rodulplus de Roberto Rege Christianissimo. Cuius à moribus, eius ex filio nepos successórque mediatus Philippus, hac in re deflectens, inuestituram Prælatorum per baculum denuò sibi vendicauit, Henrici IV. Regis Germaniæ tum magno animi æstu profanam sibi, ex hoc infausto vsu dedecorámque gloriam affectantis, turpia vestigia consectatus. Sed sanctus Galtherus Pontæsianus Abbas, infractæ vir pro Dei gloria & Ecclesiæ honore constantiæ, omne in æuum memorabili monimento hos Philippi refregit conatus. Hic enim à Monachis quibus fuerat electus, cùm vix adduci potuisset vt delatum susciperet sacri regiminis honorem, acceptâ Episcopali benedictione, ad Philippum prædictum Regem temporalium inuestituram recepturus accessit. Cúmque Rex ei baculum, prope recuruam partem, hoc est pedi ferè fastigium, tenens contraderet: sanctus vir curuitatem ipsam baculi arripiens, manum suam regiæ superposuit, hæc graui verendóque vultu effatus. *Non de subter manum tuam, sed desuper, non enim regimen Ecclesiæ à te recipio, sed à Deo.*

Modum illum inuestiendi per baculum, regibus exteris fuisse etiam celebrem, documento est historia insignis apud Matthæum Paris, in vita Willelmi II. de Vlstano Episcopo Vigorniensi, qui ab aduersariis impetitus, baculum seu virgam Episcopalem noluit reddere, nisi tumulo Regis EdWardi, à quo viuente acceperat: quæ quidem ibi affixa nullius postea manu auelli potuit nisi ipsius Vlstani, quem etiam consummatæ sanctitatis merita, post mortem coronarunt, fastis Ecclesiasticis adscriptum 19. Ianuarij, quo die ad superos nonagenarius commigrauit, anno salutis 1093. Auctor Commentarij de Præsulibus Angliæ, tametsi sanctorum hostis, fideique Catholicæ liuidus insectator, rem dignam memoratu, & quæ sanctitatem ipsius Vlstani testatam omnibus facit, in Catalogo Wigorniensium

ſium Epiſcoporum num. 24. ſub fine commemorat. *Incendio* (inquit) *Eccleſia Vigornienſi deflagrante, ſepulchrum eius à furore flammæ immune repertum eſt, & ab eo viuente miracula patrata quamplurima.* Qui tametſi acceperit à Rege Edwardo baculum, antè fuerat libera cleri ſuæ Eccleſiæ deſignatione electus, vt idem auctor animaduertit in eius geſtorum compendij exordio.

Paulò poſt felicem eius exceſſum, ſanctus Anſelmus in vicem Lantfranci defuncti Cantuarienſis Antiſtitis, primatíſque Angliæ ſuffectus, de inueſtiturarum, non tam iure quàm abuſu, cum Henrico I. Angliæ Rege diſſidium habuit, & quidem diutinum. Superuacaneum foret, vexationes quas pro Eccleſiæ libertate hac in cauſa Anſelmus ipſe perpeſſus eſt, recenſere. Nec hîc videtur neceſſarium. Edinerus & Willelmus Malmeſburienſis minutim eas res perſequuntur. Recidit tandem eò totum illud certamen, vt Rex victus ſanctiſſimi Archiepiſcopi conſtantiâ, & Paſchalis Papæ monitis, tandem inueſtituris, quas Apoſtolica Sedes hactenus reprobauerat, euulſúmque ire modis omnibus contenderat, prorſus renunciaret. Eo tamen pacto quo inter Sedis Apoſtolicæ & Regis ipſius Legatos conuentum fuit, vt Rex quidem de Epiſcopis ob temporalia homagia acciperet, nullum verò de cætero inueſtiret per annulum & baculum. quemadmodum præfatus Malmeſburienſis enarrat lib. 2. de geſtis Pontificum Angliæ. Sub annũ ſalutis 1107.

In Hiſpania, quæ ab ætate impij Vatizæ Regis, qui à Sedis Apoſtolicæ obedientia perfidè defecerat anno ſeptingenteſimo primo; Saracenorum iugo miſerè oppreſſa ſuccubuit, (anno ſeptingenteſimo decimo tertio: à qua dira ſeruitute anno duntaxat milleſimo ſeptuageſimo tertio, vix per Reges Sancium & Alphonſum, Mauris repreſſis pro parte maiori vindicata, tandem reſpirare longum poſt enixum viſa eſt.) concertatio illa de inueſtituris, quæ cætera Occidentis * regna adeo infeliciter perturbabat, non ita efferbuit. Tametſi Reges iam olim in Epiſcoporum deſignatione, ſuæ auctoritati attributa à Maioribus iura, numquam neglexe-

* Nam in Oriente, clero & populo ius electionis iamdiu antè ademptũ fuerat, idque ferè totũ Imperatori vindicatũ: ſola ferè ordinatione, cum aliquâ vmbratili electione Epiſcopis prouincialibus reſeruatâ. At de hoc more aliàs opportuniùs.

rint. Statuerat Concilium duodecimum Toletanum, quod ſub Agathone Papa anno ſexcenteſimo octuageſimo primo coaluit, vt in electione Epiſcoporum Regis deſideraretur aſſenſus. Hoc enim titulo canonem 6. eiuſdem Synodi inſcriptum, Gratianus retulit in ſui decreti 1. p. diſtinct. 73. can. 25. Tametſi ex ſerie perſpicere ſit, moris fuiſſe antiqui, vt Rex perſonam præficiendam deſignaret: cuius ſubinde doctrinam & mores diſcuteret Synodus. Sed quoniam longæ moræ intercedere contingebat, inter futuri ſucceſſoris electionem, & eius confirmationem: compendioſius huius Concilij Patribus viſum, Toletano Antiſtiti vices Synodi concedere, cuius examine approbatus electus, ſine diutiori mora, ab ipſo Archipræſule Toletano ordinaretur. Rebus igitur Chriſtianis poſtliminiò tandem reſtitutis, hîc meliùs cum Eccleſia actum, quo tempore Reges cæteri, & maximè Germaniæ Cæſares, acriùs pro inueſtituris per annulum & baculum actitandis, cum ſummis Pontificibus cõflictabantur: quia circa huius tempus diſſidij manſit Hiſpania magis intenta expellendis fidei & regni hoſtibus, quàm de honorum ſacrorum ciuili erogatione ſollicita. Cùm Reges contenti eſſent iure pridem ſibi attributo, deſignandi perſonas præficiendorum: ſed quorum rata minimè foret indicatio, niſi Synodalis auctoritas, vel Toletani Præſulis (qui primas Hiſpaniæ iam olim habitus eſt) decretum, illam nominationem confirmaſſet. quam etiamnum retinent Reges Hiſpaniæ, ſed confirmationis imò creationis auctoritate, à cuius iure, dudum Toletanus excidit, ſummo Pontifici reſeruatâ. Exemplô Regum Galliæ, qui modeſtiores ſemper circa res ſacras habiti, ſæpeſæpius Eccleſiæ electionum libertatem reſtituerunt. Tandémque Pragmaticâ ſanctione abolitâ, hoc pacto cum Sede Apoſtolica concordarunt, vt ſibi quidem ius nominationis ſuppeteret, ſummo autem Pontifici creationis ac prouiſionis propria foret auctoritas.

Iuo Carnotenſis magnum ius Regi competere in Epiſcoporum deſignatione, multiplici de cauſa exiſtimauit (qua de re ſubinſenſum ſibi ſenſit Vrbanum II.)

imò eò vſque progreſſus eſt, vt etiam inueſtituram quæ fit per traditionem baculi paſtoralis, meritò tolerari poſſe, arbitraretur*, modò finis legitimus præfigeretur huic cæremoniæ: vnde ſic ſcribit Hugoni Lugdunenſi Archiepiſcopo, legato Apoſtolicæ Sedis. *Quod autem ſcripſiſti prædictum electum* (Dambertum Senonenſem) *inueſtituram Epiſcopatus de manu Regis accepiſſe, nec relatum nobis ab aliquo qui viderit, nec cognitum. Quod tamen ſi factum eſſet, cùm hoc nullam vim ſacramenti gerat in conſtituendo Epiſcopo, vel admiſſum, vel omiſſum, quid fidei, quid ſacræ religioni officiat ignoramus. Cùm poſt canonicam electionem, Reges ipſos, Apoſtolica auctoritate, à conceſſione Epiſcopatuum prohibitos minimè videamus. Legimus enim ſanctæ recordationis ſummos Pontifices, aliquando apud Reges pro electis Eccleſiarum vt eis, ab ipſis regibus, concederentur* Epiſcopatus ad quos electi erant, interceſſiſſe: aliquorum quia conceſſiones regum nondum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe**. Quorum exempla ſuppoſuiſſemus, niſi prolixitatem epiſtolæ vitaſſemus. Dominus quoque Papa Vrbanus, reges tantùm à corporali inueſtitura excludit, quantum intelleximus, non ab electione, inquantum* SVNT CAPVT POPVLI, *vel conceſſione: quamuis octaua Synodus, ſolùm prohibeat eos intereſſe electioni, non conceſſioni. Quæ conceſſio ſiue fiat manu, ſiue nutu, ſiue linguâ, ſiue* VIRGA, *quid refert? cùm Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed tantùm aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere.* Hæc Iuo, cuius tamen opinio de licita inueſtitura temporalium, per virgam, ſeu baculum paſtoralem, ab Eccleſia minimè probata fuit. Nam quæuis eiuſmodi inueſtitura per traditionem annuli & baculi, fuit paulò pòſt abſolutè condemnata, pleriſque in Synodis. Ipſe verò Henricus Rex Germaniæ, qui nefariis modis à Paſchale II. extorſerat priuilegium, quo ſibi concedebatur ius inueſtiendi per annulum & baculum, illi poſtea expreſsè renunciauit in Wormatienſi Concilio, cui præerant Lambertus Cardinalis Epiſcopus Oſtien-

* *Epiſt.* 60.

* *Can.* Reatina *diſt.* 63.

** *Can.* Agatho *& ſequentibus diſt.* 63.

ſis, & duo alij Cardinales Calliſti Papæ Legati anno 1122. Cuius ſolemnis renunciationis hic tenor eſt, quem legimus ab Vrſpergenſi memoriæ conſignatum.

* V. Rex. IV. Imperator.

*Ego Henricus * Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & remedio animæ meæ, dimitto Deo & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo, & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, omnem inueſtituram per* ANNVLVM ET BACVLVM, *& concedo in omnibus Eccleſiis fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia beati Petri, quæ à principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernum diem, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo, ablata ſunt, quæ habeo etiam, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, vt reſtituantur fideliter adiuuabo. Et do veram pacem Calliſto, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt, & in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulauerit, fideliter iuuabo.* Subſignauerunt Prælati & Principes Imperij, quorum aſſenſu atque conſilio Henricus ipſe quartus, hanc cum Sede Apoſtolica concordiam contraxit.

Viciſſim verò à Calliſto Papa Apoſtolicis codicillis conceſſum eſt ipſi Imperatori, vt quæ Regij iuris erant ac honoris ſibi in Prælatorum electione ac inſtitutione, de cætero pacificè vendicaret. Hac ſcilicet Apoſtolicarum rerum ſerie. *Ego Calliſtus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Henrico, Dei gratiâ Romanorum Imperatori Auguſto. Concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici regni, quæ ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque ſimonia & aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Prouincialium conſilio vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum & auxilium præbeas. Electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat: exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex iure tibi debet faciat. Ex aliis verò partibus Imperij, conſecratus infra ſex menſes, regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi querimoniam feceris, ſecundùm officij mei debitum auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem &*

omnibus qui in parte tua ſunt vel fuerunt, tempore huius diſcordiæ. Data anno Domini M. C. XXII. *Nono Kal. Octobris.* Sic igitur grande tandem ſopitum eſt incendium infauſtæ illius diſſenſionis, quæ à tot annis, in toto ferè Occidente exarſerat: Deinceps etenim nulla inter Apoſtolicam Sedem & Imperium (quæ cuiuſquam momenti fuerit) extitit de eiuſmodi inueſtituris controuerſia. Senſim verò etiam mos ille, quo per ſceptrum Imperator regalia Prælatis concedere, ex ſuperiùs inita cum Pontifice ſummo tranſactione, licitè poterat, in deſuetudinem venit, mortuo Henrico V. huius filio ſine liberis: ex cuius ſtirpis defectu, Imperium tranſiit à Germanis ad Saxones.

Nec ritus ille nouus, apud Francos inualuit, vt per ſceptrum Rex Epiſcopum, etiam de temporalibus inueſtiret. Vix baculi etiam aut annuli traditio in vſu fuit. Vnde ſuprà vnum duntaxat vel alterum huiuſmodi inueſtituræ exemplum, accuratiùs inueſtigatum, ex Regum geſtis licuit obſeruare. Quorum poſterius reprehenſione non caruit. Prius adeo ſuſpectum eſt, vt ab editore vitæ ſancti Romani non coætaneo, rem non vt facta eſt, ſed vt ex ſui æui corruptela fieri alicubi inaudierat referentis, hanc narrationem profectam eſſe non temerè mihi perſuadeam. Certè enim tempore Clotharij, nondum auditum erat Inueſtituræ nomen: minus verò mos ille, quo Rex Epiſcopatum conferret per baculum & annulum. Extat in Synodo Pariſienſi V. ſub eodem Clothario acta anno 615. eiuſdem Edictum, quo tantum abeſt vt ſibi arroget merum imperium in Epiſcoporum inſtitutionibus: vt potiùs præcipiat in electionibus eorumdem, canonicas ſanctiones obſeruari. *Ideóque* (inquit) *definitionis noſtræ eſt, vt Canonum ſtatuta in omnibus obſeruentur,* &c. *Ita vt Epiſcopo decedente, in locum ipſius qui ordinari debet, cum Prouincialibus, à clero & populo eligatur, & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur: vel certè ſi de Palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur,* &c. *ſi quis clericus quolibet honore munitus, contempto Epiſcopo ſuo vel prætermiſſo, ad Principem aut*

ad potentiores quaſque perſonas ambulare, vel ſibi patrocinium elegerit expetendum, non recipiatur. Contenti erant certè hoc ſæculo, vtplurimùm, Chriſtianiſſimi Reges, vt electionis ſerie ſibi renuntiatâ, à ſua Maieſtate rata haberi poſtularetur electio. Sic confirmatam à Theodorico Rege anno 670. conſtat ex eius reſcripto, electionem Eremberti Abbatis Corbeienſis.

Sed non eſt quòd lectorem, pluribus huius praxis exemplis remoremur. Doctiſſ. Sirmondi, in ſua ſuper formulas antiquas præfatione, hîc referenda venit hac de re accurata animaduerſio. *Quandiu* (inquit) *Imperio Romano Galliæ paruerunt, cleri plebiſque in Epiſcoporum electiòne ſuffragia fuerunt. Cæterùm poſtquam in Gallia, vel in aliis gentibus, pulſis Romanis, exorti ſunt Reges, fecit Epiſcoporum apud omnes dignitas eximia, vt ſua intereſſe Principes ducerent, illos niſi arbitratu & voluntate ſua non creari. Quæ in re licèt reclamarint ſæpenumero Epiſcopi noſtri, atque in Synodis ſuis priſtinam electionum libertatem ſartam tectam retinere conati ſint, vt in Concilio Aurelianenſi III. can. 3. in Aruernenſi can. 11. in Aurelianenſi V. c. 1. in Remenſi c. 25. in Cabilonenſi c. 10. vicit tamen Regum auctoritas, obtinuitque, vt Epiſcopi nulli haberentur: niſi quos vel ipſi imperarent, vel à clero ciuibúſque expetitos probarent & annuerent. Ita ergo Nicetium, Treuiris, docet Gregorius Turonenſis, Theodorici Regis iuſſu ad Epiſcopatum fuiſſe accitum, datóque populi conſenſu, & decreto Regis ordinatum. Quintianum itidem, & hoc mortuo Gallum Aruernis, ab eodem Theodorico Rege datos Epiſcopos. Ita, vt de multis paucos commemorem, Germanum Pariſienſem Childeberti, Ommatium Turonenſem Clodomeris, Medardum Viromandenſem, & Eufronium rurſus Turonenſem, & Domnolum Cenomanenſem Clotharij Regis iuſſu vel aſſenſu, Cathedram adeptos, memorant Gregorius idem & Fortunatus. Eodémque modo deinceps à Chilperico fratribúſque: tum à Clothario II. Dagoberto, Clodouæo iuniore, ac cæteris Merouicæ familiæ Regibus, delatos fuiſſe aut conceſſos Epiſcopatus, & hiſtoriæ produnt, & fidem faciunt, apud Marculphum & alios, quæ tum in*

vſu erant, veteres formulæ. Quarum aliæ populi ad Regem preces continent, hunc aut illum Epiſcopum flagitantis: aliæ præceptum de collato Epiſcopatu; aliæ indiculos ad Metropolitanum & Epiſcopos pro Epiſcopi noui ordinatione. Nec diuerſam porrò ſub primis ſecundæ familiæ Regibus Pippino & Carolo rationem, extitiſſe, tum eorum quibus Epiſcopatus commiſerunt, exempla demonſtrant, tum Synodi illorum temporibus celebratæ. In quibus cùm multa de Epiſcoporum officio & diſciplina præcipiantur, nulla vſquam electionum Epiſcopalium fit mentio. Primus antiquæ conſuetudinis memor Ludouicus Pius, anno vt reor Imperij ſui tertio, eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Eccleſiæ reſtituit, quæ à nobis ſuo loco eſt edita, & in lib. 1. Capitularium cap. XXIV. *legitur his verbis,* DE EPISCOPIS ELIGENDIS*. *Sacrorum Canonum non ignari, vt in Dei nomine ſancta Eccleſia liberiùs potiretur honore, aſſenſum Eccleſiaſtico ordini præbuimus, vt ſcilicet Epiſcopi per electionem cleri & populi ſecundùm ſtatuta Canonum, de propria diœceſi, remotâ perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur: vt exemplo & verbo ſibi ſubiectis, vſquequaque prodeſſe valeant. Sed huius tamen legis beneficio, ita electionum iure in poſterum vſæ ſunt Eccleſiæ, vt ſingulæ mortuo Epiſcopo, primum omnium noui eligendi facultatem, per Metropolitanum à Rege peterent, cum viſitatore qui præeſſet electioni. Tum electionis factæ decretum ad Metropolitanum referebatur, vt ea Regi probata, & electo coram Prouincialibus ritè examinato, tum demum ordinaretur, mandatúmque ab ordinatoribus acciperet, quomodo ipſum in Epiſcopali munere iuxta Canonum ſtatuta verſari oporteret.* Hæc eruditiſſimus Sirmondus. Ex quibus facilè perſpicias ritum modúmque multiplicem, quo ſub primæ & ſecundæ ſtirpis Regibus, fieri contigerit Antiſtitum in Gallia deſignatio. Sub tertia verò progenie Regum, quæ etiamnum pullulat, quomodo huc vſque actum, breui lubet compendio exponere.

* Refertur ſeriatim Decreti 1. parte diſt. 63. can. ſacrorum, ex 1. lib. Capitulorum Caroli & Ludouici Imperatorum can. 84. hac ſub inſcriptione, *Liberum ſit clero & popul de propria diœceſi Epiſcopum eligere.*

Sanè Hugo cognomine Capetus tertiæ huius familiæ parens, in epiſtola ad Ioannem Papam, qua de Arnulphò queritur, ſibi non tam fortè infeſto, quàm inuiſo, Archiepiſcopo Remenſi: ſpecimen expreſſum de-

dit, quo Episcoporum fiebat sub regno eius institutio, assensu scilicet & beneplacito Regis, cui Episcopus fidelitatis iuramentum sub chirographi obsignatione, præstabat : nulla baculi vel annuli à Rege electo traditi omnino habita mentione. *Arnulphus*, &c. *à nobis* (inquit) *Metropoli Remorum gratis donatus, iusiurandum præbuit, quod contra præterita & futura valeret sacramenta. Libellum fidelitatis, sub nomine chirographi conscripsit, recitauit, corroborauit, corroborarique fecit. Milites ac omnes ciues iurare coëgit, vt in nostra persisterent fide, si ipse aliquando in potestatem hostium deueniret.*

Vt res se habuerit sub Roberto Rege, Hugonis huius filio, Fulbertus qui eius didascalus fuit, posteáque laudatissimus Episcopus Carnotensis, epistolâ 8. (qua quam ad Auisgaudum scripserat, seriatim describit) graphicè repræsentat. *Nullus te* (ait) *expulit, nullus Cathedram tuam te retinente peruasit, sed tutemet vltrò, causâ ægritudinis (vt aiebas) curam Episcopalem simul & Cathedram reliquisti, vt perhibent. Et siue Franconem tunc Decanum Parisiensis Ecclesiæ, siue quemlibet alium subrogari tibi, verbis & scriptis, à Rege petisti. Quod si ita est, & sic tibi consequenter substitutus est Franco, eligente clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis; fulcitur vtique substitutio & consecratio eius, fauore & auctoritate beati Gregorij Papæ, qui scriptis suis, sicut nulli Pontificum non petenti, pro qualibet ægritudine succedendum fore docuit; ita voluntariè renuncianti sedi suæ, successorem nullo modo denegauit.* Hæc Fulbertus. Ex cuius dictis videre est, quàm canonica sub Roberto Rege vigeret institutionis Episcoporum forma, scilicet vt iuxta canones præficiendo suppeteret (propter doctrinæ & virtutis meritorum insignia) cleri electio, plebis assensus, concessio Regis, summi Pontificis approbatio, iisque in ipsum concurrentibus, per Metropolitanum & comprouinciales Episcopos consecraretur, túmque his seruatis, haberetur legitimus eius ad sedem Episcopalem ingressus.

Sub Philippo I. Henrici filio nepotéque Roberti res

in

in deterius versæ sunt : eodem Philippo ab aui & patris siquidem piis moribus deflectente, atque Imperatorum Germaniæ qui tot tragœdias pro inuestiturarum fictitio iure (quas sibi per baculi & annuli sacrorum insignium traditionem arrogabant) aduersus Sedem Apostolicam concitarunt, propudiosos ausus æmulante. A quibus tamen postea, Dei gratiâ correptus resipuit *. Florebat magna cum eruditionis ac sanctimoniæ gloria, eo regnante, Iuo Carnotensis, qui vt exorta, ac iam erumpentia propter regias inuestituras scandalorum profluuia sisteret, inuestituras quæ à Rege fierent etiam per virgam tolerari posse censuit epist. 60. modò id cautum Ecclesiæ fieret, Reges per eiusmodi cæremoniam nihil spiritualis dare præficiendo pastori, sed duntaxat concedere regalia: latifundia scilicet & cæteros temporalium possessionum prouentus, quorum proprietas, Ecclesiis, Regum piâ munificentiâ accessisset. Attamen nec hoc cum moderamine Ecclesia, Regibus more illo vti permisit, vt per baculum & annulum Episcopos de regalibus inuestirent. quòd scilicet annulus spiritualis coniugij, quod contrahit Episcopus cum desponsata sibi Ecclesia insigne sit : Baculus verò vel virga, signum regiminis pastoralis, & sacræ ligandi & soluendi animas potestatis, quam certè quisque Antistes vel pastor, non à Rege, sed à Deo recipit, sicut suprà meminimus generosè à S. Galthero Abbate Pontæsiano, præfato Philippo Regi fuisse denunciatum.

* De hoc Philippo refert Willelmus Malmesburiensis de gest. Regum Angl. l. 5. illum anathemate solutum, sub vitæ finem monasticum habitũ sumpsisse apud Floriacũ, vt præteritæ ætatis noxas vel sera pœnitentia elueret.

Hoc tempore tamen intercedere consueuisse, sicut antea notatum est, Pontificis Romani, in Episcoporum ac Abbatum inauguratione auctoritatem, idem Iuo testis est epistola 133. ad Richardum Cardinalem Episcopum Albanensem, quâ de munusculis etiam nonnihil expostulat, quæ sub pio prætextu, Curiales ministri summi Pontificis exigebant. *Romana* (inquit) *Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicunt cubicularios & ministros sacri Palatij, multa exigere à consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur: cùm nec calamus, nec charta, gratis ibi (vt aiunt) habeatur. Et hoc quasi lapide conterunt*

frontem meam, cùm non habeam quod respondeam, nisi
Matth. 23. *Euangelicum illud, quod dicunt seruate & facite, sed si id faciunt, secundùm opera eorum nolite facere.* Sed ad ea quæ iuris aut moris regij erant, hoc ex diuerticulo reuertamur.

Ludouicus Crassus, qui filius fuit huius Philippi, eô propensiorem, in Ecclesiæ honorificationem animum ostendit. Is siquidem liberam non modò reliquit Ecclesiis electionem: sed omnem remouit ab electorum ceruice regiæ inuestituræ seruitutem: adeout ne quidem manu ad pectus admotione, at neque præstatione vllâ iuramenti designatum Præsulem, sibi astrictum fore decerneret. In diplomate siquidem concesso anno 1137. Gaufrido Archiepiscopo Burdegalensi & eius suffraganeis, sic edixit. *In Episcoporum & Abbatum suorum electionibus canonicam omninò concedimus libertatem, absque hominij, iuramenti, seu fidei per manum datæ obligatione.* Verùm hoc speciale fuisse videtur priuilegium concessum Prouincæ Burdegalensi: forte beneuolum in intuitum & fauorem futuri connubij, quod Gaufridus ipse Burdegalensis Archiepiscopus, inter Ludouicum, filium & futurum successorem huius Ludouici Regis, & Eleonoram filiam vnicam ac hæredem Willelmi nomine V. Ducis Aquitaniæ & Pictauiæ Comitis, conciliauerat. Cæteroqui tamen Ludouicum Crassum religiosè & piè se gessisse, circa Prælatorum totius sui regni electiones, res est ex eius gestis, quæ descripsit Sugerius Abbas S. Dionysij, eiusdem præcipuus familiaris ac minister, quàm perspicua.

Paternæ nec oblitus pietatis est Ludouicus VII. cognomento Pius, qui feliciter in tempora sancti Bernardi incidens, eius sapientissimis ac piissimis consiliis ductus, ad sui temporis, summum inter Christianos Principes, iustitiæ ac pietatis fastigium euasit. Quàm liberè electionum canonicarum iure, Ecclesiæ Galliarum sub hoc Rege fruerentur, manifestum faciunt epistolæ beati ipsius Bernardi: in quibus passim de iis agit, ad Regem ipsum, & summum Pontificem, dissidia quæ aliquando exoriebantur in eiusmodi comitiis

Ecclesiasticis, pro Prælatorum delectu referens : ritéque electos Papæ commendans, aut intrusorum factiosorúmque significans temerarios actus, indignorúmque tantò honore enuntians reatus, ob quorum labem sacros per canones ab aditu Cathedræ Episcopalis arcebantur.

Summos enim Pontifices tunc auctoritatem interposuisse suam, in electorum vel dignorum approbatione, vel indignorum repulsa, scripta ipsa sancti Bernardi ad eosdem Pontifices, apertè testantur. Imò aliquando vsos Apostolica sua, hoc est summa potestate in absoluta Prælatorum institutione. Celebre est apud huius temporis historicos dissidium, quod inter Innocentium II. Papam & Ludouicum prædictum Regem intercessit anno 1142. propter sacros delatos ab Innocentio, Petro de Castra Patriarchatus Bituricensis fasces : hunc enim Papa, Rege inscio, consecrauerat. Inde Petro possessionis adipiscendæ orta ingens difficultas, quæ Regis pietate tandem cessauit, Petro ob honorem Apostolicæ Sedis, pacificè in sedem recepto *.

* *Chronic. MSS. Senon. S Bern. ep. 219. Pet. Venerab. l. 5. ep. 3.*

Philippus Augustus huius Ludouici filius sceptríque hæres, liberas etiam in Ecclesiis sui regni electiones, patris exemplo esse voluit. De quo sic Senatus Parisiensis in relatione ad Ludouicum XI. pro iuribus sacris canonicarum electionum in Ecclesia Gallicana**. *Philippus Deodatus sancti Ludouici auus, cùm in suam & diadematis Francici obedientiam, velut diuino quodam fato reduxisset Normaniam, Aquitaniam, Ciuitates Andegauensem, Pictauiensem*, &c. *ante profectionem vltramarinam statuit, vt canonici Ecclesiarum & monachi Cœnobiorum eligendi facultatem haberent, & personas Deo gratas & Ecclesiæ regnóque vtiles deligerent.*

** *Cap. 57. Extat l. 4. Decret. Gall. Ecc. pag. 666.*

Sanctus Ludouicus nomine nonus Rex Christianissimus Galliæ, Morum pietate nec in hac parte potuit superari. Extat pro canonicarum electionum libero ac legitimo vsu eiusdem pragmatica sanctio omnium ore Iurisperitorum qui abhinc floruerunt, historicorúmque eius vitæ, mirè celebrata, quæ sic habet. *Ludouicus Dei gratiâ Francorum Rex, ad perpetuam rei me-*

moriam. Pro salubri & tranquillo statu Ecclesiæ nostri regni, nec non pro diuini cultus augmento, & Christi fidelium animarum salute, vtque gratiam & auxilium omnipotentis Dei (cuius solius ditioni ac protectioni regnum nostrum semper subiectum extitit, & nunc esse volumus) consequi valeamus; quæ sequuntur hoc edicto consultissimo, in perpetuum valituro statuimus & ordinamus. Primò, vt Ecclesiarum regni nostri Prælati, Patroni & beneficiorum collatores ordinarij, ius suum plenariè habeant, & vnicuique sua iurisdictio seruetur. Secundò, item Ecclesiæ Cathedrales & aliæ regni nostri, liberas electiones & earum effectum integraliter habeant, & vnicuique sua iurisdictio seruetur. Tertiò, item Simoniæ crimen pestiferum Ecclesiam labefactans, à regno nostro penitus eliminandum volumus & iubemus. Quartò, item promotiones, collationes, prouisiones, & dispositiones Prælaturarum, dignitatum & aliorum quoruncumque beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum regni nostri, secundùm dispositionem, ordinationem & determinationem iuris communis sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum Patrum fieri volumus & ordinamus, &c. Datum Parisiis anno Domini 1268. mense Martio.

Tametsi verò hoc edicto, superiorúmque Regum consimilibus pragmaticis, ius deligendi Antistites & Pastores, Ecclesiis secundùm canones sacros fuisset plenariè restitutum: pro regiæ tamen Maiestatis dignitate, reseruata à Christianissimis ipsis Regibus sibi nonnulla sunt, antiquæ circa electiones ipsas auctoritatis insignia. Nempe vt electio non fieret nisi veniâ eligendi priùs à Rege per sacros conuentus petitâ & obtentâ. Factáque huius virtute facultatis electio Regi notificaretur, cuius beneplacito accedente, firma & absoluta consisteret. Postquam tamen electus iuramentum Regi præstitisset perpetuæ fidelitatis. In farragine quæ de Libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ prænotatur: tom. 2. pleraque exempla consignantur huius praxis, ab anno potissimum millesimo ducentesimo vigesimo primo, vsque ad tempora Leonis X. & Francisci I. à quibus super Episcoporum ac cæterorum Prælatorum regni Fran-

ciæ designatione ac institutione, conuentio illa celebris inita est, qua sublatis electionibus, ius Præsules nominandi Regi eiúsque successoribus: creandi verò eosdem ac prouidendi omnis auctoritas Romano Pontifici, in perpetuum reseruatur, hoc tenore.

Excerptum ex Concordatis, vt aiunt, transactis, inter felicis recordationis Leonem X. Pontificem Maximum, & Franciscum I. Christianissimum Regem. Anno 1515. Bononiæ.

DE NOMINATIONIBVS.

DE eorumdem fratrum consilio & vnanimi consensu, ex certa nostra scientia, & potestatis plenitudine, statuimus & ordinamus quod de cætero perpetuis futuris temporibus loco dictæ Pragmaticæ constitutionis, ac omnium & singulorum capitulorum in ea contentorum: videlicet vt de cætero Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis in regno dicto, Delphinatu, & Comitatu Dieensi ac Valentinensi, nunc & pro tempore, etiam per cessionem in manibus nostris & successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium sponte factam, vacantibus: illorum capitula & canonici ad electionem seu postulationem, inibi futuri Prælati procedere non possint; sed illorum occurrente eiusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, vnum grauem Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in vtroque seu altero iurium Doctorem aut Licentiatum in Vniuersitate famosa, & cum rigore examinis, & vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & aliàs idoneum, infra sex menses, à die vacationis Ecclesiarum earumdem computandos, nobis & successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu sedi prædictæ, nominare, & de persona per Regem eiusmodi nominata, per nos & successores nostros seu sedem prædictam prouideri: & si contingeret præfatum Regem personam totaliter non qualificatam, ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per nos & successores seu sedem huiusmodi de persona sic nominata eisdem Ecclesiis minimè prouideri debeat. Sed teneatur idem Rex, infra tres alios menses à die recusationis personæ nominatæ, non qualificatæ, sollicitatori nomi-

nationem non qualificatam persequenti consistorialiter factæ intimandæ, computandos, alium supradicto modo qualificatum nominare. Alioquin vt dispendiosæ Ecclesiarum huiusmodi vacationi celeriter consulatur, Ecclesiæ tunc sic vacanti, per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi de persona vt præfertur qualificata, necnon per obitum apud sedem prædictam vacantibus, super nulla dicti Regis præcedenti nominatione, liberè prouideri possit. Decernentes electiones contra præmissa attentatas, ac prouisiones per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi factas, nullas & inualidas existere. Consanguineis tamen præfati Regis ac personis sublimibus, ex causa rationabili & legitima in nominatione & Apostolicis literis exprimenda, necnon religiosis mendicantibus reformatis, eminentis scientiæ & excellentis doctrinæ, qui iuxta sui ordinis regularia instituta, ad gradus huiusmodi assumi non possunt, sub prohibitione præmissa minimè comprehensis; sed de eorum personis dictis Ecclesiis pro tempore vacantibus, ad dicti Regis nominationem, per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi liberè prouideri possit.

Hæc constitutio, cum cæteris capitulis, quæ concordata vocant, fuit anno sequenti promulgata in sessione XI. Concilij Lateranensis: subindéque in Senatu Parisiensi, sed non sine grauissima omnium Galliæ ordinum conclamatione, & ipsius Curiæ renixu, quem refractum ire oportuit suprema auctoritate regia. Fuerunt sanè ex doctioribus qui acerbissimè hanc pactionem perferrent, qua dicebant à Pontifice ius electionum tanta antiquitate, tanta auctoritate stabilitum, Ecclesiis cum canonica libertate adimi, atque in Regem transferri. Sibi verò sanctæque Sedi ipsum Papam ingens ingenerasse dispendium, cùm tam infausta permutatione, temporali quodam iure reseruato, spirituale abdicauerit. Iugum etiam graue Ecclesiis plerique querebantur sic fuisse impositum; quòd insuper Pontifex cum Rege conuenerit, vt annatæ non ex veteri censu qui longè minor erat, sed ex vero & nouo, soluendæ inposterum essent. Vox insuper communis erat, Papam Regémque sibi suisque vicissim dum ma-

iora commoda quærerent, grauiora Ecclesiæ & regno incommoda arcessisse. Existimauit certè Genebrardus* hinc Gallicanæ Ecclesiæ perniciem ortam esse. hócque fuisse seminarium omnis generis hæreseων, simoniarum, fiduciarum, exterminationem scientiæ, virtutis, pietatis, regni deniquepestem. Thuanus** porrò censuit, id Regis Francisci rebus & eius generi exitium attulisse. Plerique alij abusos non modò dictitabant vtrumque, nempe Papam & Regem, potestate suâ. Imò de re non sua vtrumque sibi dispositionem iniuriâ vendicasse, cùm neque ad Papam pertineret se immiscere Prælatorum particularium Ecclesiarum designationi ac institutioni. Sat esse si exempla Maiorum secutus, vniuersalis Ecclesiæ gubernationi tam circa fidem quàm generalem morum disciplinam, prouidentiæ suæ curam impenderet. Relictâ verò (vt ius ferebat antiquum) particularibus Ecclesiis, liberâ suorum Præsulum electione, & Metropolitanis Suffraganeorum ordinatione: ipsis Metropolitis pallium impertiret, cuius nexu sibi tanquam summo capiti, omnes teneret astrictos. Iuris verò regij non esset, Pastores animarum deligere, ac designare Episcopos, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*. Magistratus à Rege instituendos diuina oracula decernere**. Sacerdotes aut Pontifices creari à Deo, per ministerium Ecclesiæ*: vt sint diuinorum mysteriorum, non regiorum munerum, dispensatores.

*Chronogr. l. 4. sub Leone X.

** Lib. 2.

*Act. 20. 28.

** 1. Pet. 2. 14.

*Act. 13. 2. 1. Cor. 4. 1.

Verùm pace eorum dixerim salua qui tam acerbè contra Concordata Leonis X. ac Francisci I. inuehuntur: æquiùs certè de iis poterant, si accuratiùs cuncta librassent consideranda, hac in re arbitrari. Dissimulare equidem non possum succisam fuisse spem mediocris fortunæ litteratis, per sublationem electionum, prouectionis suæ ad Ecclesiasticas præfecturas. Capitulis etiam non minimum decus ademptum: quùm ius illud Episcopos aut Abbates deligendi, electores, cunctis dignitatum candidatis admodum spectabiles redderet. Verùm hæc tanti momenti non sunt, vt ideo omnia in deterius versa, per Concordatorum illorum transactionem oporteat

conclamare. Imò vtilitatem non modicam per hæc Ecclesiæ & regno accessisse, mihi non abs re persuadeo. Primò quidem quòd tametsi electiones, cùm canonicè agebantur, multum Ecclesiæ solatij, decori ac vtilitatis adferrent: tamen quia vt plurimùm fiebant, non ex canonum præscripto, sed ex motu & ambitu priuato clericorum ad sacras dignitates anhelantium: quibus populi in varias plerunque distracti partes impetus, potiùs quàm legitimus assensus interueniebat; hincque tumultus passim oriebantur, schismata nascebantur, potentior quàm benemeritus præualebat. Proinde per Concordatorum viam his incommodis ac scandalis, à Papa & Rege occursum est, quorum maximè intererat, Reipublicæ labantis meliori statui prospicere.

Sanè si vmquam electiones in Gallia liberæ fuerunt, & fieri quo decet modo potuerunt, ante annos quadringentos id fuit, cùm hæreses & schismata nondum suborta essent. Attamen quantis cum dissidiis & conflictationibus actitarentur, facilè quisque potuerit perspectum ire, ex Concilio Bituricensi, quod Philippo Audace regnante, sancti Ludouici filio, celebrauit anno 1276. Simon Cardinalis sanctæ Cæciliæ, in Galliæ regno sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus, euocatis generalem in conuentum Episcopis queisque, atque cæteris Prælatis & primoribus cleri legationis suæ: in quo contra factiones, seditiones & scandala quæ passim in electiones irrepserant, constitutio edita est Synodalis, serie quæ sequitur.

In totius Concilij, &c. *& nostris auribus clamor horrendus insonuit, ad nos per diuersos Prælatos, aliásque personas Ecclesiasticas*, &c. *non sine graui lamentatione delatis & toti Concilio querelosis insinuationibus patefactis. Asserebant siquidem quod in regno Franciæ, in quo Ecclesiarum libertas & honor eisdem debitus seruari retroactis temporibus, præ cæteris regnis ac prouinciis, abundantiùs consueuit, his diebus, in electionibus celebrandis, in quibus potißimè libertatis puritas est seruanda, pro libertate datur impreßio, & quasi*

pro

pro auro plumbum, pro argento ſcoria, honores in contumelias vertuntur. Adeò quod quando in certis locis electiones Paſtorum immineat celebrare, multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipſæ, in nonnullis Eccleſiis aut ad tempus impediuntur totaliter, aut in locis hactenus conſuetis nequeunt celebrari: prout in Lugdunenſi, Burdigalenſi, & Carnotenſi nuper dignoſcitur eſſe factum. In qua ſiquidem Burdigalenſi Eccleſia, occaſione impreſſionis, dum immineret electio celebranda, habita, in eadem homicidium de Sacriſta, nobili membro præfatæ Eccleſiæ, inhumaniter extitit perpetratum. Quoniam igitur nouis morbis noua conuenit antidota præparari, ne morbus tam pernicioſus obrepat, & ſui contagione trahatur à poſteris in exemplum. Sacri prouiſione Concilij, duximus ſtatuendum, quod quicunque de cætero per ſeditioſam conſpirationem, vel conuentionem habitam ſimul cum aliis, quacumque firmitate vallatam, impedimentum latens aut patens præſtiterint, quominus Eccleſiis ſæcularibus, vel regularibus, dignitatibus, perſonatibus, aut adminiſtrationibus quibuſlibet per illos ad quos locorum ipſorum, vel dignitatum, ſeu adminiſtrationum, per viam electionis ſeu poſtulationis ſpectat prouiſio; eiſdem locis, dignitatibus, perſonatibus aut adminiſtrationibus de perſonis idoneis vndecunque fuerint oriundæ, & aliis liberè per electionem, aut poſtulationem canonicam, valeat prouideri, incurrant excommunicationis ſententiam, quam in ipſos ferimus ipſô factô. Et ſi clerici vel regulares extiterint; nos priuatos eoſdem beneficiis Eccleſiaſticis, dignitatibus vel adminiſtrationibus ſeu perſonatibus, quos eos obtinere contigerit, decernimus fore inhabiles & indignos, ad quæuis beneficia, adminiſtrationes aut honores Eccleſiaſticos vlteriùs aſſequendum. Si verò laici, præter dictam excommunicationis ſententiam, ipſorum familiæ interdicto Eccleſiaſtico ſint ſubiectæ, nullaque eorum poſteritas vſque ad quartam incluſiuè progeniem, ſi ſæcularis fuerit, Prælaturarum dignitatem, perſonatum, præbendam ſeu aliud quodcunque beneficium Eccleſiaſticum: Si autem regularis extiterit, adminiſtrationem quamlibet regularem, in ciuitate, loco vel diœceſi, in

qua excessum eiusmodi committi contigerit, in perpetuum non valeat obtinere. Illi autem qui prædicti facinoris terminis non contenti, populum aut turbam, potentésve quoslibet concitauerint, vt in prædicto facinore opem ferant, quorúmve data opera, suggestione, vel consilio populus turbáve cum armis vel sine armis ad hoc conuenerint, pœnis similibus sint subiecti. Clerici propter hoc à ciuitate vel loco in quo perpetrauerint talia, per triennium procul agant. Porrò qui coacta multitudine, cum armis vel sine armis, contumeliosa acclamatione concitata, vel tumultu in loco in quo hi ad quos spectat electio, postulatio vel prouisio conuenerint, seu in ipsos electores, vel quos de eisdem, tempore quo prædicta imminent facienda, duxerint irruendum, eidem loco fracturam, seu violentiam, vel in personas electorum notabilem iniuriam irrogauerint; & postremo qui ope, consilio vel auxilio clam vel palam per se vel per alium aliquem, aliquid egerint, per quod conspirationis seu contentionis inita, nequitia aliqua in aliquo sumat robur, & per hoc contingat electionem, postulationem vel prouisionem impediri totaliter vel differri, excommunicationis sententia nouerint se adstrictos, necnon & aliorum familias, si laici fuerint, Ecclesiastico suppositas interdicto, quæ sententiæ relaxari nequeant nisi auctoritate Sedis Apostolicæ speciali. Clerici verò qui culpabiles in talibus fuerint, cùm eorum offensa tanto grauior reputetur, quanto in sortem Redemptoris assumpti, ac gradu celsiore pollentes, libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam seruare tenentur præ cæteris illibatam: præter excommunicationis sententiam, eo ipso, beneficiis quæ obtinent sint priuati, ad obtinendum dignitates, personatus, officia ac beneficia quæcunque in Ecclesiis, in quibus talia perpetrant, & in locis ipsorum diœcesis, nullo vmquam tempore spem aut fiduciam habituri. Si verò regulares fuerint, ad administrationem aliquam regularem nullatenus admittantur, cadántque nihilominus ab obtentis. Insuper & laicorum ipsorum posteritas vsque ad quartum gradum, ad Ecclesiastica beneficia qualibet assequenda, in Ecclesiis, ciuitatis ac diœcesis, in qua perpetrarint, sint inhabiles ac indigni.

Hæc Synodica illa Legati Apoſtolicæ Sedis in Gallia conſtitutio, tametſi prolixior, viſa tamen mihi eſt per ſeriem retexenda: quòd iamiam admiſſos in electiones ſacras abuſus, ex clericorum ambitu, populi malitia, ac potentum violentia, temporúmque corruptione graphicè depingat. Aduerſus quos erumpentes in Dei ſacrarium nefarios auſus, quis non videat non potuiſſe ab Eccleſiæ Præſulibus antidota fortiora opponi? quæſo enim his formidandis animaduerſionibus, quænam acriora poterant pœnarum genera ſacræ diſciplinæ refractoribus intentari? Quæ tamen quàm parum profuerint, poſteriorum temporum ſeries patenti experientia demonſtrat. Si liceret hîc exſpatiari, quàm abhinc in deterius res collapſæ fuerint, haud arduum eſſet reddere exploratum. Nemo eſt enim qui neſciat quàm dirè orta ſubinde ſchiſmata, in ſummo Pontificatu, rempublicam Chriſtianam perturbarint: quàm miſerè bellici motus, quibus regnum Franciæ cum Angliæ regno commiſſum, diuturno conflictu dirè agitatum & ferè funditus euerſum eſt, Eccleſiaſticum ordinem ſacrámque diſciplinam labefactarint, Chriſtiani populi ac cleri ipſius mores deprauarint, ſúſque déque omnia ferè tam ſacra quàm profana denique miſcuerint.

Cùm & Chriſtiani nominis inſurgentes ab Oriente, Septentrione ac Meridie in Europam hoſtes truculentiſſimi, eam in grauiſſimum diſcrimen coniecerint, alioquin inteſtinis motibus vbique ferè quaſſatam & conturbatam. Non mirum igitur eſſe debet ſi per hæc tempora periculoſiſſima, vix patuerit canonicis electionibus ritè celebrandis aditus, cùm ferè nihil vbique niſi commotio, violentia detonaret, & plurima mortis imago circumquaque cerneretur.

Adde quòd crebri tumultus, & ferales contentiones, quæ paſſim cùm comitia agerentur pro ſacrorum magiſtratuum delectu committebantur, Pontifices eò Regéſque compulerint (ad ſtramen ſeditionibus, factionibus, ambitibus pręcidendum) vt deſignationes ipſas Præſulum ad ſe pertraherent. Sic excuſabat dudum etiam antea, Lupus Ferrarienſis Abbas celebris ſub Carolo

Caluo, ipſius & Maiorum eius ſacras dignitates clericis ſuis aulicis impertientium, minus aliàs excuſabile factum. *Non eſt* (inquit epiſt. 81.) *nouum ac temerarium, quod ex Palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis procurat Rex Antiſtites. Nam Pipinus à quo per maximum Carolum & religioſiſſimum Ludouicum, Imperatores, duxit Rex noſter originem, expoſita neceſſitate huius regni Zachariæ Romano Papæ in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, eum accepit conſenſum, vt acerbitati temporis, induſtriâ ſibi probatiſſimorum, decedentibus Epiſcopis mederetur.* Monuerúntque ideò 2. Concilij Aquiſgranenſis Patres Ludouicum Pium, etiam poſtquam liberas fore electiones iuxta canonicas ſanctiones decreuerat c. 9. vt in conſtituendis Paſtoribus Rectoribúſque in Eccleſiis Dei, *magnum ſtudium* (non imperium) *& curam* (non vim & potentiam) *adhiberet.* Iterum *monendo* (aiunt) *magnitudini veſtræ ſuppliciter ſuggerimus, vt deinceps in bonis Paſtoribus, Rectoribúſque in Eccleſiis Dei conſtituendis, magnum ſtudium, atque ſolertiſſimam adhibeatis curam: quia ſi aliter factum fuerit, & ordo Eccleſiaſticus ſuam non habebit dignitatem, & religio Chriſtiana in multis labefactando, damna detrimenti ſui patietur, & animæ veſtræ, quod non optamus, periculum generabitur.* Spectat enim ad Regem potiſſimùm intendere ne Reſpublica accipiat detrimentum: Eccleſiáque (quæ in Republica eſt vt anima in corpore) ab omni iactura & iniuria conſeruetur, ſed illibata ſuo in decore, ſua ſub tutela perſeueret.

Sed cùm hoc ſtudium ac onus magis ad ſummum Pontificem, qui Chriſti ſupremi omnium Paſtoris vices vbique gerit, ipſo iure ac munere ſui officij pertineat: ideò eam in curam maximè iam olim Papæ incubuerunt, vt digni ac idonei Antiſtites Paſtoréſque Eccleſiis præficerentur. Quamobrem cùm electionibus locus eſſet, vt decenter ac canonicè vtilitérque fierent, pleriſque editis decretis proſpexerunt, quæ conſerta potiſſimùm extant, Decreti 1. part. diſtinct. 63. diffusè. Et toto titulo *de Electione & electi poteſtate,* Decretalium l. 1. Iterúmque eodem titulo lib. 6. Sed cùm de-

mum longo experimento aduertissent, iura passim per ambitus subuerti, adeò vt ex electionibus quibus Ecclesia tam diu feliciter vsa fuerat, non ampliùs earum institutionis fructus succederet: at potiùs infausti euentus in dies succrescerent, pugnæ, lites, scandala, dispendia Ecclesiarum innumera exinde scaturirent: tanto malorum profluuio, vt ire possent occursum, reseruationes adinuenerunt, quibus sibi sanctæque Sedi ius vendicarunt, de sacris Ecclesiæ præfecturis potioribus, Apostolica auctoritate disponendi. Hinc nata Cancellariæ regula 2. *Reseruatæ sunt dispositioni Papæ omnes Ecclesiæ Cathedrales & monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, & excessus debet exprimi in literis.* Item 3. *Reseruatæ quoque sunt omnes dignitates maiores post Pontificalem in Cathedralibus, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes: & etiam in Collegiatis Ecclesiis principales.* Item *omnes prioratus, vel etiam præposituræ, & aliæ dignitates conuentuales & præceptoriæ generales quorumcunque ordinum, sed non militarium:* syntagma verò iuris est canonici. *Reseruatis Papæ nullum sese intromittere debere* gloss. 1. in cap. 1. *de temporum ordin.* & can. *huic sedi*, & ibi gloss. 1. dist. 17.

Fateor etiam in eiusmodi reseruationes, quæ bono fine à summis Pontificibus factæ fuerant, abusus non raró irrepsisse, non eorum culpâ, sed illorum vitiô, qui beneficia reseruata sibi conferri certatim ambiebant. Ægrè idcircò plerosque viros bonos tulisse, quòd Papa sibi ferè omnia reseruaret, vnde inferiores Prælati ac Ecclesiæ nonnihil se grauari querebantur. Iam ætate sancti Bernardi affines istæ querelæ personabant, vnde sic ipse Eugenium compellabat. *Quid tam indignum tibi, quàm vt totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones, ipsius tibi creditæ vniuersitatis, tanquam non sint tuæ, satagas nescio quo modo adhuc facere tuas. vbi etiam te meminisse volo parabolæ Nathan, de homine qui multas oues habens, vnam quæ erat pauperis concupiuit.* lib. 3.

de consid. cap. 4..quo loco, etiamsi de exemptionibus, quas emancipationes appellat, tantùm loqui videatur: tamen quæ de iis dicit ad reseruationes, consimili imò & fortè maiori possunt ratione referri, quibus canonicas electiones passim extinctas, posteriorum temporum viri etiam boni, & in Sedem Apostolicam benè affecti, plerumque expostularunt.

Reges etiam nostri grauiter has ferebant, Senatúsque Parisiensis iisdem pro virili diu refragatus est. Anno siquidem 1483. cùm Sixtus IV. sine Regis consensu, Tornacensem Episcopatum, cuius prouisionem sibi reseruauerat, cuidem Ioanni de Mouissac contulisset; Petrus de Sacierges Procurator Regius generalis, grauem expostulationem contra prouisionem huiusmodi publico actu edidit, quo de nullitate protestatus est. Réque ipsa dictus de Mouissac (aliàs Monissart) Decanus licèt ipsius Tornacensis Ecclesiæ, eius Episcopatus possessione prohibitus est, Romæque obiit anno sequenti, cùm ius suum fortè in curia Apostolica persequeretur. Sic cùm Innocentius VIII. anno 1486. Episcopatum Beluacensem, quem speciali decreto, ad instantiam Regis Caroli VIII. Apostolicæ dispositioni reseruauerat, Antonio de Bosco, Marescalli Cordesij nepoti contulisset: Capitulo præfractè obnitente, cui regij fisci vindex adhærebat, Senatus ne in possessionem admitteretur ipse Antonius decreto suo vetuit, sicque per viam electionis, Ludouicus de Villiers l'Isleadam suffectus est, sedémque demum pacificè obtinuit; Rege affectus suos mutante, atque irritum fieri permittente, quod à Papa ipse fieri flagitauerat, in præfati Antonij fauorem. Eidem Regi anno 1493. in Senatu sedenti die 8. Iulij, Ioannes le Maistre generalis eius Maiestatis Procurator, grauiter conquestus est de nimio Apostolicarum reseruationum vsu, quibus electiones canonicæ præpediebantur, prorogabantur vacationes Cathedralium Ecclesiarum, variæ ciebantur lites, & grauia pleraque Religioni & regno in dies profluebant incommoda. Respondit Rex, maturiùs se de his deliberaturum. Sic verò res in statu luctuoso

erant. Nam ex vna parte ſibi Capitula iura electionis pertinaciter defendebant. Rex ex aduerſo ne fierent ſine eius licentia prohibebat: data facultate eligendi, ſenatorem delegabat, qui nomine ſuo comitiis indictis intereſſet; hoc eſt omne negotium dirigeret ad intentum ſuæ Maieſtatis, electoréſque volentes, nolentes pertraheret, ad perſonæ quam deſignabat ſacros faſces deferendum. Compellabatur Archiepiſcopus per ſuorum temporalium ſequeſtrationem, confirmare ſic electum, quem aliàs liberè non deſignatum à Capitulo fuiſſe nouerat. Denique ſummus Pontifex, quò Apoſtolicæ Sedis præeminentem aſſereret auctoritatem, vacantibus Eccleſiis quaſi diſpoſitioni ſuæ reſeruatis, de perſonis plerumque extraneis, aliquando etiam Regi ignotis vel inuiſis, Capitulis verò non acceptis prouidebat. Inde frequentes renixus, quos vt Papa perrumperet, acerrimas cenſuras, excommunicationes, & variarum dirarum proceſſus contra refractarios fulminabat. Oriebantur verò inde innumeri atrarum procellarum turbines, quibus ſacræ Pontificis auctoritatis creber ingenerabatur contemptus, non ſine graui animarum iactura; ſedium Epiſcopalium diuturna contingebat vacatio, Eccleſiarum diſſolutio, laxatio diſciplinæ, deprauatio cleri, corruptio populi, ac innúmeræ malorum, in ſtatu etiam ciuili, ſcaturiebant colluuies.

Ludouicus XII. qui Pater populi non immeritò dictus eſt, his vt incommodis mederetur, conſultius fore ſapienter iudicauit, de remedio his opportuno, cum Sede Apoſtolica, quæ religionis mater eſt, conuenire. Ideóque cum Iulio II. Pontifice anno 1505. concordiam quandam inire ſuper beneficiorum ſui regni diſpoſitione voluit *. Tentata tamen potiùs quàm abſoluta hæc concordia fuit, Rege firmiter ius Pragmaticæ ſanctionis ** illibatum ſeruari contendente: Pontifice (quo cum Rex acerbas habuit, notos ob caſus, diſſenſiones) nihil Regi circa præficiendorum deſignationes concedente penitus, niſi Pragmatica ipſa ſanctio, ſuper qua abroganda, Regem ipſum cum ſuo Senatu, ad

* *V. Guicciard. 8. hiſt.*

** Pragmatica illa ſanctio à Rege Carolo VII. condita fuit ann. 1438. in conuentu Bituricenſi, eiúſque iuſſu vniuerſum per Regnum promulgata. Quã mox reprobauit Eugenius IV. hanc ſcriptis etiam publicis confutarunt Bernardus Toloſanus Archiepiſcopus & Guillelmus Epiſc. Biterr.

Concilium Lateranenſe citauerat, tanquam Sedi Apoſtolicæ iniurioſa, ac vnitatis Eccleſiaſticæ deſtructiua, ſchiſmatis excitatiua, totique orbi Chriſtiano ſcandaloſa aboleretur. Obiit interim cùm hoc niteretur Iulius, cui ſuffectus Leo X. quo cum Franciſcus I. Ludouici ſucceſſor, congreſſus Bononiæ, celebrem illam demum concordiam iniit ac tranſegit, qua abrogatis electionibus, ius nominationis Regi, prouiſionis verò Pontifici, in perpetuum deinceps attributum eſt. Non tanto certè regni, quod quidam ſibi perſuadent, detrimento, quàm commodo, ac Gallicanæ Eccleſiæ vtilitate, ſicut euentus demonſtrauit.

Nam quod aiunt hinc Gallicanæ Eccleſiæ perniciem ortam, quùm pactum illud extiterit omnis generis hæreſeωn ſeminarium: latenter vt reor inſinuare volunt, eos qui poſtea ſectæ facti ſunt perditionis Magiſtri, inde virus concepiſſe ac ſparſiſſe ſuum, quòd ſe deſpectos viderent, omníque fruſtratos ſpe promotionis per gradus doctrinæ, ad ſacrarum dignitatum faſtigia. Sed hæc ratio nullius eſt profectò momenti: *Neceſſe eſt hæ-*
1. Cor. 11. 19. *reſes eſſe* (ait Apoſtolus) *vt qui probati ſunt manifeſti*
1. Tim. 1. 19. *fiant.* Ac etiam qui reprobi. *Certè corrupti mente e-*
Col. 1. 23. *rant, qui naufragauerunt circa fidem,* in qua ſi fuiſſent *radicati & ſtabiles,* nunquam ab ea excidiſſent, quocunque motu animi, aut rationis prætextu. De eiuſmodi igitur appoſitè dici poteſt, quod de horum ſimilibus
1. Ioann. 2. dilectus Domini ait. *Prodierunt ex nobis, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtique nobiſcum. Sic igitur manifeſti facti ſunt, quoniam ex nobis non erant.* Aërium hæreſiarcham ideò factum, literis SS. Epiphanius & Auguſtinus prodidêre, quòd Epiſcopatum ambiens repulſam paſſus fuiſſet. Qui certè ſi quod cupiebat culmen honoris fuiſſet aſſecutus, plus Eccleſiæ in ſummo gradu, quàm in minore nocuiſſet.

Lib. 5. tit. 2. Nec meliori ratione dici poteſt, ſimoniarum & fiduciarum profluuia, ex Concordatis initis inter Leonem X. & Franciſcum I. orta eſſe. Siquidem diu antè eruperant. Vnde cohibendo tam exitiali malo, plenus

extat

extat in ſacro iure de ſimonia titulus, ex antiquorum *Lib. 5. tit. 2.*
Patrum, veterum Conciliorum & ſummorum Pontificum ſententiis, canonibus, decretis confectus, quibus Eccleſia tam horrendæ peſtilitatis contagium, hactenus continuo conata eſt ſtudio amoliri. Nec Regum defuit etiam Chriſtianiſſimorum, contra virus tam peſtiferum zelus: quo variis conſtitutionibus aduerſus eos qui hoc infecti eſſent crimine, à ſuis etiam Magiſtratibus, omni ſeueritate animaduertendum edixerunt. Certè Carolus Magnus lib. 1. Capitul. 19. & 97. Sanctus Ludouicus in Pragmatica ſua Sanctione, præclaras ex canonicis conſtitutis aduerſus hoc impium ſcelus, piáſque leges promulgarunt. Nec ſatis fuit eorum pietati, auctoritate regia contra peſtiferum hoc crimen (vt vocat ſanctus Ludouicus) decernere. excitarunt etiam Prælatorum ad id conuellendum ſtirpitùs Paſtoralem ſollicitudinem. Qua exciti Patres II. Concilij Aurelianenſis ſub Childeberto & cæteris Clodouæi filiis omnem venalitatem ab Eccleſiaſtico ordine proſcripſerunt, acerrima hac conſtitutione. *Si quis ſacerdotium per pecuniæ nundinium, execrabili ambitione quæſierit, abiiciatur vt reprobus, quia Apoſtolica ſententia, donum Dei eſſe præcipit, pecuniæ trutina minimè comparandum, c.* 4. *Act. 8. 18.* Eodémque pio feruore ſuccenſi V. Aurelianenſis Synodi ſub eodem Childeberto collecti Patres memorabili canone (qui ſacri huius conſeſſus decimus eſt) ſanxerunt, *vt nulli Epiſcopatum liceat pretio comparare.* Sic enim pronuntiant Patres ſanctiſſimi: *vt nulli Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci: ſed cum voluntate Regis, iuxta electionem Cleri ac plebis, ſicut in antiquis canonibus tenetur ſcriptum, à Metropolitano, vel quem vice ſua præmiſerit, cum comprouincialibus Pontifex conſecretur. Quòd ſi quis hanc regulam huius ſanctæ conſtitutionis per coëmptionem exceſſerit, eum qui per præmia ordinatus fuerit ſtatuimus remouendum.* Idipſum Cabilonenſe ſub Clodouæo II. Concilium can. 16. decreuit. Flagitioſa ſanè hæc peſtis, iam antè Galliam infecerat, vnde beatus Gregorius indicta Synodo eam curauerat extirpandam, data epiſtola ad Vigilium* **Lib. 7. ep. 106.*

Arelatenſem præantiſtitem, Siagrium, Ætherium & Deſiderium Epiſcopos, qua contra ſimoniacos iuſſit Concilium celebrari. Quid præſtiterint obſequij hæc mandanti B. Gregorio, illi Præſules, non conſtat. At peſtiferum ſimoniæ germen ſatis patet, altis inſitum radicibus in Gallia latè pullulaſſe*: adeò vt falcem huic præcidendo etiam Apoſtolicam neceſſe fuerit adhiberi. Suggerente ſiquidem etiam diu poſtmodum Bonifacio Sedis Apoſtolicæ in Gallia Legato, Zacharias Papa diro anathemate omnes ſimoniacos percuſſit**. Nimius forem ſiquæ à poſterioribus Pontificibus, Conciliis, Regibus contra hanc luem, non per Galliam modò, ſed alias quoque orbis Chriſtiani regiones ac regna diffuſam, ſancita ſunt minutìm perſequi contenderem, aut ſeriatim expendere. Locus hic doctis perſpectus eſt, quo exſpatiari ſi quis volet, amplam edictorum, pragmaticorum, canonum, exemplorum vindicatiuæ contra hoc ſcelus Iuſtitiæ tam diuinæ quàm humanæ, ſegetem eſſet non difficile collecturus. Fons igitur ſimoniæ à Concordatis inter Leonem X. Papam & Franciſcum I. Galliæ Regem editis non manauit. imò ante hanc conuentionem crimen illud exitiale, longiùs latiúſque exundabat. Difficiliùs ſanè, nominatione præficiendorum Regi vindicatâ, quàm electione multitudini permiſſa, poteſt impia illa nundinatio actitari. Cùm Reges Chriſtianiſſimi (vt omnes nôrunt) gratis Præſules deſignent: populus ſæpe muneribus datis ab ambitoribus non raró corrumperetur. Simonia nunc circa Epiſcopatus præſertim ac Cœnobiarchias, in Gallia ideò penitus exoleuit: nam pretio ad Regem nemini anhelanti ad has dignitates, aditus peruius eſt. Sola virtus, doctrina, pietas (nam ſanguinis ſola non attenditur nobilitas) viam ad ſedes Epiſcopales ſternit. Quàm timoratè Rex præſertim Ludouicus XIII. ſe in his concedendis geſſerit, atque vt à filio hæredéque nunc feliciter regnante agi voluerit, vel ſupremæ eius voluntatis tabulæ manifeſto indicio ſunt; praxiſque illa religiosè ſeruata à Chriſtianiſſima Regina, imperij pro impubere filio eximia adminiſtratrice, qua beneficiorum omnium, quo-

* *Vide S. Audoen. l. 2. vita S. Eligij c. 1.*

** *Epiſt. 5. ad Bonif. Archiepiſcopum apud Sirmond. tom. 1. p. 547.*

rum ad se dispositio spectat, distributionem, ex consilij conscientiæ dispensat arbitratu; euidenter ostendit, hoc sub felicissimo regimine proscriptam ac eliminatam longè esse, singulari Dei beneficio, à sacris Ecclesiæ præfecturis omnem simoniam : quæ si fortassis adhuc vspiam irrepat, circa minora duntaxat beneficia, (quorum ad Regem non pertinet dispositio) gliscens, clanculum de iis apud perditos obscurósque quosdam homines nundinatur. Et hoc non impune, cùm in apertum venit, admissum scelus impiæ mercimoniæ : nam seuerè ex legum ac canonum præscripto aduersus sontes animaduertitur, minórque rei pœna est, cum insigni infamia, à comparato pecuniis beneficio prorsus excidere. Legendus super hoc, in Decretis Gallicanæ Ecclesiæ, ex integro titulus 21. lib. 7. cuius programma est, *de simoniacis & fiduciariis.*

Porrò quod natam ex Concordatis obiiciunt *exterminationem scientiæ,* tam ludicrum est, vt refellere pigeat. Siquidem luce clarius est, à multis retrò sæculis, tantis doctrinæ insignibus Clerum in Gallia non enituisse, quantis ab initorum Concordatorum tempore emicuit, ac etiamnum præfulget. Absit dicto inuidia, longè fortunatiùs (vt plurimùm) cum Gallia per nominationes, quàm diu antè per electiones actum. Siquidem quibus quantisque Episcopis abhinc, quo regia nominatione designari cœperunt, Gallia abundarit, singularum Ecclesiarum Cathedralium Pontificales catalogi, propatulò exponunt. Vix certè per trecentos antè annos, ita docti ac eruditi tot Episcopi prodierunt, ac post Concordata inita, centum circiter duntaxat ab annis, per regiam nominationem, à summo Pontifice creari contigit. Quorum illustrissima nomina hæreticis huc vsque terrori sunt: sed plurimorum clarissima quæ supersunt eminentis doctrinæ monimenta, singularem eruditionem, cum pari pietate coniunctam, indicant ac testantur. Doctorum porrò secundi in sacerdotio ordinis, quis enumerare posset innumerabiles copias, inuictissimásque acies, qui *omni armatura fortium* instructi, tetra omnium hæreseωn portenta, insigni victoria, mul-

tiplicíque triumpho debellarunt. Nuſquam à multis retro annorum centuriis, Eccleſia Gallicana fœcundior athletis fidei fortiſſimis profectò extitit, nec clarioribus doctrinæ ſacræ ſideribus irradiata emicuit, quibus ab ætate Franciſci I. coruſcare, à toto orbe, non ſine omnium ingenti admiratione ac applauſu, eius felicitati non inuidentium, conſpecta eſt, ac etiamnum perſpicitur.

Nec iuſta querela eſt, quòd Capitulis eligendi libertas his Concordatis ſublata ſit. Quàm exili enim libertatis vmbra, ante Concordata inita fruerentur, ſuprà manifeſtè apparuit. Reſeruabat paſſim ſummus Pontifex ſuæ diſpoſitioni, ſummos Eccleſiarum Magiſtratus. Quos ſi earum ſacerdotalis Senatus deligere fortaſſis ex aduerſo præſumeret, mox formidabilibus cenſuris compellebantur canonici acta ſua retractare; electus verò iure ſuo quantocyùs cedere, ne fulminationibus Pontificiis obrueretur. Intercedebat Rex, vindex ſui iuris, quo patronus & fundator illarum Eccleſiarum tutelam, ad ſe titulo ipſo diadematis pertinere contendebat: ſuáque intereſſe, vt iis regnóque vtiles, ſibique grati & accepti Antiſtites præficerentur. Quò igitur res ad intentum perduceret, Capitulis quidem ius electionis integrum ex antiquis iuris formulis dicebat competere: adeóque vt his legitimum, contra Pontificias præuentiones ſeu reſeruationes defendebat. At commodi ſui decoríque, non Capituli plerumque intuitu, cuius eligendi facultatem in magnas anguſtias coërcebat. Celebrari enim ſacra ad obeundas electiones comitia aſſerebat non licere, niſi ex ſuo arbitratu. Quam conueniendi delectus causâ licentiam, non ſolebat pro inſtanti eorum efflagitatione ſtatim concedere, at tempus à ſuo volebat pendere nutu. Deinde conceſſâ demum conueniendi veniâ, eò ſuum deſtinabat miſſum, qui toti actioni vice ſua ſuperintenderet. Huius miniſterio vt plurimùm ſic vtebatur, vt non quem affectabat clerus Antiſtitem is conſequeretur: ſed ille deligeretur, quem Rex ipſe voluiſſet. Hunc, pro more, in comitiorum ingreſſu, per nuntium ſuum Capitulo commendabat:

datis etiam interdum beneuolis, non magis quàm honorificis ad ſacrum cœtum literis; quibus ſi annueret canonicum collegium, rata mox erat electio, ſed eius quem Capitulum quidem elegerat, verùm non ſibi ex ingenti affectu, at ex Regis nutu; adeout verè dixiſſes, Regem per Capitulum deſignaſſe, at verò Capitulum non tam elegiſſe inaugurandum Pontificem, quàm à Rege electum approbaſſe, eius vtpote voluntatem non ſuam propenſionem, ea in re ſecutum. Cui ſi Capitulum pro inſolito (ne dicam inſolenti) quodam priſtinæ dignitatis motu reniteretur, incaſſum id tentabat. Rex enim ferè nunquam acceptabat hoc electum modo Præſulem, Regalia retinebat, iuramentum fidelitatis admittere recuſabat, nec quieſcebat à cœptis, donec in irritum ducta Capituli poſtulatione, potiùs quàm electione, ille quem eligi ſe velle ſignificauerat, à Capitulo, ſi non eligeretur, ſaltem haberetur pro electo. Miſſum ad prouinciæ Archipræſulem iubebat mox Rex conſecrari: ſi abnuebat Metropolitanus, à Senatu interpellabatur, cæterùm ſi recuſare pergeret, regia temporalium comprehenſione ac obſignatione cogebatur, Regis iuſſibus, potiùs quàm ſpontaneis Capituli ſuffragiis, per ſe vel vicarios ſuos aſſentiri. Aliquando Rex vt hi vitarentur anfractus, ad ſummum Pontificem recurrebat: cuius auctoritate Capitulum ab eligendo præpediebatur, is verò quem optabat Rex prouidebatur ac inſtituebatur abſoluto imperio. Sic fermè ſe res à tempore potiſſimùm exceſſus ſancti Ludouici, ad vſque Leonis X. & Franciſci I. tempora habuerunt: vt perſpicere liceat quàm modica imò ferè nulla ſuppetierit interim facultas Capitulis, electionum celebrandarum, ex veteris iuris præſcripto; poſitis ſcilicèt quaſi inter malleum & incudem, Pontificiæ auctoritatis ac Regiæ poteſtatis, quibus vtrimque premebantur. Adeout reuera nihil eadem Capitula perdidiſſe meritò dici poſſit, per Regis cum Pontifice conuentionem: cùm diu antè eligendorum Antiſtitum, ipſa vis ac poteſtas eis fuiſſet ſublata, tantúmque relicta vmbratilis ferè cæ-

remoniæ actitatio, electionis inani titulo obducta.

Nec eſt quòd Clerus inferioris ordinis, etiam malè ſecum fuiſſe actum, eiuſmodi tranſactione regni cum Sede Apoſtolica, grauiter admodum expoſtulet. Nec enim omnes qui adſcribuntur Clero, infulis deſtinantur. Cæterùm inferiorum epiſcopatu aut monaſticis præfecturis beneficiorum, iis maior longè ſpes, quàm erat ante concordiæ ſæpedictæ tranſactionem, affulget : ex eo quòd debitè graduatis, certi aſſignentur menſes, quibus vel inuiti Præſules, iis curas & canonicatus, aliáque inferioris gradus beneficia conferre obſtringuntur. Imò nec his ad dignitates præcluditur aditus. Cùm prima ab Epiſcopali, debeat per electionem canonicam, de Eccleſia benemeritis deferri : quæ verò primariæ proximæ ſunt, graduatorum iuri ſubiaceant. Adeout à candidatorum meritis pendeat, congruos his aſſequendis dignitatibus in academiis gradus, per optimarum diſciplinarum ſtudia adipiſci : vel iis ſe dotibus ſcientiæ & virtutis præſtare commendabiles, ob quas ab iis qui in electionibus ius ſuffragij habent, primarij honoris digni cenſeantur. Magna igitur ad doctrinam ac pietatem, per Concordata, harum ſtudioſis, ex ſolatio præmij quod non inaniter ſperari poteſt, oritur excitatio : *Omne opus etenim* (ait præclarè S. Hieronymus) *leue fieri ſolet, cùm eius præmium cogitatur, & ſpes præmij, ſolatium ſit laboris.*

Cæterùm nonniſi abſurdè dici poteſt, non ſpectare ad Pontificem, neque ad Regem, ſeſe Epiſcoporum delectui immiſcere : vnde abſque iure hunc ſibi eorum arrogaſſe nominationem, illum verò confirmationem ac prouiſionem reſeruaſſe : cùm promotio ipſa ad Metropolitanum, electio ad plebem, vel potiùs ad Clerum húncque Cathedraticum, iure Eccleſiaſtico iam olim condito ac ſeruato, pertineret. Paucis enim vt reſpondeam, dico. ſi non ad Papam & Regem ſpectat proſpectum ire, vt Eccleſiis digni Epiſcopi præficiantur, multo minus ad populum, imò & Clerum hoc pertinere: cùm membra ſint Clerus & populus Eccleſiæ & regni, Papa verò & Rex capita ; hic Chriſtianiſſimi regni, il-

le verò Catholicæ Ecclesiæ. Electioni quidem populum præbuisse olim solum assensum, Clero delatam electionem potiùs ex Ecclesiæ vsu & permissu, quàm vlla institutione diuina: vnde ius istud qualecunque fuerit tantùm positiuum erat. quamobrem variari poterat, quin & propter abusum, quem passim irrepsisse ostendimus multiplicem, potuit ac debuit etiam submoueri. In Orientali Ecclesia consultius ferè iampridem visum est, vt prouinciales Episcopi cum Metropolite suo, Episcopum vel Archiepiscopum eligerent, nulla Clero parte circa hoc concessa, nisi meri consensus*. Inpræsentiarum Patriarchæ passim creant Episcopos & Archiepiscopos: quibus vt plurimùm nulla sedes fixa assignatur, sed pro ingruentium negotiorum occursu, à proprio Patriarcha eò ablegantur, vbi, ipsius iudicio, opus est aliquem Præsulem destinari. Nemo autem prudens censuerit Papæ minus deferendum in vniuersalis Ecclesiæ administratione, quàm Patriarchis liceat in suo cuiusque districtu, circa Ecclesias ipsorum speculationi subiectas. Porrò Imperatori Constantinopolitano, quàm magna olim permissa, quoad ipsorum Patriarcharum designationes, aut institutiones: Historiæ Græcæ, tam sacræ quàm ciuilis luculenter monumenta produnt. Gallicanæ verò Ecclesiæ Historiographi, non minora circa eosdem Episcoporum regni delectus Reges, à Monarchiæ ferè exordio priuilegia habuisse, vel auctoritatis suæ munera interposuisse, singulis temporibus per exempla quæ passim narrant insignia memorantur. Si ad canones attendamus: sanè tametsi Concilium VIII. vetuerit Imperatorem, vel sæcularem principem electioni Patriarchæ, Metropolitani, vel cuiuslibet Episcopi interesse: ne scilicet sua præsentia electores ad nutum suum inflecterent. *Eos tamen ab Episcopatus concessione*, Synodus illa Oecumenica; vt Iuo Carnotensis peritissimus interpres canonici iuris, obseruat epist. 60. non prohibuit: imo mos fuit etiam summorum Pontificum, quemlibet electum non ordinare, nec ordinari præcipere, vsquequò Imperatoris vel Regis licentia interuenisset: qua Episcopatum da-

* Vide Theod. Balsam. vbi contendit sic 4. canone Concilij I. Niceni fuisse statutum.

ri, hoc est Ecclesiæ latifundia, & ipsius Episcopatus possessionem tradi pacificam, etiam fatebantur. Sic can. *Reatina*, dist. 63. Leo Papa IV. rogat Lotharium & Ludouicum Augustos, vt Reatinam Ecclesiam Colono Diacono concedere ipsis collubeat. *Vt vestrâ* (inquit) *licentiâ acceptâ, ibidem eum Deo adiuuante, consecrare valeamus Episcopum: sin autem in prædicta Ecclesia nolueritis, vt præficiatur Episcopus: Tusculanam, quæ viduata existit, illi Serenitas vestra concedere dignetur, vt consecratus à nostro præsulatu, Deo omnipotenti, vestróque imperio grates peragere valeat.* Idémque Pontifex can. *Nobis* continuò sequenti se asserit secundùm regiam voluntatem, eundem Colonum ordinasse Reatinæ Ecclesiæ Pastorem. & canone, *Lectis*, disertè profitetur Principis iussionem in electi confirmatione desiderari. Sed *scientes* (inquit) *Ecclesiam Dei sine proprio diu Pastore non debere consistere, gloriæ vestræ mandamus* (Guidonem Comitem sic affatur) *quoniam aliter nos agere non debuimus, vt vestra solertia, imperiali, vt prisca consuetudo dictat, perceptâ licentiâ, & nobis quemadmodum vos scire credimus, imperatoriâ directâ epistolâ,* &c. *eundem electum Domino adiuuante consecremus*, &c. Denique can. *cùm longè*, eadem dist. expresè definitur, in electione Episcoporum Principis assensum desiderari: imò moris fuisse in Hispania canonis indicat series, Episcopos plerumque eligi regali potestate.

Franciæ Regum eluxit iamdudum spectatissima eadem in re auctoritas, cuius apud Gregorium Turonensem lib. 6. histor. Francor. cap. 39. vbi de Sulpitij sanctissimi viri agit promotione ad Cathedram Bituricensem, extat perillustre monimentum. *Remigius* (ait) *Biturigum Episcopus obiit*, &c. *Posthæc Sulpitius* (Pius hic cognomento & merito) *in ipsa vrbe ad sacerdotium Gunthranno Rege fauente præeligitur. Nam cùm multi munera offerrent, hæc Rex, Episcopatum quærentibus respondisse fertur. Non est Principatus nostri consuetudo sacerdotium venundare sub pretio, sed nec vestrûm eum* * *præmiis comparare, ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos Mago Simoni comparemini. Sed iuxta*

* illud

Dei

Dei præſcientiam, Sulpitius vobis erit Epiſcopus: & ſic ad Clericatum deductus, Epiſcopatum Eccleſiæ ſupradictæ ſuſcepit, &c. Sparſim apud eundem Gregorium exempla occurrunt, impertitæ à regibus auctoritatis in Epiſcoporum regni ſui delectu, quos aliquando abſolutè nominabant, ſeu eligi mandabant: vt plurimùm verò electos ex ſua licentia, iubebant à comprouincialibus Epiſcopis promoueri. Extant in formulis antiquis Marculphi monachi, huius priſcæ vtriuſque praxis perſpicua veſtigia: nam hac in collectione legitur *præceptum de Epiſcopatu. Conceßio* (ad petitionem) *ciuium pro Epiſcopatu. Et indiculus Regis ad Epiſcopum, vt alium benedicat*. Porrò in Synodo Pariſienſi V. quæ anno Domini 615. conſedit, edictum Clotharij II. Regis promulgatum eſt, de Epiſcoporum deligendorum ratione, quæ hac ſeruanda ſerie præſcribitur: *Vt Epiſcopo decedente, in locum ipſius qui à Metropolitano ordinari debet, cum Prouincialibus, à Clero & populo eligatur: & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur*. Sequitur verò, quòd ſi aſſumatur de Palatio, id eſt de domeſtico Regis Clericatu, *per meritum perſonæ, & doctrinæ ordinetur:* id eſt ad iuſſionem Regis, ſine Cleri vel populi præuia electione, vel ſubſequenti aſſenſu. Et verò ſæpiſſimè poſt Reges (præſertim in Gallia) exortos, ſine Cleri delectu & populi aſſenſu, Epiſcopi fuiſſe promoti reperiuntur: vix at verò vnquam ſine Regis beneplacito, & ſummi Pontificis mediata vel immediata auctoritate, vllus in ſedem Epiſcopalem receptus eſt. Mos ille, quoad Præſulem ritè conſtituendum neceſſum ſit, vt Papæ interueniat cum Principis voluntate auctoritas, antiquiſſimus profectò eſt: Anatolium ſiquidem ſecundæ ſedis Patriarcham ſic creatum, Leo Magnus ſcribens ad Martianum Auguſtum, patenter aſſeuerat epiſt. 54. *Satis ſit* (inquit) *quòd prædicto pietatis veſtræ auxilio, & mei fauoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit*. Et paulò ſuperiùs. *Cuſtodire* (ait) *tamen debuit, vt quod noſtro beneficio noſcitur conſecutus, nullius prauitatis cupiditate turbaret*. Nec enim eſt quòd quiſpiam, minus benè in

ſanctam Sedem affectus hic tergiuerſetur: conſneſum Leonis in ordinatione Anatolij expetitum ideò fuiſſe, quòd ad ſedem Patriarchalem, quemquam promoueri abſque Papæ qui primus Patriarcharum eſt, notitia vel conſenſione, non deceret: cæterùm in aliorum Antiſtitum ordinationibus, tunc beneplacitum Papæ nec requiſitum fuiſſe, nec præſtitum. Quàm enim hæc exceptio friuola & procul à vero ſit, ex verbis planè liquet ſancti Gregorij, de Maximi Spalatenſis Epiſcopi illegitimè facta (ſe nimirum inſciô) ordinatione, grauiter expoſtulantis ad Conſtantiam Auguſtam lib. 4. epiſt. 34. *Salonitanæ ciuitatis Epiſcopus, me ac reſponſali meo neſciente, ordinatus eſt: & facta res eſt, quæ ſub nullis anterioribus Principibus euenit.*

Refertur diſt. 63. c. 24.

Cæterùm nec Catholicè dici poteſt, Pontificis non intereſſe, curare de Epiſcoporum delectu. Cùm à Deo mandatum acceperit in beato Petro (cuius ſedem & fidem tenet) *ſuos confirmandi fratres*, hoc eſt Epiſcopos omnes, quotquot in orbe ſunt & eſſe poſſunt, in ſalutis miniſterio ſtatuendi, ipſiſque vt ſuo quique munere ſtrenuè defungantur, omnem curam & opem impertiendi. Ad eum enim ſpectat vniuerſalis Eccleſiæ ſollicitudo & gubernatio: nec modò agnorum, ſed & ouium procuranda ſalus, ipſi, demandato diuinitus ex officio incumbit. Quamobrem à Patribus non modò fidelium omnium Pater ac Paſtor appellabatur, ſed & *Pontifex maximus, Patrum Pater, Epiſcoporum Epiſcopus*, ipſorúmque Patriarcharum Princeps prædicabatur. Ad Ioannem Papam ideò Caſſiodorus tum præfectus Prætorio vrbis, præclarè pridem ſcribebat lib. 11. epiſt. 11. variarum. *Vos ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis: vos Patris nomine vniuerſa diligitis. Securitas igitur plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitus eſt commiſſa cuſtodia. Quapropter nos decet ſeruare aliqua,* SED VOS OMNIA. Gallia certè ſi qua ſub cœlo regio eſt, paternæ huius curæ ac amoris ab ipſo Euangelij ortu, ſedulos ſenſit affectus: quæ ſalutis primos præcones & Eccleſiarum Apoſtolos, ac populorum ſuorum Paſtores, Sedis ipſius Apoſtolicæ, toto orbe

Luc. 22.

non minùs pietate quàm poteſtate mirabilis, prouidentia ac auctoritate ſuſcepit. Vnde Romanæ Eccleſiæ, omnium matris Eccleſiarum, filiæ primogenitæ nomen ac decus, Gallicana eſt Eccleſia, vniuerſi orbis Chriſtiani præconio ac conſenſu * hactenus conſecuta: Regéſque ipſi Galliarum Chriſtianiſſimi, ac eiuſdem Romanæ Eccleſiæ primogeniti, natiuíque Sedis Apoſtolicæ defenſores, promeruerunt, præ cæteris omnibus mundi Principibus appellari.

** V. limin. noſtrã epiſt. ſuper Martyrolog. Gall. noſtrũmq; itidem in illud apparatũ c. 21. & 22.*

Meri non ſunt procul dubio laici, ipſi Reges, qui liquore cœleſti inuncti, nonnihil connexionis cum ſacro ordine habent. Non eſt hic locus ſacras eorum prærogatiuas recenſendi, de quibus plerique ſummi auctores luculentos tractatus conſcripſerunt. Sat fuerit hîc aſſeruiſſe, nominandorum in ſuo regno Præſulum facultatem, Regi iure optimo competere. Nam vt dudum Iuo Carnotenſis rectè ac prudenter animaduertebat, *Rex eſt caput populi: in ipſo enim ſita eſt publica ſalus & tota vis populi,* ac ius & robur regni, tanquam in fundamento conſidet. Proinde ſi ius quodquam populo circa electiones Epiſcoporum quondam quæſitum fuit, ſine populi iniuria, id ſibi Rex potuit tanquam Reipublicæ parenti, ac tutori (cùm neceſſum cenſuit vendicare) pro populi ipſius meliori regimine, ac regni maiori commodo & decoro. Nec Cleri, cuius reuera potiores olim in electionibus erant partes, in hoc exiſtimari debet dignitas violata. Cùm Rex violenter ius illud Clero non eripuerit; ſed ſibi de vniuerſali Eccleſia, ſedéque Apoſtolica admodum benemerito, iuſtis rationibus delatum conceſſúmque à ſummo Pontifice (in quo totius ſacerdotij ſuprema reſidet auctoritas) congrua gratitudine recepit; ipſi Pontifici maximo nihilominùs præcipua, hoc eſt ſumma auctoritate, circa Epiſcoporum legitimam inſtitutionem reſeruatâ. Quos enim Rex nominat, ſolus Papa, (prout canones exigunt) diſcutit, eóſque aut reiicit, aut recipit: dignos verò repertos, creat, prouidet, inſtituit, probatóque iam olim ab Eccleſia ritu, conſecrari iubet. Solus igitur habet Pontifex, vt Caput Eccle-

ſiæ, *inſtitutionem* (vt Canoniſtæ aiunt) *auctoriſabilem:* Rex, vt caput regni, meram perſonæ idoneæ deſignationem, quæ ex traditionis Apoſtolicæ præſcripto, à tribus Epiſcopis fieri, vt olim, conſueuit. Nec Cleri omninò ſuffragium, aut populi teſtimonium, eiuſmodi ordinationibus deeſſe, dici poteſt. Non modò quòd deſignatorum conſecrationi, adſit conſentiens Clerus, interſit etiam populi rem gratam habentis copioſà multitudo: ſed præſertim quia, vt à Rege factus præficiendi delectus, à Pontifice ratus habeatur; atteſtatio ſolennis præexigatur, ex honoratiorum Cleri ac populi ſuper electi fide, doctrina, probitate ac pietate teſtimoniis authenticè coram Præſule diœceſano, vel Nuntio Apoſtolicæ Sedis confecta: ſine cuius interuentu, Pontifex nominato à Rege nunquam Epiſcopatum concedit. Concurrunt igitur in hoc genus promotionis omnia, quæ à priſcis canonibus exiguntur: vota ſcilicet Cleri & populi, Regis intentio & voluntas, ſummi Pontificis auctoritas, & Epiſcoporum qui ſic delectum Antiſtitem ſuſcipiunt in collegam, conſecrántque Apoſtolico ritu, ſolennis conſeſſus ac conſenſus.

DE IVRAMENTO QVOD PRÆSTARE ſolet in Francia, Antiſtes quiſque nuper ad Epiſcopatum prouectus, Chriſtianiſſimo Regi.

DE Iuriſiurandi Epiſcopalis ſanctitate ac religione aliàs, ſcilicet in libro cui titulus eſt, *de Epiſcopali Monogamia & vnitate Eccleſiaſtica, cauſa* 9. ex profeſſo diſſeruimus. At inpræſentiarum non de quolibet Epiſcopi iuramento, ſed de eo quod in Gallia quilibet Epiſcopus, in ſuo ad Sedem Pontificalem ingreſſu, Regi præbere ſolet & tenetur; tractare obiter quidem, ſed nitidè ac pacificè aggredimur.

Sanè vetus querela eſt, de ſacramento, hominio, & fidelitate, quibus Imperatores & Reges obnoxios ſi-

bi Episcopos, obstrictósque quasi subiectionis arctiori nexu reddere, efflictim ac perdiu contenderunt: repugnantibus toto nixu in aduersum Pontificibus summis, suisque decretis ac constitutionibus, tentantibus hanc seruitutem (quam vocabant) ab Ecclesiæ Præsulibus quibusque amoliri. Maior contentio hac de re cum Imperatoribus, & Regibus Angliæ, à Pontificibus maximis pridem inita, non sine graui conflictu vtriusque potestatis, aliquando sopita fuisse, apud illorum temporum scriptores comperitur.

Certè in Concilio celeberrimo Claromontensi Vrbano II. præside can. 17. legimus definitum, *ne Episcopus vel Sacerdos, Regi alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat.* Vrbani successor Paschalis II. idem decretum sua hac sententia confirmauit, quam Anselmo Cantuariensi insinuat, in Lateranensi Concilio fuisse prolatam. *Paschalis Episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri & Coëpiscopo, Anselmo Cantuariorum. Nuper in Synodo apud Lateranense consistorium celebrata, Patrum nostrorum decreta renouauimus, sancientes & interdicentes, ne quisquam omninò Clericus, hominium laico faciat*, &c. *Vide Baron. an.1093.tom.11.*

At fuêre tamen etiam ex ordine sacro, qui rigidiùs hæc decerni, quàm æquitas postularet, censuerunt; in quibus Wltramus Episcopus Naumburgensis circa an. 1109. edito libello * adstruere haud dubitauit, postquam à Regibus vel Imperatoribus Ecclesiæ dotatæ fuerunt, & iura illorum translata in Episcoporum dominia: congruum ac necesse fuisse, ab iis exigere homagia, sacramenta, obsides, vt in hostium irruptione, Reges scirent, cui suas ciuitates & castra credidissent.

* *de inuestit.*

Illustre apud Iuonem Carnotensem de iure eiusmodi regio, asserto ab ordinibus regni, ex antiqua consuetudine extat epist. 190. ad Paschalem prædictum Pontificem, monimentum. *Ausu* (inquit) *familiaritatis, Regem Francorum* (Philippus I. hic erat) *interpellauimus quatenus prædictæ Ecclesiæ* (Remensis) *expulso inuasore Geruasio, pacem restitueret, & Dominum Radulphum, eiusdem Ecclesiæ Metropolitanum**, *in gratiam*

* De hoc Radulpho nuper nonnulla memoratu digna expressimus, in Epistola didascalica, Coloniæ & Parisiis vulgata, de caussa conuersionis S. Brunonis Carthusian. Patriarch.

ſuam receptum, eidem Eccleſiæ praeſſe concederet. Acquieuit tandem precibus noſtris, & conceſſit, vt eum ad curiam ſuam, quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, ſecurè adduceremus, & ibi cum eo, & cum Principibus regni, de hoc negotio quantum fieri poſſet (ſalua regni integritate) tractaremus. Factum vt condictum erat, & conuenientes in curiam, multiplicatis interceſſoribus, petitionem noſtram ſemel & ſæpius replicauimus. Sed reclamante curia, plenariam pacem impetrare nequiuimus: niſi prædictus Metropolitanus, per manum & ſacramentum, eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum, anteà fecerant omnes Remenſes Archiepiſcopi, & cæteri regni Francorum tum quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi. Quod, perſuadentibus & impellentibus totius regni Optimatibus, etſi propter mandatorum rigorem* (ſummorum ſcilicet Pontificum & Synodorum prohibitionem) *minus licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiæ paci & fraternæ dilectioni ſic expediebat.*

* Phraſim hãc deſcripſit Iuo, ex collecta ſolenni, quæ vſurpari iampridẽ conſueuit ab Eccleſia, in feſtiuitate Omnium Sanctorum.

Quam tamen conſuetudinem proceres regni adeò antiquam eſſe volebant, vt omnes ante Radulphum Archiepiſcopi Remenſes, quin cæteri omnes regni Francorum ſancti quantumlibet & religioſi Epiſcopi, per manum & ſacramentum Regibus anterioribus fidelitatem feciſſent, huius certè nec in geſtis ſanctorum Galliæ Præſulum (quorum innumeram ferè multitudinem in faſtis Gallicanis recenſui) nec apud regni hiſtoricos vel Chronographos, vllum penitus reperi ante ſecundam Regum progeniem veſtigium. Sub media verò ſtirpe, quæ Carolinorum dicitur, non rarò, iuramenti fidelitatis, ab Epiſcopis & cæteris Prælatis, Regibus præſtiti mentio reuera occurrit. Adeout tempore Philippi primi, meritò hæc ipſa conſuetudo antiqua dici poſſet, & proceribus regni, res ab initio non ita accuratè inueſtigantibus, antiquiſſima, non abſque aliqua veri ſpecie inſuper videretur. Cæterùm vt non verbis modò dicta firmemus, at patentibus exemplis eiuſmodi morem ſub Carolinis Principibus ortum, & deinceps vſitatum, perſpicuum faciamus: obſeruare iuuat quæ ſequuntur.

Wenilo Senonensis Archiepiscopus Carolo Caluo Regi, postea Imperatori, se huiusmodi sacramenti nexu obstrinxerat, cùm ad Metropolicam illam sedem; Regis ipsius beneficio prouectus est. Vnde idem Rex Carolus sic de eo queritur, in libello proclamationis, quem Synodo Tullensi aduersus ipsum Archiepiscopum porrexit, apud Saponarias collectæ ex duodecim regni Prouinciis, anno salutis 859. *Quia sicut dicit S. Gregorius, & ex consuetudine olitana cognoscitis, in Francorum regno Reges ex genere prodeunt, mihi à Domino & genitore meo piæ memoriæ Ludouico Augusto, pars regni inter fratres meos Reges, diuina dispositione est tradita. In qua parte vacabat tunc pastore Metropolis Senonum: quam iuxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum, Weniloni tunc clerico meo, in Capella mea mihi seruienti, qui more liberi Clerici*, se mihi commendauerat, & fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis, ad gubernandum commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, vt eum ibidem Archiepiscopum ordinarent obtinui.* Nec difficile porrò fuerit penitiùs res huius temporis consideranti, deprehendere causam, ob quam Rex ille Carolus, à præficiendis Episcopis iuramentum cœperit fidelitatis exigere. Dispendiô nimirum edoctus parentis sui Ludouici Pij, quem, nonnullorum Episcoporum cùm eius filiis coniuratione, deiectum ab Imperiali solio fuisse nouerat. Ne igitur in consimile discrimen induceretur, Episcoporum aliquo molimine, quorum ingens tunc erat apud omnes auctoritas: securiùs se sibi censuit ire prospectum, si ab iis, antequam manus sacros ad fasces admouerent, iuramentum fidelitatis sibi præstari procuraret.

* id est, ingenui ac nobilis.

Hincmarus Laudunensis Episcopus, eandem vt fidei cautionem præstaret Regi ipsimet Carolo, in Attiniacensi Conuentu compulsus est anno 869. vt recitat Aimoinus lib. 5. cap. 14. *Interea* (inquit) *post de multis impetitus, præcipuè autem de insubiectione Regiæ potestati, & inobedientia erga suum Archiepiscopum, Hincmarus Laudunensis Episcopus, vt se ab impetitis*

*expediret, in Synodo Episcoporum decem prouinciarum, libellum propria manu subscriptum porrexit, hæc continentem. Ego Hincmarus Laudunensis Episcopus amodò & deinceps domno seniori * meo Carolo Regi, sic fidelis & obediens, secundùm ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, & Episcopus per directum suo Regi esse debet: & priuilegio Hincmari Metropolitani prouinciæ Remorum Ecclesiæ, secundùm sacros canones, & decreta Sedis Apostolicæ, ex sacris canonibus promulgata, pro scire & posse me obediturum profiteor.* Et subscripsit.

* Hoc vocabulum idem, ex Francorũ veterum vsu, sonat, quod Gallicè, *Seigneur.*

Arctiori formula astrictus est ipsemet Hincmarus Archiepiscopus, eidem Regi Carolo sese deuincire in Synodo Pontigonensi, anno 876. habita. In hac siquidem iussus est, sponsionem emittere, cuius tenor sequitur. *Sic promitto ego, quia de ipso die in antea, isti seniori meo, quandiu vixero fidelis & obediens & adiutor ero: quantumcùnque plus & meliùs sciero & potuero, & consilio & auxilio, secundùm meum ministerium, in omnibus ero, absque fraude & malo ingenio: & absque vlla dolositate, vel seductione seu deceptione, & absque respectu alicuius personæ. Et neque per me, neque per missum, neque per litteras, neque per emissam vel intromissam personam, vel quocunque modo ac significatione, contra suum honorem, & suam, Ecclesiæ, atque regni illi commissi quietem & tranquillitatem atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam. Neque vnquam aliquod scandalum mouebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti, contraria vel nociua esse poßit. Sic me Deus adiuuet & ista sancta patrocinia**.

* *Extat tom. 3. Concil. Gall. p. 447.*

* id est, *sanctorũ reliquiæ.*

Episcopi in generali placito, quod anno salutis 873. apud Gundulphi villam conuenit, Ingelberga Regina præsente, ac Legatis Apostolicæ Sedis, Formoso (postea Papa) & Goderico, professionem infrà scriptam, Carolo prædicto Regi iurauerunt, ab eorum quolibet deinceps obseruandam.

Quantum sciero & potuero, adiuuante Domino, consilio & auxilio, secundùm meum ministerium, fidelis vobis adiutor ero, vt regnum quod Deus vobis donauit vel donauerit, ad ipsius voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ, & debi-

debitum regium, honorem vestrum, & vestram fideliúmque vestrorũ saluationem, habere & obtinere & continere poßitis.

In sacro consessu habito apud Trosleium in pago Suessionico, ann. 17. Caroli Simplicis, qui in annum Domini incidit 909. Episcopi post salutaria monita Regi data, candidè fatentur, se fidelitatis iure ac debito illi esse obstrictos. *Sic & nobis omnibus, qui in regno consistimus oportet vt iustam fidelitatem vobis conseruemus, & honorificentiam regiam exhibeamus, & de vtilitate regni aliquid quærenti secundùm scire & posse, verum & vtile consilium suggeramus.*

Arnulphum Archiepiscopum Remensem, fidem quoque solenniter dedisse, & iuramento obsignasse, sibi ac filio conregnanti, Hugo tertiæ Regum stirpis in Francia parens, dum ad Ioannem scribit Pontificem maximum, querulas aduersus ipsum Arnulphum literas patenter asseuerat*. *Considerate* (inquit) *ergo quæ facta sunt, & quæ facienda præscribite: vt sacris legibus suus honor reddatur, & regalis potestas non annulletur. Arnulphus Regis Lotharij (vt dicunt) filius, post graues inimicitias ac scelera, quæ in nos regnúmque nostrum exercuit, loco parentis adoptatus est à nobis, ac Metropoli Remorum gratis donatus, iusiurandum præbuit, quod contra præterita & futura sacramenta valeret: Libellum fidelitatis sub nomine Chirographi conscripsit, recitauit, corroborauit, corroborarique fecit; Milites ac omnes ciues iurare coëgit, vt in nostra persisterent fide.* Cuius iuramenti hanc fuisse seriem elicitur ex Synodo Remensi celebrata anno 991. sub Hugone & Roberto Francorum Regibus, cap. 8. *Ego Arnulphus gratia Dei præueniente, Remorum Archiepiscopus, promitto Regibus Francorum Hugoni & Roberto, me fidem purißimam seruaturum, consilium & auxilium secundùm meum scire & posse, in omnibus negotiis præbiturum, inimicis eorum nec consilio nec auxilio ad eorum infidelitatem scienter adiuturum. Hæc in conspectu diuinæ Maiestatis, & beatorum spirituum, & totius Ecclesiæ, aßistens promitto: pro benè seruatis laturus præmia æternæ beatitudinis. Si verò, quod nolo & quod absit, ab his deuiauero, omnis benedictio mea conuer-*

Extat apud Quercetanũ tom. 4. hist. Franc. p. 107.

Vide Gilb. Archiepiscopi Remẽs. postea Siluestri Papæ II. Apologiã ad Vilderodum Episcopum.

V

tatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & Episcopatum meum accipiat alter, recedant à me amici mei, sintque perpetuò inimici. Huic ergo Chirographo à me edito in testimonium benedictionis vel maledictionis meæ, subscribo, fratrésque & filios meos, vt suscribant rogo. Ego Arnulphus Archiepiscopus S S.

Nemo tantisper sciens est Francicæ historiæ, qui cur tam seueram quàm insolitam iuramenti formulam, sibi filióque Roberto præstari voluerit Hugo suæ familiæ Rex primus, facilè non peruideat. Nempe Lotharij Regis filius Arnulphus gratè ferre posse non præsumebatur ab Hugone nouo Rege; Monarchiam à paterna stirpe, alienam ad progeniem fuisse nuper translatam. Ideò certè Arnulphus ipse suspectus erat, ne consilia iniret, quibus Carolina familia exuta regno ab Hugone, eidem postlíminiò tandem aliquando restitueretur. Cautum igitur vt ab eo sibi esset, Hugo Rex nuperus, hanc fidelitatis formulam, ab illo postulauit, quam traxit deinde in occasionem (sub periurij prætextu) Arnulphi ipsius deiiciendi à sacro solio Archiepiscopatus Remensis, ac etiam acerrimè insectandi: vnde tragœdiæ postmodum atræ illæ excitatæ sunt, quæ regnum cum Sede Apostolica plerasque graues in conflictationes coniecerunt.

Peculiare tamen non Arnulpho fuit, regnante Hugone & subinde Roberto, eius filio, præstare Regiæ Maiestati fidelitatis sacramentum. Nam Fulbertus ipse, sanctissimæ memoriæ Carnotensis Antistes, cuius sub ferula Rex ipse Robertus scientiam piè ac probè regnandi, dudum didicerat, factus eius gratitudine postmodum nobilis illius Ecclesiæ Episcopus *, consueto iam Galliæ Præsulibus more, sese eidem Regi clientelari iure deuinctum, datæ fidei nexu passim profitetur. Vnde cùm ipse aliquando adigeretur, cuipiam sese iuramento obstringere, vel à quoquam beneficiariorum clientum exigere iurisiurandi fidem, exceptionem hanc interponere consueuerat. *Salua Roberti Regis fidelitate.* Sic epist. 6. *Hoc à vobis exigo, securitatem de mea vita & membris, & terra quam habes* **, *vel per con-*

* Ep. 4. ad Rob. Regem, *cuius* (inquit) *gratuita bonitate Præsulis honore fungimur, & tutela cuius posse eripi à malorum iniuriis omninò confidimus.*

** *habeo*

ſilium veſtrum acquiram. De auxilio veſtro contra omnes homines, ſalua fidelitate Roberti. Cui ipſe, cum Andegauorum Comite, ſcribens epiſt. 15. hanc limini præfigit fidelis obſequij profeſſionem: *Domino ſuo Regi, ſalutem & fidele ſeruitium.* Quòd ne perfunctoriè dictum quiſpiam exiſtimet, idem Fulbertus epiſt. 84. qua ſe euocatum à Rege eodem memoratur. *Si ergo* (inquit) *de iuſtitia, de pace, de ſtatu regni, de honore Eccleſiæ, vultis agere: ecce habetis me paruum ſatellitem, pro viribus opitulari paratum.* More ſcilicet ac debito clientum, qui Domino quoties opus eſt & interpellantur, promiſſæ fidelitatis & obſequij tenentur officia exol ere.

Sub Henrico, Roberti filio ac ſucceſſore, eodem more Epiſcopos Regiæ fidelitati addictos fuiſſe, ex eius regni hiſtoria, ſatis conſtat, atque etiam promptum eſt ex illis Iuonis verbis colligere; quibus in Curia Philippi I. Henrici filij, Radulphum Archiepiſcopum Remenſem compulſum fuiſſe narrat, eidem Philippo Regi ſolenni ritu, antea diu vſitato, ſeſe clientem, per fidelitatis iuramentum profiteri: *Sed* (inquit) *reclamante Curia, plenariam pacem impetrare nequiuimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & ſacramentum fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenſes Archiepiſcopi, & cæteri regni Francorum quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi.* Sub Philippo Auguſto eundem viguiſſe morem, argumento eſt eiuſdem Regis diploma, pro Eccleſia Attrebatenſi editum anno 1203. quo ſic effatur. *Canonici prædictæ Eccleſiæ liberè poterunt eligere, non requiſitâ à nobis vel à ſucceſſoribus noſtris licentiâ eligendi: ſed electum ſuum confirmatum nobis præſentabunt, vt nobis fidelitatem faciat, ſicut alij Epiſcopi nobis facere conſueuerunt.* Idem Rex ad tranſmarina pro Chriſtianæ fidei vindiciis, ex voto profecturus, teſtamentum edidit anno 1190. quo eamdem cæteris Capitulis & conuentibus electionis libertatem concedit, ſaluo Regalium iure.

Sanctus Ludouicus, cùm eſſet in progrediendi ad

eadem transmarina loca, pietatis ergô, procinctu, Blancham Reginam matrem, regni moderatricem vice sua constituit. In suis porrò literis, quibus regiam illi attribuit potestatem, signatim statuit, *vt eadem poßit dignitates & beneficia Ecclesiastica conferre, fidelitates Episcoporum & Abbatum recipere, & eis regalia restituere, & eligendi licentiam dare Capitulis & conuentibus vice sua.* Regio diplomate dato, apud Hospitale iuxta Corbolium, anno Domini 1248. mense Iunio.

Idem ius mósque abhinc recta serie in posteros defluxit. Ideóque Petrus de Sacierges Procurator generalis Caroli VIII. Francorum Regis, in actu protestationis ab eo publicè edito, anno 1483. contra promotionem Ioannis de Mouissac Decani Tornacensis, ad eiusdem sedis Episcopatum, factam sine Regis consensu, disertè exponit. *Interesse plurimùm serenitatis Regiæ Episcopum in ciuitate quæ sua est, præsidere, suæ sublimitati fidum & acceptum, & ob hoc omnes huius gloriosißimi regni Præsules, sacramentum fidelitatis præstare consueuisse, nec ad huiusmodi Ecclesias præfici, nisi de regno, aut per Regem * facta priùs diligenti inquisitione de eorum fidelitate*, &c.

* Scilicet consentientem electioni, & electo regalia concedentem.

Tametsi verò electionibus summotis, per concordiam initam inter Leonem Papam X. & Franciscum I. Christianissimum Regem, ius nominandi Ecclesiarum regni Præsules, fuerit Francorum Regi perpetua successione attributum: proindéque ad Episcopatus nulli aditus pateat, nisi ex nutu & beneficio Regis; tamen postquam designatus à Rege, necnon à Pontifice Maximo promotus, Episcopalem consecutus est consecrationem, solenne Regi iuramentum fidelitatis, insuper præstare consueuit, *stola collo reuincta & sancti Euangelij prolato codice.*

At cùm de eiusmodi facto planè ex dictis constet, de iure tamen, quo id stabili ritu fiat, quæstio discutienda superesse videtur. Vetant enim præsignatæ canonicæ sanctiones districtè, ne quispiam Episcopus vel Abbas, Principi cuicumque laico, homagium, fidelitatem dato sacramento & libellari sponsione, profi-

teatur. Insuper canones antiqui, omnino Episcopos quin & sacerdotes eximunt à præstando iuramento, & ne iurent vnquam, fixa lege prohibent. Sic enim à Patribus Concilij Triburensis, ex veteri vsu perhibetur definitum can. 21. *Laicus per iuramentum se expurget. Presbyter verò per sanctam consecrationem interrogetur.* Hinc vsuuenit apud Maiores, vt sine vllo iureiurando, simpliciter asserenti viro sacro quicquam in verbo sacerdotis, vel Prælati, fides adhiberetur. Verumtamen in quibusdam casibus, canonica etiam lege, à Presbytero, quin & ab Episcopo exigitur iuramentum: & à Presbytero quidem in sex casibus hac in regula designatis, quæ legitur gloss. *Sacramento*, in can. *Quoties* 1. q. 7.

Hæc sex Presbyterum faciunt iurare coactum,
Vt sit recta fides, vt obediat, vt bona fama,
Ne verum pereat, ne res sacra, vel data damna.

At in quatuor tantùm casibus canonicæ sanctiones statuunt Episcopum ad iuramentum præstandum posse compelli, scilicet pro recta fide, pro obedientia, pro pace, & pro indemnitate Ecclesiæ c. *Significasti* 1. Decret. tit. 6. *de elect.* & can. *De ciuitatis Syracusanæ* dist. 28. Et signatim iterum pax, legitima causa censetur, cur à Prælatis iuramentum præstari iure postulari queat. Vnde apertè liquet pro sua regnique securitate, Regem iure merito, ab Episcopo exigere fidelitatis iusiurandum, quo sibi de castris, arcibus, & locis munitioribus quæ iure Episcopatus possidet Antistes, regalia à Rege tenens, sacra sub sponsione fidelitatis caueatur. Episcopus verò mediante hac professione, à Rege, ipsa regalia (quæ aliàs non obtineret) beneficij titulo recipiat, sicque regiam sibi beneuolentiam conciliet, & sine qua (vt Arnulphus Lexouiensis dudum prudenter admonebat) *Episcopus pacem habere non potest*, Regis protectionem promereatur. Præclarè idcircò pridem Iuo Carnotensis Paschalem Pontificem exorabat, ne grauatè ferret, quòd in sua & aliorum regni huius præsentia, adeóque de Episcoporum consilio & consensu, morem gessisset regni ordinibus, à quibus more maio-

rum, ſacramentum fidelitatis Regi Philippo præbere compulſus fuerat: relaxaréque, Eccleſiaſticæ pacis intuitu dignaretur, canonum rigorem, quibus ne laico cuiquam, Epiſcopus vllus aut Clericus fidem obſtringeret, vetitum erat. *Si enim* (inquit) *vult Apoſtolica auctoritas, omnia quæ medicinali condeſcenſione diſpenſantur diſtrictè iudicare, oportere omnes miniſtros adminiſtrationibus ſuis renunciare, aut de mundo exire, nec habebunt vbi ſeminent ſpiritualia, niſi permittantur aliqua tolerare carnalia*, ep. 190.

Et verò res mihi accuratiùs expendenti, certa ſubit perſuaſio à ſummis Pontificibus potiùs formam, qua clientes ſe Regum profitebantur Epiſcopi, nempe per receptionem annuli & baculi: quàm ipſam iuramenti fidelitatis præſtationem, ſuis decretis impugnaſſe; ac potenti renixu conatos, indecorum exoſúmque ſibi morem, eiuſmodi ſacrorum inſignium, per manum laicam traditionis ire ſucciſum. Id porrò perſpectum omnino facit inita inter Paſchalem ipſum & Regem Angliæ, ſuper controuerſia de inueſtituris concordia, de qua ſic meminit Willelmus Malmeſburienſis de geſtis Pontif. Angl. l. 2. *Directi Romam Legati, controuerſiam tot annis agitatam ſingulari probitate ſedarunt. Conceſſit ſiquidem Papa vt Rex homagia de electis acciperet: ſed nullum per baculum & annulum inueſtiret.*

Improbabant etiam Romani Pontifices ritum illum, quo Reges ſibi per manum ab Epiſcopo fidem iurari faciebant. Vnde Rogerius Houedenus Annal. parte 1. anno 1095. refert excommunicatos ab Vrbano II. *in Synodo Romæ habita eos, qui pro Eccleſiaſticis honoribus laicorum homines fiunt: indignum aſſerebat ſiquidem, manus quæ corpus Chriſti conſecrant, & pro ſalute totius mundi Patris obtutibus offerunt, ancillæ fiant earum manuum quæ ſanguinis effuſionibus cruentantur.* Sic & reſpondiſſe Paſchalem II. Archiepiſcopo Treuirenſi, pro Henrico Imperatore contendenti, inueſtituras per annulum & baculum, manúſque etiam ſacramentum ab eodem Cæſare, iure vendicari, recitat Sugerius Sandionyſianus Abbas lib. de vita Ludouici VI. Franco-

rum Regis: *Episcopum si sacratas Dominico corpori & sanguini manus, laici manibus sanguinolentis obligando supponat, ordini suo & sacræ unctioni derogare.* Non vt reor equidem, quod Regis manus piaculo pollutas esse censeret ille Pontifex, ex eo quòd bellis gerendis implicitæ, sanguinem fundere pro regni tutela & malorum coërcitione adigerentur. Sed tametsi sine piaculo hoc fieret, imò si recta intentione, etiam cum merito (Princeps enim, ait Apostolus, minister Dei est in iram, & gladium eius vice portat, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum) nihilominùs indecens nonnihil videatur, vt quæ sanguine (etiam innoxia mente) manus asperguntur, sacris admisceantur, quæ abhorrere debent ab omni cruore. Quamobrem Deus noluit vt Dauid Regum etsi piissimus, suæ Maiestati templum ædificaret. *Multum sanguinem effudisti* (dictum sibi fuisse à Domino, ipse perhibet filio Salomoni 1. Paral. 22. 8.) *& plurima bella bellasti: non poteris domum ædificare nomini meo.* Rom. 13.

Porrò Vrbanus II. grauiter tulit etiam clientelari mancipij lege, Episcopum, Principi sæculari, quemcunque Clericum obstringi. Ideóque in Concilio Claromontano can. 17. expresse prohibuit, *ne Episcopus vel Sacerdos Regi, vel alicui laico, in manibus ligiam fidelitatem faceret.* Vis cuius canonis in verbis sita est, *legiæ fidelitatis.* Sanè hóc nomine si intelligeretur, quòd ipsa dignitas Episcopalis & sacerdotalis *Regiæ subiaceret, characterísque sacræ potestatis auctoritas penderet à Regis nutu vel munere: error esset grauissimus; nam de fide est sacerdotium & Episcopatum, non ab homine, sed à Deo esse institutum, atque in sacra ordinatione potestatem omnem, quæ Pontificibus vel Presbyteris infunditur, diuinæ per gratiæ influxum iisdem pro mysterio salutis operando, & ministerio sanctificationis animarum exequendo, ad æternam diuinæ Maiestatis gloriam, impertiri. Nihil hîc Regium, sed totum diuinum est. Pulchrè aptéque sanctus Ambrosius. *Soluimus quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Tributum Cæsaris est: non negatur. Ecclesia Dei est. Cæsari vtique non debere*

Sic refertur à Baron. sub an. 1095.

* Dignitas differt plurimū à persona.

addici; quia ius Cæsaris esse non potest. Quod cum honorificentia Imperatoris nemo dictum potest negare. Quid enim honorificentius, quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur, &c. *Imperator bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Absit igitur vt subigere sibi eam velit, eósque, *quos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo,* fœda sub seruitute deprimere nitatur Rex Christianissimus. Qui quo die ab Episcopis inungitur, solenni iuramento iisdem coram Deo & Angelis eius pollicetur, canonicum ipsis priuilegium Ecclesiisque eis commissis ius debitum conseruare. *Promitto* (inquit) *vobis & perdono quod vnicuique de vobis, & Ecclesiis vobis commissis, canonicum priuilegium & debitam legem atque iustitiam seruabo, & defensionem quantum potero (adiuuante Domino) exhibebo, sicut Rex in suo regno vnicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.* Hæc dicit Rex & promittit & firmat iuramento. Longè est igitur ab ea mente, vt sibi Ecclesiam, quam tueri promittit, opprimere cupiat, Episcopósque sibi vt vilia mancipia subiugare aggrediatur, quos sibi datos diuinitùs patres & venerandos pædagogos ac pastores agnoscit: séque honori eorum seruando & dignitati tuendæ, iúsque omne quod canonico priuilegio habent, & quo præeminent in populo Dei, sese spondet sacrosancta professione, pro virili defensurum atque asserturum.

De Basilicis nõ trad. tom. 5.

Act. 20.

V. Formul. Cõs. Regis l. 5. Dec. Ecc. Gall. p. 763.

Sed sicut Rex sibi diuina non arrogat, nec Pontificalia ac sacerdotalia iura ac munera, suo sceptro annectit; at quæ à Deo sunt, mysteriorum suorum ministris & gratiæ dispensatoribus concessa, iisdem intemerata relinquit: quorũ etiam *sacro culmini* (vt pridem fecit, ac professus est fieri debere à Regibus quibusque, & toto orbe fidelibus Carolus Magnus*) *caput inclinat*: Vicissim sanè Episcopi, Regi, omnia quæ Cæsaris sunt debent referre, honorem, fidelitatem, obsequium, & quicquid ad ius Regium spectare potest, illibata ei reddere ac præstare, tam diuina quàm canonica ipsa lege obstringuntur. Præclarè Nicolaus Papa Michaëli Imperatori cap. 6. dist. 96. *Cùm ad verum ventum est* (inquit)

*In Capp.

vltra

vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium vsurpauit. quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, &c. *vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus vterentur.*

Nihil igitur indecori intercedit, cùm Episcopus, pro temporalium cursu & vsu (præter natiuæ subiectionis debitum) sese obnoxium Regiæ Celsitudini fateatur, óbque regalia quæ possidet, nomine Ecclesiæ quidem sibi commissæ, at beneficio Regis, sese ei deuinctum clientelari iure, agnoscat; si ideò homagium, vt vocant, interposito fidelitatis sacramento, Regiæ præbeat Maiestati; dummodo hoc fiat congruo ritu, moréque Pontificiæ dignitatis decoro non repugnanti.

Appositè hîc occurrit quod ex lib. *de Priuilegiis Regum Franciæ*, tom. 2. Bibliothecæ seu Thesauri Iuris Gallici, extàt insertum. *Decimum ius liliorum mirandum & antiquum est, contra iura etiam scripta, cap. nimis, de iureiurando & c. fin. de re iudicata: Quod Episcopi regni ei debeant iurare fidelitatem, seu reuerentiam: quam reuerentiam Rex Theodoricus in consilio reseruasse sibi declarat* §. *hinc etiam* XVII. *distinct. In hoc etiam notandum existimaui, quòd si fidelitatem pro homagio accipimus, Episcopi non debent d. c. nimis de iureiur. nisi ratione rerum temporalium & feudorum, vt per Panormit. d. c. Nimis. Hoc enim certissimum est in iure, quod Episcopi Abbates & alij Clerici tenentes bona feudalia, & in feudum concessa tenentur iurare fidelitatem & facere homagium. Henric. Boëher, c. fin. de re iud. Bald. in præludio feudo. Faciunt nota in c. solitæ c. dilecti filij de maiorit. & obed. c. verum de foro compet. cap. cùm ad verum ibi, cùm pro cursu temporalium dist.* 86. *& c. contra c. f. col.* 10. *Ita quod propter feloniam bona feudalia fisco applicentur vita Prælati aut Clerici durante: quia venit contra legem & pactum, cui obedire tenetur Ecclesia, quia in se & in alium est mater & cultrix iustitiæ. tit. Episcopum* Pag. 33.

vel Abbatem in princip. & de alienat. feud. c. fin. X. *col. & in tali causa feudali Rex est iudex competens per n. gloss. §. debet & ibi dom. c. Romana de appell. lib.* VI. *& in tali causa feudali efficitur regni subiectus : in aliis autem * non, sed debitor reuerentiæ : vt Bald. d. c. nimis. Propterea credo quòd isti Episcopi & Prælati aliter se habent iurando, quàm sæculares Principes & laici. Nam ipsi solent iurare stolâ ad collum positâ & manu ad pectus: non autem habent manus inter manus Regis, aut dignissimi Cancellarij seu Quæstoris; & laici iungunt manus Regis, & ideo dicitur fidelitas manualis c. cum inter vos, de iureiurand.*

* merè spiritualibus scilicet.

Sub Philippo I. tamen, eò legimus adductum Radulphum Archiepiscopum Remensem apud Iuonem Carnotensem Episcopum epist. 190. vt ipsi Regi *fidelitatem per manum & sacramentum faceret.* Exoleuit tamen postea, Regum annuente pietate, ille mos præstandi per manum, iuramentum fidelitatis ab Episcopo Regiæ maiestati : sed Episcopus stolam collo reuinctam gerens, sacræ manus ad diuini Euangelij codicem appositione, fidelitatis iusiurandum Regi præstare consueuit. Regi siquidem Episcopus sponsurus fidem, post diuinum sacrificium celebratum, offert Liturgicum librum exosculandum, túmque solenni ritu, clientelarem professionem emittit, hâc præscriptam formulâ. *Iuro obtestórque sanctissimum Dei nomen, Rex Christianissime, vestræque Maiestati polliceor, me deinceps vt in antea, donec vixero, vobis fore fidelem, ac obsequentem : omnémque curam ac operam me daturum ad vestri Regni & Maiestatis incrementum ac honorem promouendum. Méque nulli vnquam consilio vel machinationi assensurum, quod in damnum tendat & præiudicium vestri Status, aut Christianissimæ Maiestatis. Quòd si quid sinistri deprehendero, aduersum vos quemcunque moliri, promptè & syncerè vobis notificabo. Insuper vestræ Maiestati iuro & promitto, sub eiusdem diuini nominis inuocatione, quòd intra tres menses procurabo me ad Pontificalem ordinem promoueri, nisi legitimum impedimentum, & quod ex iure sit, obsistat. Quod si occurrerit, vestræ Maiestati significa-*

bo, atque protelationis huius veniam à summo Pontifice deposcam. Denique polliceor me personalem residentiam in mea diœcesi præstaturum, prout de iure est; & sacri canones decreuerunt. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Hæc habebat formula sub Ludouico Iusto vsitata: sed in veteri Franciæ formulari * seu codice, cui est titulus, *le Coustumier de France*, ritus huius iuramenti hoc tenore descriptus est.

* *Extat in Bibl. Regia, in membraneo cod. MSS.*

Prælatus stola insignis, manum dextram super volumen Euangelicum imponit: leuam pectori admouet: Regius verò Camerarius qui Clericus sit, his eum verbis ipsius Regiæ maiestatis auctoritate interpellat. Domine, vos super hæc sacrosancta Dei Euangelia, & vestros sacros ordines, iuratis ac spondetis inposterum, Regi Franciæ Domino nostro, hîc præsenti, ac eius successoribus integram fidelitatem exhibere: atque pro virili curare vt eius corpus, vita, honor & dominia quæcunque habet, ipsius maiestati illæsa, à cuiuscunque hominis machinamento vel impetitione conseruentur. Consilij quodcunque vobis communicauerit secretum, nemini, nisi eo iubente, vos patefacturum: si à vobis consilium postularit, fidum illi ac syncerum præbiturum: iuratis, promittitis & spondetis. Túmque se illa polliceri, sacrum librum sibi exporrectum osculando, respondebat.

Quid verò fidelitas ipsa importet, cuius sacramentum sibi vt supremo domino temporali, ab Episcopis, Rex Christianissimus præstari ritu hoc solenni iampridem suo in regno obtinuit: facile est ex canone, *de forma fidelitatis* 22. quæst. 5. numer. 18. delibare, qui ex epistola quadam Fulberti Carnotensis, ad Willelmum Aquitanorum Ducem depromptus est. Rogauerat Princeps iste Fulbertum, celebris doctrinæ ac sanctitatis Antistitem, vt sibi scriberet, quæ in iuramento fidelitatis de iure debeant contineri. Respondit iuramentum eiusmodi, sex complecti, quæ tenetur, qui illud præbet, semper in memoria retinere. Videlicet *incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile.* quorum sigillatim eodem responso, vim & significationem exponit. *Incolume* (inquit) *est, ne sit in damnum Do-*

mino suo, de eius corpore vel membris. Tutum, ne ei damnum inferat resignatione secreti, vel munitionis traditione, de cuius præsidio Dominus tutus esse debet. Honestum, ne irroget illi detrimentum de iustitia, seu iurisdictione cæterisque prærogatiuis, quæ spectant ad eius honorem & dignitatem. Vtile, ne quid de eius possessionibus tollat, vel tolli faciat, quod eius sit iuris. Facile autem & possibile, Fulbertus sic primùm connectit responsione sua, vt ferè permisceat: tamen ita distinguit demum, vt diuersa esse, quamuis affinia, subiunctim insinuet. *Facile est* (inquit) *vel possibile, ne id bonum quod Dominus suus facere leuiter poterat**, *reddat ei difficile: vel quod possibile ei erat, reddat impossibile. Iustum est vt hæc nocumenta caueat. Nec sufficit tamen, vt ab iis abstineat per quæ Domino suo damnum vel dedecus inferuntur. Necesse insuper est, vt quæ commodo eius ac honori conferunt, lubenter ac syncerè exhibeat; consilium scilicet & auxilium. Alioquin beneficio indignus euadit, nec saluus de fidelitate quam iurauit esse potest.*

* *vel* facere ei iusserat.

Subnectit verò Fulbertus quædam eodem contextu, quæ Dominus vicissim clienti suo, ex præscripto iustitiæ pactíque debito rependere tenetur. *In his omnibus* (ait) *Dominus fideli suo vicem reddere debet**. *Quod si non fecerit meritò censebitur malefidus, sicut ille qui in eorum præuaricatione, vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit & periurus.*

* Sed hæc non intelligenda sunt de Domino supremo, v. g. de Rege Christianissim. Hic enim nihil subiectis suis debet nisi iustitiam & protectioné: quas in consecratione sua, populo suo exhibere iurat; postquã tueri fidem & Ecclesiam, canonicúque Episcoporum & Cleri priuilegium conseruare sacrosãcta sponsione promisit.

Hæc tamen regula à Fulberto, iurisque canonici collectore, Episcopis adæquatè circa debitum illud Regi fidelitatis iusiurandum, non præscribitur: sed vassalis quibusque maximè laicis. nam, verbi gratia, auxilium præstare Regi Episcopus debet, non in tractandis militaribus, armísque gerendis, vt laici clientes, qui feudi titulo per se Regio exercitui interesse, & bellicas expeditiones ope ac manu iuuare obstringuntur: *sed arma Sacerdotum* (ait magnus Ambrosius) *lachrymæ sunt. Si tamen Imperator tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Sic in honesto secùs se habet erga Regem Episcopus, quàm laicus. Multa enim laicus sine iactura honoris exequi potest, quæ

Conc. de Basil. non trad. tom. 5.

Episcopum non decent. At decet omninò, vt quicquid in formula iuramenti Regi promisit, quæque ipsi in conscientia debet, religiosè obseruet, ac integrè persoluat; caueátque diligenter ab omni vel leuis offensionis apud Regiam Maiestatem suspicione. Hinc Ioannes VIII. dum impensè dilaudaret eximiam Episcoporum Franciæ erga Regem Christianissimum Carolum II. deuotionem: posteris, inuiolabilis huius fidelitatis exemplum præcordiali affectu commendabat. Cuius laudis decus, Gallicana sibi Ecclesia hactenus illibatum conseruauit, imposterúmque custodire debet perpetuum. Siquidem, vt Alexander III. præclarè monet c. 3. de magistris, *Ecclesia Gallicana, quantò maiorum personarum scientiâ & honestate præfulget, eò potiùs cauere solet quæ confundere videntur Ecclesiasticam honestatem.*

Ex append. ad Concil. Later. sub eod. Alexand. celebratum part. 2 c. 18. tom. 3. Concil. part. 2 p. 577. edit. Colon. ann. 1618.

DE IVRAMENTO, QVOD EPISCOPI, post electionis suæ confirmationem, factam à Sede Apostolicâ, Summo Pontifici præstare iam olim consueuerunt, ac de iure tenentur.

TAMETSI oraculum istud summæ & æternæ veritatis: *Nemo potest duobus dominis seruire*, esse non possit erroneum: errant tamen non leuiter, qui sibi persuadent, repugnare inuicem iuramenta, quæ designati Episcopi tum Regi, tum Papæ præstare in Episcopatus sui ingressu solenni more, obstringuntur. Regiæ potestati paterna non repugnat, nec regia paternam excludit. Etiam in ciuili regimine, ambæ institutæ à Domino, quietè consistunt, summáque reipublicæ vtilitate inuicem suffragantur. Porrò in Christiano & sacro principatu, duæ quæ à Deo sunt itidem potestates, Pontificalis & Regia, sic concurrunt, vt neutiquam se collidant, at suaui sympathiâ mutuò cohæreant, vicissimque ambæ decoro sibi sint atque adiumento: quemadmodum Galliæ celebris Iurisperitus *, non ita diu, piè iuxtà ac præclarè, de

Matth. 6.

**Renatus Choppinus in Sacra Politia.*

vtriuſque felici conſpiratione in commune humani generis commodum, his verſibus cecinit.

Cæſaris haud eadem fateor, quæ munera Petri,
Diſtinctique Iouem dirimunt à principe faſces:
Vna nec imperij in Clerum, populúmque poteſtas.
Sed quia ſtat geminis fultum diadema columnis,
Relligione ac Iuſtitiâ, in ſuperóſque viróſque:
Sacra ſacerdoti, curanda politica Regi,
Vt canonum hic cuſtos ſit, quorum conditor ille, &c.
Mutuo vt auxilio ſubiectæ commoda gentis
Curent, communem & foueant hinc inde ſalutem.

Quamobrem ſicut dudum Innocentius III. in cap. *Nouit. de Iudiciis* in 3. collectione Decretalium, egregiè pronunciauit, *exaltatione regni Francorum à Deo benedicti, fulciri ſublimationem Apoſtolicæ Sedis:* Sic Chriſtianiſſimi Reges ſemper exiſtimarunt, in Apoſtolicæ Sedis firmitate & exaltatione, regni quoque ſtabiliri ſecuritatem, ac gloriam ampliari: cuius ideò Sedis defenſionem hæreditario ſibi iure competere, vt Eccleſiæ primogenitis, profeſſione perpetuâ cenſuerunt. Siciliæ Reges quamuis Romanæ Eccleſiæ feudatarios, ægrè dudum tuliſſe iuramentum, quod regni illius Præſules præſtare ſummo Pontifici obſtringebantur, ex *cap.* 4. *lib.* 1. *Decret. qui de Electione* inſcriptus eſt, *titulo* 6. elicimus. Verùm Francorum Reges Chriſtianiſſimi, licèt haud clientelari iure Sedi prædictæ obnoxij, at de ea tot beneficiorum titulis benemeriti: ſponſionem obedientiæ & fidelitatis, quam regni ſui Antiſtites Papæ ſolenni ſub formulâ facere conſueuerunt, neutiquam habuerunt ingratam: quin ob vnitatis Eccleſiaſticæ tuendum ſacramentum, hanc præſtari, etiam priuſquàm ſibimet iuramentum fidelitatis perſolueretur, vltrò, lubentérque conceſſerunt.

Extat illius Iuramenti præſcripta formula, lib. 2. Decretalium, in regno ipſo de Regum aſſenſu, in vſum Eccleſiæ Gallicanæ receptarum, Tit. XXIV. qui eſt *de Iureiurando* c. 4. hoc ad verbum tenore.

Ego N. Epiſcopus, ab hac hora inantea, fidelis ero Sancto Petro, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, Domino meo

Papæ C. eiúſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus: Non ero in conſilio, neque in facto, vt vitam perdat, aut membrum, aut capiatur malâ captione. Conſilium quod mihi, aut per ſe, aut per litteras, aut per nuntium manifeſtabit, ad eius damnum nulli pandam: Papatum Romanæ Eccleſiæ, & regulas Sanctorum Patrum, adiutor ero ad defendendum & retinendum (ſaluo ordine meo) contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonicâ præpeditione. Legatum Apoſtolicæ Sedis, quem certum eſſe cognouero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adiuuabo. Apoſtolorum limina ſingulis annis aut per me, aut per certum nuntium viſitabo, niſi eorum abſoluar licentiâ: ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Paulò auctius, poſtquam recentiores hæreſes exortæ ſunt, hoc Iuſiurandum, Apoſtolica Sedes Epiſcopis propoſuit. Sic igitur habere cœpit illius formula tempore Iulij III. *Ego N. electus N. ab hac hora inanteà, fidelis ero B. Petro, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Domino noſtro, Domino Iulio Papæ III. eiúſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in conſilio, vel conſenſu aut facto, vt vitam aut membrum perdant, ſeu capiantur malâ captione, aut in eos manus violenter quomodolibet iniiciantur, vel iniuria aliqua eis inferatur, quouis quæſito colore. Conſilium verò quod mihi credituri ſunt per ſe, aut nuntios vel litteras, ad eorum damnum, me ſciente nemini pandam. Ad defendendum & retinendum Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri, contra omnem hominem adiutor eis ero: Legatum Apoſtolicæ Sedis honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adiuuabo. Iura, honores, priuilegia & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, & D. N. Papæ, ac ſucceſſorum ſuorum, conſeruare, defendere, augere & promouere curabo, nec ero in conſilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipſum Dominum noſtrum, vel eandem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præiudicialia, perſonarum, iuris, honoris, ſtatus & poteſtatis eorum machinentur. Et ſi talia à quibuſcumque tractari, vel procurari nouero, impediam hoc pro poſſe*

meo, & quantociùs potero commodè ſignificabo eidem D. N. Papæ, vel alteri per quem ad ipſius notitiam peruenire poßit. Regulas ſanctorum Patrum, decreta, ordinationes, ſententias, diſpoſitiones, reſeruationes, prouiſiones, & mandata Apoſtolica totis viribus obſeruabo, & faciam ab aliis obſeruari. Hæreticos, Schiſmaticos, & rebelles Domino noſtro, & ſucceſſoribus prædictis, pro poſſe perſequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonicâ præpeditione. Apoſtolorum limina, Romanam Curiam, citra, ſingulis annis, vltra verò montes ſingulis bienniis viſitabo aut per me, aut meum nuntium, niſi Apoſtolicâ abſoluar licentiâ. Poſſeſſiones verò ad menſam meam pertinentes non vendam, nec impignorabo, nec de nouo infeudabo, vel alio aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

In Pontificali Romano iuſſu Clementis VIII. recognito, ſub titulo *de Conſecratione Electi in Epiſcopum* eadem præſcribitur formula, paucis additis vel mutatis. Addita ſunt ſiquidem hæc verba. *Domino noſtro ac ſucceſſoribus præfatis rationem reddam de toto paſtorali meo officio, ac de rebus omnibus ad meæ Eccleſiæ ſtatum, ad Cleri & populi diſciplinam, animarum denique quæ meæ fidei traditæ ſunt, ſalutem, quouis modo pertinentibus*, &c. *Item, præfata omnia adimplebo per certum nuntium, ad hoc ſpeciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutum*, &c. *aut his deficientibus per diœceſanum Sacerdotem*, &c.

Porrò mutata eſt clauſula, qua ſingulis annis Epiſcopus ſe iturum, vel aliquem miſſurum promittebat ad Apoſtolorum limina, hæcque verba in illorum locum poſita, *ſingulis trienniis perſonaliter per me ipſum viſitabo* *. Cætera omnia ferè ſunt conſona prioribus formulis, in quibus videre eſt ſubſtantialia omnia, eadem reipsà eſſe: quæque diuerſa ſunt ab iis, in poſteriori tenore, ſpectare duntaxat ad quaſdam circumſtantias, quas temporum potiùs mutauit conditio, quàm voluntas ſummi Pontificis, vel mutandi, aut alterandi affectata quædam

* Vide Conſtitutionem Sixti V. tom. 2. Bullarij, datam Romæ apud S. Petrum Pontificatus anno 1. qui fuit Domini 1585. Kal. Ianuarij, qua viſitare Apoſtolorum limina, ſingulis Epiſcopis præcepit, videlicet ex Italia & Italicis inſulis ac regionibus adiacentibus poſt tertium annum à cuiuſque ordinatione: Ex Germania, Gallia, Hiſpania, Hungaria, Anglia, & cæteris prouinciis quæ in Europa ſunt citra mare Germanicum & Balticum, ac omnibus inſulis maris Mediterranei, poſt quartum: ex remotioribus Europæ regionibus, & Africæ littoribus atque inſulis maris Oceani, Septentrionalis & Occidentalis Europæ & Africæ, citra continentem noui orbis, quintum: ex Aſia & cunctis nouis terris ac mundi partibus, decimum.

quædam intentio: nam plena ex ſerie liquet interſectiunculis eiuſmodi, antiquæ formulæ nihil omninò derogari, ſed duntaxat explicari quædam. Cæterùm nulla additiunculâ grauari Præſules: ſed quibuſdam tantùm periculoſis caſibus præcaueri, non tam in commodum Apoſtolicæ Sedis, quàm communem totius Eccleſiæ vtilitatem, cuius ſecuritas ac incolumitas in membrorum cum capite inuiolabili connexione ac vnitate conſtat. *Tunc enim* (vt habet Valentiniani ad Albinum Præfectum Prætorio, data, pro prærogatiua Apoſtolicæ Sedis, Imperialis reſcriptio) *Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.* *Nouella Valentin. lib. 2. tit. 2. de Manicheis.*

Cùm igitur Iuramentum quod Pontifici præſtant Epiſcopi, membra cum ſuo capite, firmiſſimo vnitatis vinculo connectat, quo diſſoluto myſticæ compaginis corporis Eccleſiæ laxatur, imò ſucciditur neruus: aſtutè pacis Chriſtianæ inimicus nexum eiuſmodi diſſoluere, ſubdolo nuperæ hæreſis machinamento contendit. Indicto enim à ſummo Pontifice Concilio Oecumenico Tridentino, cuius ſalubribus conſiliis venerandáq; auctoritate, tot malorum profluuiis quæ rempublicam Chriſtianam funeſtè iam concutiebant, mederetur: egit per Proteſtantium interpoſitam operam ipſe diuiſionis Auctor, quibus potuit artibus, vt ſacroſancta illa conteſſeratio Epiſcoporum cum Religionis apice, Pontifice Romano, peſſundaretur. Summoperè enim ſeſe deſiderare illi Eccleſiaſticæ vnitatis turbatores legitimum Eccleſiæ conſeſſum, verbotenus profitebantur. Verùm exceptum ibant haud æquum eſſe, vt iudicis locum teneret Pontifex, qui aduerſariæ partis caput erat. Epiſcopos reuerà in priſcis Conciliis iudicum vicem ſubiiſſe: ſed qua impræſentiarum fungi non poterant, niſi mancipiorum nexu, quo tenebat eos ſibi deuinctos Pontifex, primitùs ſoluerentur. Quamobrem ſe exigere ante omnia, vt iuramentum fidelitatis quod ab his Papa extorſerat, ab eo relaxaretur, quatenùs ab eius obſequio eximerentur Antiſtites. Tum enim Concilium fore liberum, aliàs nullum, quia coactum, ignominioſæ eiuſmodi iugo ſeruitutis. Solerter quidem, ſed perfidè, quandoquidem

non abs re persuasum habebant hi segreges *sublato Pastore, fore oues dispersas:* nexúque subordinationis Ecclesiasticæ dissoluto, totam subuertendam subinde fore militantis Ecclesiæ hierarchiam.

Quia verò animaduertebant illi Dominicæ tunicæ diuisores, non facilè sacros proceres assensuros, tam nouæ quàm perniciosæ discisioni, specie pietatis, simplicioribus quibusdam, vafros illi homines illuserunt. Enimuerò iniecerunt his conscientiæ scrupulos, suggerendo, in eiusmodi iuramenti formulâ nonnullas particulas contineri, quæ diuino honori, fideique Christianæ, & timoratæ animæ ingenuis sensibus, penitùs aduersarentur. His suadelis inductus Guillelmus electus Episcopus Monasteriensis, Georgio Cassandro apud Nouatores non obscuri nominis argutori, túmque ob quandam quam præ se ferebat modestiam atque prudentiam, pro oraculo apud plerosque habito litteras dedit 16. Nouemb. anno 1556. quibus rogauit hominem*, vt quæ illicita essent in hoc iuramento, adductis rationibus annotaret; & potissimùm, si illud ipsum (dum protestatio siue cautela illa præcederet, de non probando, nec promittendo quod verbo Dei aduersaretur) salua conscientiâ præstari posset, ne nimirum quicquam homine Christiano indignum, in hoc casu à se committeretur. His inspectis litteris, Cassander inquirenti respondit more suo, cuius genius erat res omnes, etiam difficillimas, ad nescio quam conciliationis rationem accommodare: nonnullis igitur primùm contra iuramenti formulam obiectis, & quæ scrupulis potiùs ingerendis, quàm discutiendis apta essent; ipse tamen veritatis euidentiâ conuictus demum censuit, iuramentum illud, eâdem formâ quâ conceptum erat in sano sensu, præstari posse. *Principio igitur*, inquit, *quòd Pontifex Romanus Episcopos præsertim Occidentis ad iuramenti necessitatem adstringat, aliquem Iuris & æquitatis prætextum habere videtur: cùm iam olim Occidentis inspectio sit ei demandata, & prærogatiua quædam inter Episcopos concessâ, & summa consensione obseruata.* Túmque subiungit posse iure suo Pontificem obstringere Episcopos iuramento, *vt ea præstent ad quæ*

* *Vide epistolas 20. 21. 22. & 23. Centuria 1. epistolarum scriptarum vel à Belgis, vel ad Belgas.*

ex Dei mandato & Maiorum institutione tenentur: hoc est, vt fidei integritatem conseruent, & eam obedientiam Episcopo Romano, quæ iam olim ei exhiberi consueuit, exhibeant. Talem formam, inquit, *continet iuramentum à Bonifacio, post Episcopo Moguntino, Gregorio Papæ II. præstitum. Et in Concilio Toletano, huiusmodi quoque forma vnicuique ad Ecclesiasticum gradum accessuro, ante consecrationem præscribitur: nempe vt fidem Catholicam syncerâ cordis deuotione custodiens, iustè & piè viuere debeat, & vt nullis operibus suis contradicat, atque vt debitum per omnia honorem, atque obsequij sui reuerentiam præeminenti sibi vnusquisque dependat.* Deinde expensis accuratiùs iuramenti ipsius de quo agebatur particulis, ad rei cardinem veniens. *Vnicum est,* inquit, *in hoc iuramento, quod prima fronte non modò durum, sed etiam iniustum apparet,* (hominibus nempe sui similibus, nouitatis nimirum in fide fuligine tinctis) *quod de Papatu Romanæ Ecclesiæ defendendo & retinendo inseritur*, &c. *At si Papatus nomine, intelligatur primatus ille & prærogatiua, quam ei iam olim tum Græci, tum Latini detulerunt,* (addere debuerat, & Christus in B. Petro illi contulit) *&c. nihil prohiberi videtur.* Pergit, *quin & talis primatus, si, vti iam diximus, ad Ecclesiæ ædificationem, non destructionem faciat, agnoscatur.* Atqui infrà ipse agnoscit, *hoc Papatu, Romanum Pontificem iam olim ad Ecclesiæ vtilitatem feliciter vsum.* Vnde concludit adhibitis quibusdam cautelis, vt electus ille Monasteriensis, *officio quod debet Romano Pontifici, satisfaciat.* Cæterùm cùm ille adhuc reniteretur, accuratiúsque expendi rem à Cassandro iteratis litteris postularet, quibus disertè tamen Papæ prærogatiuam primatûs in Ecclesia vniuersa libenter, vt ait, concedit: nihil tamen à Cassandro aliud obtinere potuit, quàm quòd à iudicio quod præmiserat se recedere non posse, Cassander ipse apertiùs sit professus, datis ad eum litteris prolixioribus quidem, at in idem recidẽtibus, è Colonia Agrippinensi pridie Epiphaniæ*. * anno 1557.

Quæ quidem hîc commemorauimus, non vt dicta illa Cassandri probemus, quibus ex hæreticorum & schismaticorum dogmate, iuris diuini institutionem primatui

Papæ detractam velit, vel imminuere eius sacrosanctam potestatem conetur: sed duntaxat, vt hâc rei gestæ inter Nouatores narratione palam fiat, quantæ sint veritatis vires, quæ ab inimico homine extorserit, iilam nullâ delendam obliuione confessionem: nimirum quòd illud iuramentum, quod Pontifici Romano ex veteri more præstant Episcopi, iure nitatur; quódque legitimè exigi, & iustè ac piè præstari possit, etiam ab iis qui rigidiùs ac minùs benignè rem expendunt, iussisque Pontificis nonnisi ex accuratiori iure obsequuntur.

Ex quo insuper liquet (ipso Cassandro iudice) quàm iniuriosè, & petulanter, Petrus Molinæus deblateret contra ipsius iuramenti formulam, quam electi Episcopi de more, ante ordinationem summo Pontifici præstant: at ipse abrogandam toto nisu contendit. Tribus verò duntaxat nititur argumentis: 1°, quòd mos ille nouus sit, quo Papæ Episcopi deuinciantur iuramento. 2°, quòd hoc ipsum sit impium, eo quòd tantùm de Papæ magnitudine in eo mentio fiat: de Deo autem, nec verbum in eo sit insertum. 3°, quia ista formula Metropolitanis ius eripiat proprium, Papæque illud attribuat; nam in professione Episcopali pridem iuramentum præstitum fuisse Archiepiscopo, non Papæ: nunc verò hoc fieri Papæ, nullâ Archiepiscopi ratione habitâ, nec minimâ mentione factâ. At hæc argumenta nihil sunt aliud, quàm meræ nugæ, & euanidæ argutiæ.

Primùm siquidem longè à vero aberrat Molinæus, quòd putet morem istum, quo Papæ Episcopi iuramentum suo in ingressu præstant, nuperum esse. Non nescio ipsum Molinæum, in Ecclesiæ doctrina, vel politia, meræ nouitatis arguere (suo in lib. de Monarchia temporali Romani Pontificis) quicquid annos sexcentos, aut ad minus quingentos non excedit: quâ regulâ, rectè quidem (etsi non aduertat) contra sectam suam præscribit, vix ante annos 120. exortam. At fallitur, cùm morem de quo agimus, infra temporis spatium quod præfinit, deducit. Sibi siquidem minùs consideratè persuasit, ritum ipsum non esse antiquiorem collectione Decretalium Gregorij IX. quæ iussu eius à B. Raymundo de Penna-

forti compilata, annóque 1235. promulgata fuit: in quâ formula illa iuramenti, quam suprà descripsimus seriatim expressa est. Verùm hallucinatur Molinæus turpissimè; plurimæ enim constitutiones in hoc Codice colliguntur Pontificum vetustorum: modicáque pars est Decretorum ipsius Gregorij, qui huius collectionis auctor fuit; vnde & ipse in liminari sua præscriptione declarat, se decreta Romanorum Pontificum, prædecessorum suorum, quo quæque tempore condita erant, diuersisque Synodis & Epistolis dispersa, ad communem omnium vtilitatem in ordinem & compendium (quinque in libros digestum) redigi curâsse, additis quæ ipse Gregorius eatenùs promulgasset. Atqui formula hæc iuramenti, quam lib. 2. tit. 24. c. 4. recitat, non est ab eo profecta: nam maior pars veterum exemplarium huius collectionis, prænotat formulam ipsam depromptam ex Registro Gregorij III. qui sedere cœpit anno salutis 731. Et licèt duo reperti sint codices, qui desumptam ex schedis Gregorij ipsius IX. perferant, ab eo tamen editam minimè perhibent, qui annò duntaxat 1227. Pontifex creatus est; quamobrem eius esse partus, ipsa nequit. Enimuerò maior pars ipsius formulæ expressa reperitur verbatim, in formula iuramenti, quam ab Episcopis Germaniæ emittendam, vt Ecclesiæ reconciliarentur, qui schismati hæserant contra Alexandrum III. Concilium Lateranense, eâ in causâ habitũ, præcepit. Ita etenim erat præscripta anno 1179. *Ego N. anathematizo, & recuso omnem hæresim extollentem se aduersùs sanctam Romanam Ecclesiam, præcipuè verò schisma Octauiani, & Ioannis*, &c. *& promitto fidelitatem S.R.E. & Domino meo Alexandro & successoribus eius, iustè intrantibus, ipsique seruiam absq; omni malo ingenio contra omnem hominem, secundùm ordinem meum. Consilia eius, quæ mihi scripto certo mandauerit, vel ipse commiserit, nulli hominum pandam, neque etiam pro periculo corporis atque membrorum. Legatum Romanæ Ecclesiæ honorabo, & ducam & reducam, & iuuabo expensis: Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei Euangelia.* Adde quòd formula à Gregorio IX. recitata in vsu communi fuisse sub Celestino saltem II. aut III.

Vide Albert. Stad. in Chron. Krantzium Eccles. hist. Saxo. lib. 2. c. 3.

elicitur ex littera illa capitali C. quæ Pontificis sedentis nomen subindicat, hac serie: *fidelis ero S.R.E. Dominóque meo Papæ C. & successoribus eius.* Nec tamen iuramentum eiusmodi ab eo Celestino II. aut III. primùm exactum & receptum, liquet ex obseruatione Cassandri à nobis superiùs memoratâ. *Talem enim formam* (obedientiæ scilicet & fidelitatis) *continet iuramentum à Bonifacio pòst Episcopo Moguntino, Gregorio II. Papæ præstitum.* Hoc refert syllabatim Sirmondus Tom.1. Conc. antiqq. Galliæ sub annum 722. Sed tenore prolixiùs, stylo magnificentiùs, arctiúsque præscriptæ sponsionis obligatione. Igitur si regula quam nouitati præscribendæ Molinæus præstituit, rara ab ipso habeatur; nempe, *non excedere annos sexcentos, vel ad minùs quingentos mera est nouitas, quando de Ecclesiæ doctrina, vel politia agitur.* Antiquum esse, quem propugnamus, iuramenti ritum fateatur oportet, qui annos non modò attingat 500. aut 600. sed nongentos, feréque mille adæquet, vt ex epocha patet præsignata. Cæterùm nec cœpisse tum primùm argumento est, solemnis iampridem ritus professionis fidei, summo Pontifici ab Episcopis, etiam primoribus, exhibendæ in exordio sui Præsulatus: tum formatarum litterarum mos vetustissimus; *quarum* (Petri nomine, ad contesserationis cum Sede Apostolicâ indicium, sub fine insignatarum) *commercio* (ait Optatus lib. 2. contra Donatistas) *totus orbis, in vna communionis societate cum Episcopo Romano iamdudum concordabat.* Atque hæc de 1. Molinæi futili argumento.

Secundum prorsus est ridiculum, quo queritur, in iuramento, quod Episcopi Papæ præstant, *nullam fieri de Deo mentionem.* Nempe ignorat Molinæus, quòd Theologi summo consensu docent, iuramentum esse actum religionis, quandoquidem nihil aliud est iurare, quàm Deum vocare in testem, eiúsque auctoritate ad fidem dictis conciliandam, niti: fieri igitur nequit, vt quis iuret, & Dei non memoretur: cùm ipsum iuramentum Deum pro obiecto habeat, cuius solius obtestatione fulcitur. Solenni ritu, Episcopus ordinandus, cùm Papæ obedientiam profitetur, ambas manus super textum

Euangelij apponit, genuflexúsque dicit: *Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia*: túmque respondet consecrator Pontifex, *Deo gratias*: quoniam vt Dei obtestatione firmatur iusiurandum, ita ad Dei gloriam exhibetur. Igitur procul est à vero Molinæus, qui præstari hoc iuramentum Papæ supponit, Dei nullâ mentione factâ. Nec est quòd excipiat, in iuramenti tenore, de iure & honore seruando Papæ fieri duntaxat sponsionem, non de Dei lege, aut fide, piè ac illibatè obseruanda. Siquidem duplex emittit futurus Antistes iuramentum, prius continet fidei Catholicæ plenam professionem, hócque antequam confirmetur à Papa emittere tenetur: posterius post bullarum promotionis receptionem; in quo iam fide in tuto per priorem professionem posita, ordinandus spondet Romano Pontifici, tanquam summo Christi Vicario, & apici sacræ totius Hierarchiæ, pro bono Ecclesiasticæ vnitatis, & Canonicæ subiectionis debito, obedientiam & fidelitatem. Quapropter in hâc præsertim sponsione, honori & securitati Apostolicæ Sedis, ac Ecclesiasticæ tranquillitati cauetur: quemadmodum in priore, fidei integritati, & religionis decoro ac incremento, fuit præcipuè prospectum.

Tertiò, vix capio quomodò Molinæus de minuto Metropolitani honore expostulet, cùm ex nouis acephalis vix vllus sit, qui acriùs eo, omnem in Ecclesia hierarchiam impetat, omnémque superioritatem, inter sacrosanctæ Religionis Patres, ac animarum pastores, euersum ire conetur. Quid in eius, obsecro, libris *de vocatione Pastorum*, *de nouitate Papatûs*, *de prophetiarum euentu*, &c. crebriùs repetitur, pertinaciùs inculcatur, quàm laicum eundem esse quem clericum? Papam vix esse Episcopum, si verò sit, non aliis vllo iure maiorem? Episcopum Archiepiscopo non esse inferiorem, nec maiorem presbytero? presbyterum autem nec maiorem diacono? denique diacono, vel minimum ex vulgo, esse parem? Nihil igitur cùm magis contendat, quàm hierarchiam destruere, anarchiam verò introducere: ridiculum profectò est, quod hîc simulet sibi cordi esse Ecclesiasticum Ordinem, ideóque grauiter se ferre, quòd iuramentum Papa ad se

transtulerit, quod Episcopi Archiepiscopo suo, in qualibet prouincia, de iure antiquo præstare consueuerunt: *Hoc siquidem*, ait, *dudum soli Archiepiscopo sacramentum præstabat Episcopus: nunc soli Papæ, Archiepiscopi omni mentione prætermissa*. Sed errat pseudominister, ex supinâ inscitiâ vel merâ malitiâ: dudum siquidem, cùm à Metropolitano, Episcopi prouinciales electi confirmabantúr, sic obedientiam illi promittebant, vt priùs se subiectos fore Apostolicæ Sedis Pontifici expreßè profiterentur. Extat etiamnum antiquus consecrationis ordo, in quo sic Metropolitanus electum interrogabat: *Vis traditiones Orthodoxorum Patrum, ac Decretales Sedis Apostolicæ constitutiones reuerenter suscipere, docere atque seruare?* ℞. *Volo*. Sequitur, *Vis B. Petro, suæque Ecclesiæ, cui à Deo data est potestas ligandi, átque soluendi, eiúsque Vicario, successoribúsque eius fidem & subiectionem per omnia exhibere? Volo. Vis Sanctæ Ecclesiæ Metropolitanæ, mihique* (eius Antistiti) *successoribúsque meis fidem & subiectionem exhibere? Volo*. Ipse verò Archiepiscopus à suffraganeis consecrari non poterat, quin priùs similem subiectionem ac obedientiam se summo Pontifici exhibiturum religiosè iurasset; quemadmodum hodiéque iurat dum recipit pallium, insigne scilicet Archiepiscopalis dignitatis: quam etiamsi iam in Gallia propter Concordata inita cum Apostolica Sede super Episcoporum designationibus, minutam vtcumque, quantùm ad specialem hanc sponsionem fateamur: plenam in cæteris Archiepiscopus certè retinet, quæ sui sunt iuris ac honoris, Pontifice non impediente, ac maximè volente. Fixa enim Ecclesiæ Romanæ est regula: quod Papa nihil in præiudicium Metropolitanorum quando etiam aliquid superiori iure fieri iubet, facere intendit. Vnde cùm Alexander III. dudum mandaret Petro presbytero Cardinali, vt quemdam electum Ecclesiæ Aquilegiensis (quæ tum schismatica erat) curaret à Catholicis Episcopis ordinari, iuri tamen ac honori ipsius Ecclesiæ voluerit conseruando præcaueri. Quamobrem ad mandati finem, expreßim hanc clausulam subiunxit. *Salua debita iustitia, &*

reuerentia eiusdem Ecclesiæ, cùm ad Catholicam redierit vnitatem. De Elect. cap. *quia diligentia tua,* &c. lib. 1. Decret. Tit. 6.

Cæterùm dudum in Sicilia, quum quidam in Ecclesiasticis rebus parum exercitati, de formulâ Iuramenti quod Archiepiscopus suscipiendo pallium, Papæ præbere tenetur, nonnihil murmurarent: Paschalis II. qui tum sedebat, legitimum, pium ac necessarium hoc esse, datis ad Archiepiscopum Panormitanum litteris, apertissimè demonstrauit: *Significasti* (inquit lib. 1. Decret. Tit. 6. c. 4.) *Reges & regni Maiores, admiratione permotos, quòd pallium tibi ab apocrysiariis nostris tali conditione oblatum fuerit: si sacramentum quod à nobis scriptum detulerant exhiberes.* Et infrà, *Mirentur in hac causa D. N. Iesum Christum, qui, cùm ouium suarum curam Petro committeret, conditionem posuit, dicens; si diligis me, pasce oues meas. Si conscientiarum factor & cognitor secretorum, conditione hac vsus est, nec semel tantùm, sed & secundò, & vsque ad contristationem: quâ nos sollicitudine oportet tantam Ecclesiæ prælationem imponere fratribus, quorum conscientias non videmus? Aiunt omne iusiurandum in Euangelio à Domino esse prohibitum, nec ab Apostolis post Dominum, nec Conciliis, inueniri posse statutum. Quid est ergo quo Dominus subsequenter ait: Quod amplius est, à malo est? Hoc enim amplius vt exigamus malum, nos illo permittente compellit. Nonne malum est ab Ecclesiæ vnitate, & à Sedis Apostolicæ obedientia resilire, & contra Canonum statuta prorumpere, quod multi etiam post sacramentum præstitum præsumpserunt? Hoc nimirum malo & necessitate compellimur, iuramentum pro fide, pro obedientia, pro vnitate requirere.* Et infrà: *Aiunt in Conciliis statutum non inueniri: quasi Romanæ Ecclesiæ legem, Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Cùm igitur à Sede Apostolica vestræ insignia dignitatis exigitis, quæ à B. Petri tantùm corpore assumuntur; iu-*

ctum est, vt vos quoque Sedi Apostolicæ subiectionis debitæ signa soluatis, quæ vos cum B. Petro, tanquam membra de membro habere, & Catholici capitis vnitatem seruare declarent. Atque hæc obiter, de solenni illo iuramento, ad hoc prouidè, piéque instituto, vt sit *nexus Ecclesiasticæ vnitatis, & tessera Catholicæ communionis.*

FINIS.

PANOPLIAE EPISCOPALIS

LIBER TERTIVS.

De Anulo Episcopali.

PRÆFATIVNCVLA.

DVDVM *sanctus Hieronymus, cuidam Grunnio*, acriter, nec immeritò, succensebat, quòd librum quendam, sub anuli programmate euulgasset, quem etsi opus esse Sixti Pythagorei, hominis gentilissimi genuinum non nesciret, nihilominus sancto Sixto Papæ & Martyri adscripserat; quamuis tanto auctore indignissimum proderet ipse libri contextus, in quo nulla Christi, nulla Spiritus sancti, nulla Dei patris, nulla Patriarcharum, nulla Prophetarum, & Apostolorum mentio prorsus extaret.*

*Hic Ruffinus erat S.Hieron. æmulus. *Lib. Com. in Hier. c. 22. sub fin. tom. 4.*

Nihil mihi affine cum illo imprudenti propola, tametsi ab anuli titulo libellum quem inpræsentiarum ordiri aggredior, prænotatum exhibeam. Nam ementitio nomine non profero; nec intento lædendæ fidei (quod absit) sicut anularis ille liber, virus spargebat erroris: quem B. ipse Hieronymus insinuat totum eò spectasse, vt suaderet ἀπάθειαν, *& impeccantiam, vnde auidè lectitabatur ab iis qui damnato ab Ecclesia exitioso hoc dogmate oblectaban-*

tur. Deinde Ethnicis figmentis hic liber ſicut ille non conſtat, at Eccleſiaſticis documentis, ex ſacra antiquitate ſelectis: quibus ſi qua ex gentilium libris pauca admiſcentur, elucidationis duntaxat gratiâ Chriſtiani ritus arceſſuntur, nec vt præſint operi, at ſeruiant, quemadmodum Ægyptiorum vaſa & monilia Dei ſanctuario, ad adminiculandum ſtructuram eius decorûmque olim aptata ſunt. Nec enim (vt præclarè ſanctus Auguſtinus l. 2. de doctrina Chriſtiana, paulò ante finem, admonet) ſi Philoſophi aliique gentilium ſcriptores, quæ fortè vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, à nobis formidanda ita ſunt, vt prorſus abiiciantur: ſed ab iis tanquam iniuſtis poſſeſſoribus, in vſum noſtrum ſunt prudenter ac appoſitè vindicanda*. *Denique de Dei nomine liber hic non tacebit, ad cuius gloriam & Eccleſiæ decus totus conſcriptus eſt: ſanctorúmque vtriuſque teſtamenti etiam memoriam honorabit, dum exempla dictáque eorum proferet, quæ texendo commentario de anulo Epiſcopali, magis accommoda videbuntur.*

* *Diſt.* 38. *can.* legimus.

CA-

CAPVT I.

Christus anulus mysticus.

VT igitur à Christi nomine incipiam, de quo in Grunnij anulari opere mirum silentium erat: occurrit imprimis præclarum Origenis documentum *, qui referente sancto Hieronymo ** Christum anulum Dei Patris ingeniosè appellabat: qui de manu Dei Patris, instar anuli auulsus & missus in terram captiuitatis (nempe in forma serui) in vallem lachrymarum descendit, crucíque affixus, fecit recapitulationem, circulúmque confecit, opere salutis consummato, quo sanguinis fusi pretio reconciliauit (vt ait Apostolus) *quæ in terris & quæ in cœlis sunt*. Quocirca *filius dilectionis*, ab ipso Apostolo appellatur, quòd scilicet *interfectis inimicitiis*, æternæ charitatis fœdere Angelos & homines inuicem, Deo autem vtrosque copularit. *Ipse enim est pax nostra* (ait idem vas electionis Paulus) *qui fecit vtraque vnum; & medium parietem maceriæ soluens in carne sua, legem mandatorum, decretis* (suo scilicet sanguine obsignatis) *euacuans, duos condidit in semetipso* (sicut anulus, lineæ duas extremitates, circulari flexu connectit, gemmæque aut vnioni copulat terminum; cui inserit vtrunque) *in vnum hominem* (id est quasi in vnum corpus, perfectámque eius compaginem) *faciens pacem vt reconciliet ambos, in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Qui veniens euangelizauit pacem vobis* (Ethnicis scilicet) *qui longè fuistis, & iis qui propè sunt,* (Israëlitis nimirum) *quoniam per ipsum habemus accessum, ambo in vno spiritu ad Patrem*, Ephes. 2. Anulum Dei Patris signatorium, imò viuum signaculum quo obsignat electos sibíque conformat, eleganter idem esse docet Apostolus. *Per quem* (ait) *fecit & sæcula, qui est splendor eius gloriæ & figura substantiæ eius, portans omnia verbo virtutis suæ.* Quo loco vbi Vulgata legit, figura, Græcè est χαρακτὴρ,

* *Lib. 5. strom.*

** Ad verba illa: *si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda, anulus in manu mea,* &c. Tametsi verò S. Hieronymus applicationem huius loci ad Christum, qua vsus est Origenes, ob sequẽtia apud Hieremiam aliqua verba, quæ minus Christo quadrãt non recipiat: absolutè tamen nó negat Christum anulo assimilari eo sensu posse, quo huic conuenire, partim ex dictis Origenis, partim ex verbis Apostoli insinuauimus.

Heb. 1. 3.

id est expressa & insculpta imago: & vbi habet ipsa Latina editio, *substantiæ*, Græcè extat ὑποστάσεως, subsistentiæ: ideóque, sicut notat sanctus Basilius epist. 43. ad Gregor. Nyssenum, hypostasis filij similis est hypostasi Patris, eam graphicè repræsentans, qua cum eamdem οὐσίαν, essentiam & substantiam habet. Alibi Apostolus ipsum Christum nominat *imaginem Dei inuisibilis*, Col. 1. *cuius ipse nos Pater æternus vult conformes fieri*, Rom. 8. Vnde (ait appositè sanctus Ambrosius) *Imago Dei* (primitiua nempe & coëssentialis, verbum vtique in carne manifestatum) *ad eum qui est imago* (à se deriuata tanquam ab archetypo) *venit: & quærit imago eum qui est ad imaginem sui, vt iterum signet, iterum conformet, quia amisisti quod accepisti.*

De hoc signatorio anulo, quo diuina similitudo in homine, post lapsum, per gratiam redintegratur: (hoc est de seipso) sponsus loquitur in Canticis, vbi dilectam suam sic affatur & orat. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum:* nempe quo perfecta mea effigies, tuis præcordiis altè impressa, medullitus inhæreat, tuósque intimos mihi vendicet affectus, sed & actus meis ita exemplis assimilet, vt opera tua omnia meum ad nutum, atque ad amussim meæ voluntatis coaptentur. Obsignet te, mihíque totam deuinciat, quasi rem iuribus ac titulis Regiæ Maiestatis, anuli regij consignatione adictam. Ita se à diuino sponso præoccupatam ac obsignatam, inuictissima Christi ipsius athleta Agnes asserebat, dum ideò sibi apud S. Ambrosium*, his præconiis gratulabatur. *Anulo suo subharrauit me Dominus meus Iesus Christus, & tamquam sponsam decorauit me corona. Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.*

Cant. 8.

* *Serm. 90.*

Proprium Episcoporum munus est, virgines Christo consecrare ac desponsare, ex iure sacrorum canonum & vigenti Ecclesiæ obseruantia. Vnde in Pontificali Romano, integer extat descriptus ritus huius officij, ab Episcopo exequendi: in quo hæc cæteras inter ceremonias, isto loco, non extra rem vt opinor, an-

notanda venit. Imposito initiandæ virgini sacro velamine, *Pontifex accipiens anulum cum dextera sua, & dextram manum virginis cum sinistra manu sua, & mittens anulum ipsum anulari digito dexteræ manus virginis, desponsat illas Iesu Christo, dicens singulis. Desponsô te Iesu Christo filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. Accipe ergo anulum fidei, signaculum Spiritus sancti, vt sponsa Dei voceris, & si ei fideliter seruieris in perpetuum coroneris. In nomine Pa†tris, & Fi†lij, & Spiritus † sancti. Amen.* Ex quibus verbis elici posse videtur, anulum istum dari sacratis virginibus ab Episcopo, in pignus & tesseram Spiritus sancti, cuius idcircò signaculum non incongruè appellatur.

At in vetustis anulis Pontificalibus, cùm aut crux insertæ auro gemmæ, conspicitur impressa, vel Christi nomen inscriptum: facile est hinc intelligere, Christum ipsum Dominum, qui sponsus est Ecclesiæ, & Pontifex Pontificum supremus, per eiusmodi anulum mysticè designari. Vnde etiam quanta sit cum reuerentia gerendum ab Episcopo tam diuinum signaculum, peruium est agnoscere. *Si enim* (vt verbis vti liceat S. Augustini*) *paterna vestis & anulus, ac si quid eiusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentem maior extitit affectus:* nullus certè ornatus charior, aut pignus magis pretiosum, Episcopo esse debet, hoc munere; quo tot priuilegiis gratiæ & amoris à Christo animarum Episcopo ac pastorum Principe insignitus, atque in viuum omnipotentiæ ac misericordiæ organum assumptus, longè meliori profectò iure, quàm seruus domino, quàm filius patri, ipsi Christo deuincitur. Hoc siquidem sacrosancto indicio signum concessæ eius virtutis portat, & nomen præfert creaturis omnibus adorandum. Hócque ipso, quicquid spectat ad ministerium sanctificationis sibi creditum, vice ipsius Domini, in animarum salutem videtur ex officio operari.

* *L. 1. de Ciuit. Dei c. 13. tom. 5.*

CAPVT II.

De antiquitate anuli Pontificalis.

ANVLI originem quidam ad Prometheum referunt, quem Saturni lege, perpetuis vinculis ab Ioue damnatum comminiscuntur, quòd Parcarum sortem de Thetidis filio, qui patre maior & clarior futurus esset, patefecisset; atque ita Iouem ab eius deterruisset amplexu, ne se præstantior filius nasceretur. Sed ea conditione Prometheum liberatum ferunt, vt inde anulum lapide & ferro compactum gestaret, ne omnino exsolutus pœna posset videri. At hoc meritò fabulosum censetur à Plinio, qui lib. 33. cap. 1. nescire se palam agnoscit, à quo auctore prodierit anuli inuentum: *nam de Prometheo* (inquit) *omnia fabulosa arbitror; quanquam illi quoque, ferreum anulum dederit antiquitas.* Et reuerà fabulæ sunt, quæ de inuentione anuli profecta à Ioue, Prometheum anulo, quasi vinculo alligante, gentilium scriptores prodiderunt.

At extra omne dubium est, anulorum vsum tantæ antiquitatis esse, vt ferè à mundi exordio legere sit in sacris Scripturis celebratum. Genes. 38. siquidem memoratur Iudas Patriarcha, anulum & armillam gestasse. Item & Rex Ægypti, qui cap. 41. vers. 42. *tulit anulum de manu sua & dedit in manu Ioseph*, quem vice sua constituebat regni sui rectorem. Subinde verò per continuum ferè sacrarum literarum veteris testamenti cursum, videre est anulum fuisse vsui non modò fœminis, inter quarum ornamenta passim memoratur, v. g. Num. 31. Iudith. 10. Esther 3. Isa. 3. sed & Regibus ac Magnatibus, 3. Reg. 21. Esther 3. Ierem. 22. Daniel. 6. Machab. 6. in Euangelio quoque, prodigo filio pœnitenti, redditus iussione benigni patris perhibetur, Luc 15. *Dixit pater ad seruos suos: citò proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manum eius*, &c. Sed & inter Christianos fuisse Aposto-

lorum æuo qui gererent anulos aureos in manu sua, luculento est monimento, insignis hic locus epist. S. Iacobi cap. 2. *Si introierit in conuentum vestrum vir anulum aureum habens, in veste candida*, &c.

Verùm hæc promiscua indicia sunt antiqui vsus huius ornatus, quem communem fuisse iam olim cuilibet hominum conditioni satis sit inde perspicuum. Hîc at verò non de anulo communi & profano, sed sacro & Pontificali indaginem aggredimur. Proprium hunc esse Episcopatus insigne, cum baculo & orario, Concilium IV. Toletanum ante mille annos coactum * c. 27. manifestè insinuat, his nimirum verbis. *Si Episcopus est, orarium, anulum & baculum coram altari de manibus Episcoporum recipiat.* Certè non nouo ritu. Nam supponit Synodus receptum in Ecclesia morem: edicitque ideò vt si iniustè fuerit Episcopus depositus, hæc insignia Pontificalis honoris, quæ in consecratione acceperat, iniuriáque illi fuerant ablata (cùm perperam fuerat depositus) ab Episcopis solenniter in Ecclesia ante altare eidem restituantur. In Sacramentario S. Gregorij, quod typis edidit scholiisque illustrauit Angelus Rocca, sacrarij Apostolici Præfectus, ex MS. codice Romanæ Ecclesiæ, præscribitur ritus tradendi anuli Episcopo ordinando; quem affatur tum ordinator Præantistes, hac pia ac præclara apostrophe. *Memor sponsionis & desponsationis Ecclesiasticæ, & dilectionis Domini Dei tui, in die qua assecutus es hunc honorem, caue ne obliuiscaris illius. Accipe ergo anulum discretionis & honoris, fidei signum, vt quæ signanda sunt signes, & quæ aperienda sunt prodas, quæ liganda sunt liges, quæ soluenda sunt soluas: vtque credentibus per fidem baptismatis, lapsis autem sed pœnitentibus per mysterium * reconciliationis, ianuas regni cœlestis aperias: cunctis verò de thesauro Dominico, noua & vetera proferas, vt ad æternam salutem omnibus consulas, gratia Domini nostri* IESV CHRISTI; *cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Mox sequitur formula tradendi inaugurando Præsuli baculi pastoralis. Ritus autem vtriusque disertim

* Anno scilicet 633.

* ministerium.

meminit ſanctus Iſidorus lib. 1. de Eccleſiaſt. offic. c. 5. circa medium. *Huic autem dum conſecratur* (inquit) *datur baculus, vt eius indicio ſubditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum ſuſtineat; datur & anulus propter ſignum Pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum.* Quæ eadem verba ſeriatim repetit Rabanus lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 4. ſub finem. Eiuſdem ritus mentio apud Rupertum extat lib. 1. de diuinis Officiis cap. 25. & apud Honorium Auguſtodunenſem, in Gemma animæ, ſeu lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu cap. 215. & Innocentium III. lib. 1. de Miſſæ myſteriis cap. 46. Quin & apud S. Bernardum Sermone *in Cœna Domini*, & Petrum Bleſenſem ep. 90. alióſque recentiores paſſim.

In vita ſancti Birini primi Epiſcopi Dorceſtrienſis, qui teſte Trithemio lib. 3. de viris Illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti cap. 140. clarebat anno Domini 640. proditum memoriæ videre eſt, illum geſſiſſe anulum & crucem pectoralem. Nam cùm mos antiquus fuerit Epiſcopos cùm inſignibus ſuæ dignitatis ſepeliri, in detectione eius corporis, inuentus eſt quoque anulus, itémque crux plumbea.

Sed anuli Epiſcopalis vetuſtior in Eccleſia vſus comprobatur, non modò ex Concilio Toletano, cuius ſuprà canonem retulimus: at inſuper ex I. Concilio Aurelianenſi anno 511. celebrato. Siquidem in benefica epiſtola Clodouæi Protochriſtiani Francorum Regis, præfixà limini prædictæ Synodi I. Aurelianenſis: quâ pôſt Gothicum bellum reſcribit prô Clericis & laicis captiuis, relaxandis ex Epiſcoporum arbitrio ac teſtimonio; ſic ipſos ſacros Præſules piiſſimus Rex alloquitur ac compellat. *Nam de iis qui in pace noſtra, tam Clerici, quàm laici ſubrepti fuerint, ſi veraciter agnoſcitis, veſtras epiſtolas de anulo veſtro intra ſignatas, ſic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte noſtra præceptionem noſtram, noueritis eſſe formandam.* Eiuſmodi anulo ſolitum fuiſſe S. Auguſtinum ſuas epiſtolas, maximè tractatorias obſignare, conſtat ex eius Epiſtola 217. ad Victorinum Epiſcopum, ſub ipſum finem.

Vix effluxit decennium, cùm in antiquissimo Monasterio Iotrensi, sanctimonialium Ordinis sancti Benedicti in diœcesi Meldensi, in crypta cui vetustissima superstructa est ædicula sancti Pauli Eremitæ, corpus sancti Agilberti Episcopi Parisiensis, qui circa annum 670. sedebat, repertum est, Pontificalibus adhuc ornamentis insignitum. inter quæ anulus eius Pontificalis erat, aureus, pretioso at non diaphano sed opaco lapide (quem Achaten vocitant) instructus, cui S. Hieronymi, pectus silice percutientis, ante imaginem Christi penduli in cruce, imago paret insculpta. Encausto anulus in superiori parte circuli decoratur, eminétque è medio eius vasculum falcatis quasi vnguiculis euectum, quibus ipsa gemma stringitur. Adeóque exquisito artificio fabrefactum opus est, vt vix elegantiori forma confectum aliud proferri possit. Contrectaui illum ipsum anulum manibus meis, nam hîc aderam paulò pòst ac contigerat illa inuentio; euocatus ab illustrissima Principe Reuerendissima D. Ioanna à Lotharingia, inclyti huius Monasterij Abbatissa : cuius rogatu, etiam proprium officium eiusdem sancti Agilberti contexui, ac typis paulò pòst edidi, à primoris notæ Doctoribus facultatis Theologicæ Parisiensis, priusquàm in lucem prodiret, examinatum ac probatum. Porrò non minima me tunc subiit admiratio pensitantem, non modò quàm rara arte Episcopalis ille anulus excelleret, quámque viuo niteret fulgore: sed insuper ambitus eius quanta esset amplitudo, qua certè ambo mei spissiores digiti, vtriusque scilicet manus pollices, facilè includebantur. Vt non difficile sit, hoc indicio, Leonem vt aiunt ab vngue metiri : hinc enim cuique licet collectum ire, quàm procera & ampla statura sanctus ipse Agilbertus extiterit: vt forma ipsa digna fuerit imperio, magnóque corpori maior virtus ac gratia insederit.

Sed & Parisiis in Regali Monasterio sancti Victoris, Ordinis Canonicorum regularium sancti Augustini, etiamnum condigno cultu asseruatur & visitur anulus Episcopalis sancti Leodegari Episcopi Augustodunensis & Martyris, anno circiter 685. ab impio Ebroino

domus Regiæ Francorum Maiore, diris cruciatibus interempti. De quo venerabili huius inclyti Antistitis ac Martyris pignore, hæc à me consignata memini in Martyrologio Gallicano sexto Nonas Octobris, quo eius natalis anniuersariis sacris celebris est. *Lutetiæ Parisiorum in suburbicario Monasterio sancti Victoris obseruatur eiusdem anulus, cuius in aquam immersione miracula ferè perennia eduntur: nam oculorum infirmitate laborantes, consecrata aqua ipsius perfusione recuperant passim sanitatem.* Sed & Electranno Episcopo Redonensi, cùm ordinaretur, fuisse cum Pontificali infula & pastorali baculo, anulum ex Ecclesiæ recepto ritu Episcopalem traditum, eius inauguratores Herardus Turonicæ prouinciæ Præantistes, ac Coëpiscopi eius, Ætardus Nannetensis & Rodbertus Cœnomanensis, in eius consecrationis indiculo, quem editum anno 866. denotant, disertè testantur. *Pontificali* (inquiunt) *infula adornantes, sacra quoque benedictione (more Ecclesiæ) ditantes, anulo quoque dotantes & baculo decorantes, sanctæ Redonensi Ecclesiæ, Pontificali eum ordine præfecimus.*

Eboni Archiepiscopo Durocorti Remorum, cùm sacrum ad fastigium promotus est, Iudith Augusta, Ludouici Pij coniux, anulum gerendum pro dignitate dederat, qui ei in magno discrimine versanti, ob collatum in præfati Imperatoris depositionem consensum; magno solatio fuit. quemadmodum memorabili relatione denarrat Carolus II. Rex ac Imperator cognomento Caluus, prænominatorum Ludouici ac Iudith filius, in epistola quam è Trecassino Concilio ann. 867. habito de causa eiusdem Ebonis, direxit ad Nicolaum Papam*. Sic enim ibi eloquitur. *Ebo autem omni temporali priuatus subsidio, omníque humano destitutus solatio, tempori consulens, accersito quodam recluso nomine Framegaudo, misit per eum genitrici nostræ Iudith, gloriosæ Imperatrici, anulum quem ab ea quondam acceperat, quem etiam quotiescunque aliquo tangebatur incommodo, mittere solebat, & vt sui misereretur flebiliter perorauit. Eundem verò anulum, genitrix nostra, in ipso*

* *Ext. tom. 3. Concil. Gall. p. 359. & sequentibus.*

ipſo natiuitatis noſtræ articulo, quia Archiepiſcopus erat, pro ſua religione & ſanctitate, vt noſtri iugiter in ſuis orationibus memor eſſet, ei miſerat. Tunc ipſa horum reminiſcens, eiúſque lachrymoſa ſuſpiria agnoſcens, pio ſuaſu apud Epiſcopos, qui illuc conuenerant obtinere curauit, quatenus & Imperatoris animum ſatisfaciendo lenirent, & leges diuinas tranſgrediendo non violarent: ne forte vindictam ſeueritatis exercentes, in eum qui in eos deliquerat, non viderentur dignam Deo reddere viciſſitudinem, qui eos à tanto periculo miſericorditer liberauerat. Statuerat enim animo, vt pro reuerentia tanti miniſterij, nullatenus in depoſitionem cuiuſquam Epiſcopi præberet aſſenſum. Et ob hoc apud pium Imperatorem obtinuit, ne in eius depoſitionem ampliùs impelleret. Quod & ſecundùm moderatiſſimum eiuſdem genitricis noſtræ glorioſæ Imperatricis conſilium, ſatisfacerent piiſſimo Imperatori, & in eundem Ebonem non aliam ſententiam intuliſſent, quam ipſe in ſcripto ediderat. Hactenus Carolus II. Imperator Réxque Chriſtianiſſimus.

Porrò Archiepiſcopis, anulum Pontificalem cum Pallio vnà tranſmittere, mos antiquus Romanorum Pontificum fuit. Cuius quod ſpectat ad Galliam, exemplum obſeruatione dignum refert Glaber Rodulphus Hiſtor. lib. 5. cap. 4. inſcripto de diſſenſione Lugdunenſis Præſulatus. *Quæ omnia* (inquit) *dum perlata fuiſſent Romano Pontifici, ſuggeſtum eſt ei à viris fidelibus, vt ſua auctoritate Patrem Odilonem Clunienſis Monaſterij Abbatem, ibidem eligeret conſecrari Pontificem. Sic enim totius Cleri & plebis optans acclamabat deuotio. Qui protinus mittens eidem patri Pallium ſimul & anulum, imperauit eundem prædictæ ciuitati fieri Archiepiſcopum. Sed vir religioſus ſuæ humilitatis attendens propoſitum, omnimodis renuit fieri. Pallium & anulum ſuſcipiens, illi qui dignus exiſteret reſeruauit, futuro Pontifici eiuſdem ſedis.*

Cæterùm vt anulus ſolenni cum benedictione, vnà cum aliis inſignibus ſummi ſacerdotij, Epiſcopo qui promouebatur, dari conſueuerat: ita etiam vetuſti moris fuit, illi auferri cùm gradu deiiceretur. Sic factum

enim in Concilio Nemauſenſi quod anno 886. conſedit aduerſus Seluam Hiſpanum Clericum, qui Archiepiſcopatum Narbonenſem inuaſerat, & Ermemirum, quem in ſedem Vrgelitanam, eiecto Ingoberto legitimo Præſule intruſerat, ſignatim docent vetuſta monumenta Eccleſiæ Narbonenſis, in quibus hæc inter cætera poſteris prodita reperiuntur. *Contra Seluam verò & ſocios, Epiſcopi qui Concilio aderant, Stephani Papæ* (V.) *anathema renouarunt, niſi ante Quadrageſimam ſatisfacerent. Ad Sinuardum quoque Comitem miſſa legatio, Gotmaro deferente, & benignè ſuſcepta eſt. Cùm enim omnia quæ geſta fuerant audiiſſet, regionis primarios conuocauit. Adfuit etiam accitus Theodardus* (verus Archiantiſtes Narbonenſis) *cum aliquot Epiſcopis, in Eccleſia ſanctæ Mariæ Vrgellæ. Ibi Seluam iuxta canones, quia extra Metropolitani ſui conſenſum ordinatus fuerat, & Ermemirum degradarunt, ſciſſis Epiſcopalibus indumentis, baculis eorum ſuper eorum capita confractis, anulis cum dedecore à digitis auulſis*. Frodoino Barcinonenſi venia, quam humiliter poſtulabat, conceſſa. Ita Narbonam reuerſus eſt victor Theodardus.*

* In Conc. Remenſi ſub Leone IX. Epiſcopus Nannetẽſis (Budicus) cõfeſſus ſe per ſimoniã promotũ, iudicio Synodi *ſublato anulo, & paſtorali pedo*, priuatus eſt, condonato ei tantùm officio Preſbyteratus.

Forma huius degradationis iampridem vſu exoleuit: aliáque in Pontificali Romano ſignata extat, in qua ritus auferendi anulum, hic præſcribitur. Ablato Euangelio Pontifex degradator amouet anulum degradandi, ſic dicens, *Anulum, fidei ſcilicet ſignaculum, tibi ſubtrahimus, quia ipſam ſponſam Dei Eccleſiam temerè violaſti.* In Chronico Mauriniacenſis Monaſterij, quod ab an. 1108. ad annum 1147. excurrit (quo Rex Ludouicus VII. in terram ſanctam profectus eſt) lib. 3. ſchiſmaticis Epiſcopis qui Petro Leonis Pſeudo-Papæ adhæſerant, ab Innocentio II. ſummo Pontifice, ablata ſacræ dignitatis inſignia ſpectante generali Concilio, quod Romæ celebrauit, & ſpeciatim anulos eorum è digitis auulſos, memoriæ conſignatum eſt, hoc verborum tenore. *His dictis ſingulos quos reos cognouerat, propriis nominibus exprimens, eiſque cum indignatione & iurgio exprobrans, paſtorales baculos de manibus violenter arripuit, & Pontificalia pallia, in quibus ſumma di-*

Extat apud Quercetanũ tom. 4. Hiſtor. Franc. &c.

gnitas consistit de humeris verecundiosè abstraxit. Ipsos quoque anulos, in quibus ad ipsos pertinens Ecclesiæ desponsatio exprimitur, sine respectu misericordiæ abstulit.

Cæterùm in Missa antiqua, quam Matthæus Flaccus Illyricus, tametsi iuratus Ecclesiæ hostis, typis vulgauit, disertè habetur in ordinatione Episcopi: *Detur ei anulus.* cuius etiam ritus meminit Ratoldus Abbas Corbeiensis XXVI. qui anno 986. obiit in libro Sacramentorum, quo se Menardus passim vsum profitetur, in elucidationibus Sacramentarij beati Gregorij Papæ. Qui Menardus meritò stupet, quî fiat vt tamen tradendi huiusmodi anuli ordinando Episcopo, Alcuinus, Amalarius & Rabanus nullatenus memorentur. Non hinc tamen sequi puto quod elicit: nempe hoc eorum silentio indicari, diuersum olim fuisse ritum pro diuersitate locorum & temporum. Nam constantem & communem fuisse morem, satis indicant quæ suprà ad ritus huius insinuandam confirmandámque antiquitatem, congessimus; præsertim verò Herardi Turonensis Metropolitæ & collegarum eius attestatio, qua se insignibus Pontificiis exornasse Electrannum electum Redonensem, *anulo* autem notanter *dotasse* asseuerant in eius ordinationis indiculo, *ex more Ecclesiæ.* Particularis igitur hîc non fuit ritus, sed vniuersalis, cùm diffuso vbique more ab Ecclesia seruaretur. Non obstat igitur Alcuini, Amalarij & Rabani silentium: cùm (sicut in exordio dissertationis nostræ de antiquo Mitræ vsu annotauimus) pleraque alia non minoris momenti prætermiserint inter recensendum mysticos Ecclesiæ mores, & supellectilis sacræ cimelia, insigniáque sacerdotalis ac Episcopalis ornatus; quorum cùm apud non inferioris notæ, at maioris etiam nominis auctores testimonia suppetant, éxque indubitatæ fidei monimentis antiquitatis Ecclesiasticæ, vsus patenter eliciatur, iam olim passim in Ecclesia receptus; parum refert quòd apud paucos hos auctores non recenseantur, quibus ex oscitantia necesse sit excidisse, cum plerisque aliis rebus de quibus conticuerunt.

CAPVT III.

De materia anuli Episcopalis.

IN apparatu myſtico ſancti Birini Dorceſtrenſis Epiſcopi, cuius ſuprà meminimus, inuentum eſſe anulum, & plumbeam crucem, vetus auctor anonymus recenſet qui geſta eius literis commendauit*: quo ex metallo fuerat confectus anulus non exprimit. At neutiquam plumbeum fuiſſe ſatis elucet ex hoc, quòd ſolam crucem pectoralem plumbeam appellat. Exceptio enim firmat ius in cæteris. Aureus quòd fuerit reuera non dicit, at probabile hinc fit, quòd alia ornamenta auro rutila inuenta fuerint cum ipſius beati Birini corpore. *Inuenta eſt enim crumena quædam ſerica ſuper pectus eius, itémque pera ex vna parte auro contexta, quâ cum palla cohærenti, corpus quod ferebat Domini contexerat, cùm ſupra mare ſiccis pedibus ambulauit.*

* *Apud Surium 3. Decemb.*

Quicquid ſit, certum eſt apud Ethnicos anulum non ex auro conſueuiſſe primùm conflari. Plinius lib. 33. cap. 1. refert anulum ferreum Prometheo antiquitatem tribuiſſe: Ferreos autem anulos fuiſſe Lacedæmoniis in conſtanti vſu. Quid quòd longo etiam tempore, ne Senatum quidem Romanum geſſiſſe anulos ex auro, Plinius idem teſtatur? qui & addit Romæ diu non fuiſſe aurum, niſi admodum exiguum. Aureos anulos, tandem moris fuiſſe tantùm iis dari, qui ad exteras gentes ituri eſſent, & quidem in plebis conſpectu. Neque aliis vti mos fuit, quàm qui ex hac vel ſimili cauſa publicè accepiſſent: quanquam hi quoque qui ob legationem acceperant aureos, eis in publico tantùm vtebantur, intra domo verò ferreis. Anulorum certè profuſior fuit ſubinde vſus, variíſque conditionibus etiam promiſcuus: tametſi à metallo, pro geſtantium qualitate, anuli diſtinguerentur. Equites Romani aureo tandem fulgebant. quo & Tribuni mi-

litum ſubinde ornati : cùm ferreum milites duntaxat geſtarent : quibus demum Seuerus Imperator & aureos indulſit, quemadmodum eruditiſſimus obſeruat Lipſius, ex Appiano & Herodiano lib. 2. de militia Romana dialogo 9. ſub finem. Peruenit vſque ad ſeruos etiam anulorum ornatus, quos conſtat non ferreis tantùm vſos ſed & aureis, cui ferreum ineſſet capitulum. Hócque anulorum genus Samothracium ipſa Romana antiquitas nominauit. Sic enim Lucretius l. 6. de magnete ferrum alliciente, diſſerens ait, *Tom. 3. p. 59.*

Exultare etiam Samothracia ferrea vidi.

Cæterùm Samothracia à loco dicebantur. In Samothrace enim id genus inuentum, quo primùm mero ex ferro anulos efformari moris erat, quemadmodum ex præcitato Lucretij loco elicit ac probat doctiſſim. Adrianus Turnebus l. 2. aduerſar. c. 2. & ex Plinio inſuper dicente, alios ſubinde anulos ibidem fabrefactos, in quibus ferrum cingebatur auro, vt ferrum loco gemmæ eſſet. Quod genus ornatus (ſubdit) à ſeruis etiam, quibus ferreus tantùm anulus licebat, tandem fuiſſe vſurpatum. *Necnon & ſeruitia* (inquit Plinius lib. 33. c. 1.) *iam ferrum auro cingunt, alios per ſe merè auro decorant.* cuius licentiæ origo nomine ipſo in Samothrace id inſtitutum eſſe declarat, & ſuccinit Iſidorus lib. 19. cap. 32. de anulis. *Samothracius* (ait) *aureus eſt, ſed capitulo ferreo, à loco ita vocatus.*

Mirum quod Romæ Triumphatoribus, alio quàm ferreo (qui ſeruorum olim proprius erat) vti in ipſo triumpho non licebat. Fortè ad monimentum antiquæ ſimplicitatis atque modeſtiæ, vel indicium potiùs quòd qui triumpharet, Reipublicæ non dominus eſſet, ſed ſeruus: vnde idem Plinius citato loco: *æqua fortuna triumphantis, & ſerui coronam ſuſtinentis.*

Vſu deinde vel abuſu inualuit, vt ſerui aureo vterentur, tandémque mos ille probatus eſt. Nam placuit vt cùm ſeruitute liberati, ingenuitatis iura conſequerentur, ferreo anulo depoſito, aureum aſſumerent. ius illud at verò ab Imperatore impetrabant, ſed de dominorum conſenſu. Tunc igitur pro ingenuis ha-

bebantur, ſed ſaluo patronatus iure. Sunt qui tum eos Equeſtrem dignitatem cenſeant adeptos, vel beneficium Equeſtri dignitate compar. Nam cùm aureos anulos geſtare nulli quàm equeſtris ordinis hominibus fas olim eſſet, quippe qui his pro inſigni, quo à plebe diſtinguerentur, vtebantur (vt ex eodem Plinio animaduertit doctiſſimus Budæus, ad lib. vltim. ff. de Senatorum merito conceſſa aureorum anulorum vſurpatione) ipſam quoque ordinis dignitatem Princeps conceſſiſſe videbatur. facit text. l. falſa demonſtratione 33. §. ſed ſi cui ff. de cond. & demonſtr. Vbi ſi quis ab Imperatore anulos acceperit, honorem eius augeri Iuriſconſultus reſpondet. Libertinis igitur dato iure anulorum aureorum, Equeſtris dignitas collata cenſebatur, quæ res efficit vt in multis iuris partibus, donati anulis libertini, pro ingenuis habeantur.

Tacitus, Equeſtri dignitate donare, & anulis honorare, promiſcuè vſurpat lib. 18. Annal. *Poſtulante* (inquit) *exercitu, vt libertum ſuum Aſiaticum, Equeſtri dignitate donaret, honorauit anulis.* At Lampridius ſcribit Alexandrum Seuerùm libertinos, nunquam in Equeſtrem ordinem redegiſſe, id eſt nunquam honoraſſe anulis, vt eſt apud Suetonium. Idque recentiorum Iuriſperitorum facilè princeps Cuiacius, pluribus exequitur l. 7. obſer. cap. 14. & ad tit. ff. de iure aureorum anulorum. Nec enim vnico fulgere, luxus tandem permiſit. imò eò vſque proſiliit, vt qui lautiores & elegantiores eſſent, anulos duorum generum gererent, æſtiuos ac hibernos. Hibernos puto maioris fuiſſe ponderis, æſtiuos autem leuiores. Iuuenalis Sat. 1.

Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,
Nec ſufferre queat, maioris pondera formæ.

Proinde ſcripſit Satyra 7.

Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

Anuli enim æſtiui & hiberni ſemeſtres ſunt.

Porrò vt ferreos ex Samothrace inuectos, ita ex Bithynia aureos (quos Thynicos vocat) Iſidorus ſuprà laudatus docet. *Thynicus* (inquit) *purus eſt, primúmque in Bithynia fabricatus**, ſcilicet ex mero auro. Aſ-

* (quã olim *Tinam* vocabant)

fértque Mœcenatis verſiculos, de morte Horatij Flacci, vt id probet.

Lugent te me vita, te Smaragdus,
Beryllus quoque mi Flacce: nec nitentes
Nunc per candida margarita quæro,
Nec quos thynica lima perpoliuit
Annellos, nec Iaſpios lapillos.

Hebræis aureos fuiſſe in vſu, librorum veteris Teſtamenti peritis ſatis conſtat. Chriſtianis ſubinde mox ab Eccleſiæ crepundiis moris etiam fuiſſe anulos geſtare ex auro, vel locus iſte Epiſtolæ ſancti Iacobi, clarè oſtendit, *ſi introierit vir aureum anulum habens.* Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 1. teſtatur conſueuiſſe Chriſtianas mulieres (quibus ſuperfluum auri ornatum Petrus Apoſtolus diſſuadet 1. ep. c. 3.) anulos aureos gerere. dari verò ſolitos à ſponſis arrhæ nomine & docet vſus, & huc Tertulliani referri poteſt auctoritas ex Apologia aduerſus Gentes: *aurum nulla nôrat, præter vno digito, quem ſponſus oppignoraſſet pronubo anulo.* Tametſi enim de fœminis Gentilium id propriè inſinuet, vt ex ſuperioribus verbis perſpectum eſt: *Circa fœminas quidem etiam illa maiorum inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur. Cùm aurum nulla nôrat, præter vnico digito.* Idémque anulos ferreos tunc adhuc quibuſdam vſui fuiſſe lib. de habitu muliebri doceat: *Nam & anuli* (inquit) *ex ferro fiunt.* Verùm eodem in contextu innuit, aureorum anulorum iam vſum fuiſſe profuſiorem, etiam apud Chriſtianas mulieres, quas eo opuſculo ad modeſtiam inſtituit. Iſidorus lib. 19. originum ait. *Fœminæ non vſæ anulis, niſi quos virgini ſponſus miſerat, neque ampliùs quàm binos aureos, in digitis habere ſolebant.* Idem verò lib. 2. de diuinis officiis cap. 15. ritum explicat, cur in Eccleſia, anulo ſponſa à ſponſo donari conſueuerit: de quo etiam more diſſerit Nicolaus Papa, in epiſt. ad Bulgaros.

Cap. 2. Cap. 32.

Singulari obſeruatione id tamen dignum exiſtimo, quod Ioannes Baptiſta Laurus recitat, de anulo pronubo ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis (in proprio commentario quem de ipſo inſcripſit edidítque Romæ an. 1622.)

illum non ex auro, sed lapide onychino confectum. *Hic anulus* (inquit) *Perusiæ religiosißimè adseruatur, vndecim clauibus conclusus, & ter quotannis solennibus præmißis cæremoniis spectandus exhibetur.* Quod fieri ibidem cœptum est, anno 1473. Kalend. Septembris, quo anno anulus iste Clusiô Perusiam allatus est. Est autem è gemma onychina solida constans, quem Amethystum alij vocitant, alij Chalcedonium.

Hîc non moueo, de hoc beatissimæ Virginis anulo controuersiam, quam aliò loco discussum ire à nobis necesse erit. Sunt enim nonnullæ Ecclesiæ, quæ de consimili gloriosæ Virginis pignore gloriantur *. Molanus in natalibus Sanctorum Belgij, die decimo-sexto Octobris, celebrem signat ostensionem eiusmodi anuli in Monasterio Aquicinctiensi Duaco vicinum. Quem Coluenerius in Kalend. Virginis tom. 2. pag. 79. asserit se propriis oculis conspexisse, esséque, effigie quadam exigua, in palla ornatum. In Martyrologio nostro Galliæ die 22. Februarij, quo recolitur Desponsatio sanctissimæ Virginis Dei genitricis, annotandum monuimus Semuri apud Mandubios in Burgundia, anulum seruari virginalem, quo beatissima ipsa Deipara traditur desponsata à Iusto Ioseph: quem anulum à nongentis penè annis, ex partibus transmarinis allatum, illic possideri constat, dono Gerardi Russiloni Comitis; adstipulatúrque Genebrardus ad annum 870. Cæterùm ad signatum diem pleraque dicturi sumus (Deo iuuante) de anulo pronubo eiusdem gloriosæ Virginis Mariæ **. Porrò Coluenerius cùm aduerteret diuersos variis in locis ostendi, difficultati anteuertendum sic censuit, vt diceret potuisse Virginem Dei genitricem plures anulos habuisse. Gersonium Parisiensem Cancellarium scripsisse Epistolam, ad Ducem Bituricensem, in Ecclesia Parisiensi esse anulos coniugij Dominæ nostræ cum eius zona. Et plures quidem consuetos dari, eosdémque aureos, Clemens Alexandrinus suprà laudatus asseuerat. Tamen singulariter Tertullianus anulum pronubum nominat, quem passim tandem fuisse aureum, indicato etiam loco comme-mi-

* Dicã mouet hac ex multiplicitate anulorũ B. Virgin. Deiparæ, aliisque eius venerandæ memoriæ pignoribus Caluinus *in suo de reliquiis indiculo*: quo impiè hæc irridet omnia: Luciani scilicet perdignus hæres, cuius nomen inuersis duntaxat aliquot litterulis, quã appositè idcircò perferebat; Lucianus siquidẽ & Caluinus, totidem litteris, ac iisdem prorsus characteribus exprimuntur.

** S. Annæ genitricis Beatissim. Virginis Deiparæ anulum, Romæ asseruari in ipsius Ecclesia admonet Baronius, in notis ad 7. Kal. Aug. quo die anniuersario cultu celebratur eiusdẽ B. Annæ felicis dormitionis memoria.

minit. At de re eiusmodi, modò satis.

In viam vt è tam longo diuerticulo tandem redeam, de Episcopali anulo quem vetustissimi esse in Ecclesia vsus, ex iis quæ dicta sunt suprà de eius antiquitate abundè patet, indubiè dico, ex mero auro consueuisse conflari. Cuius rei perspecto sunt indicio quotquot priscorum sanctorum Antistitum anuli pontificales in Ecclesiarum sacrariis Maiorum pietate conseruati, etiamnum ostenduntur. Nec abs re quidem placuit sapientissimæ matri Ecclesiæ, anulos episcopales ex auro non alio metallo efformari. Absit enim vt ex ferro cuderentur: cùm legi Euangelicæ (quæ tota spirat amorem & pacem) ferri duritia, quæ bello & odiis fomitem, materiámque armis suppeditat, penitus aduersetur; rubigini etiam ferrum sit obnoxium, à qua longè abhorret Christianæ fidei ac innocentiæ puritas. Accedit quòd debeat Episcopus, cum Apostolo, in solo Christo gloriari, *qui caput est Ecclesiæ*, Ephes. 1. Col. 1. ac fidelium omnium redemptor: vnde dicitur in Canticis, *caput eius aurum optimum*, cap. 5. Et sanè vt aurum cæteris omnibus metallis præstat, & apud omnes pretij maioris habetur: ita Christus in omnibus primatum tenet, *quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates*; &c. *ipse est ante omnes, & in ipso omnia constant. nam ipse est caput Ecclesiæ; qui est principium, splendor gloriæ, imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, Rex Regum & Dominus dominantium: in cuius nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Col. 1. 1. Tim. 6. 14. Philip. 2. 10.
2. Præterea sicut aurum est pretium, per quod res etiam excellentissimæ emuntur, quas omnes suo valore non modò adæquat, sed superat: ita Christus est pretiosus ille thesaurus, quô mundus qui perierat redemptus est; quô iustitiæ Dei satisfactum, quo chirographum omne debiti nostri fuit solutum, quô gratia omnis acquisita, gloria comparata. Magnificis verbis vas electionis Paulus, hoc pretium redemptionis nobis passim commendat. *Pretio* (inquit) *empti estis*,

1. Corinth. 7. *Empti eſtis pretio magno.* ibidem 6. & Coloſſ. 1. *Gratias agite Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.* De quo inæſtimabili pretio, Apoſtolorum Princeps. *Scientes* (inquit 1. epiſt. 1.) *quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis*, &c. *ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Christi.* 3. Accedit quòd aurum metallorum omnium eſt puriſſimum. Chriſtus verò qui non ſolùm nobis datus eſt redemptio à Patre, & ſapientia & iuſtitia, ſed & ſanctificatio: eſt ſanctitas ipſa de quo ad Hebræos idcircò ſcribit Apoſtolus. *Talis nobis decebat vt eſſe Pontifex, ſanctus,*
Heb. 7. 26. *innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excel-*
1. Pet. 2. 22. *lentior cœlis factus*; qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in labiis eius. Agnus eſt enim ſine macula, ſol ſine nebula: à quo fluit omnis decor gratiæ, omníſque ſplendor gloriæ Sanctorum exortus eſt; iuxta
Ioan. 1. quod dilectus eius ait diſcipulus, *Omnes de plenitudine eius accepimus. Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* 4. Addi poteſt quòd ſicut aurum ſine hominum induſtria vel ſtudio, intra terræ viſcera gignitur, ſola radiorum ſolis ope ac influxu, qui ſine aliqua terræ læſione, illud in terræ viſceribus generat: ita Chriſtus in terra ſancta, immaculati vteri incorruptæ Virginis Mariæ, ſine vllo viri commercio, ſola Spiritus-ſancti operatione conceptus & natus eſt, abſque vllo virgineæ integritatis detrimento. 5. Huic affine eſt, quòd ſicut aurum quando purum & exploratum eſt, quamuis in ignem mittatur, ac fortiter ſuper incudem contundatur, nunquam pretium aut pondus amittit: ita Chriſtus licèt in paſſione
Dan. 5. ſua fuerit contuſus, ac tot doloribus cruciatus, *non eſt inuentus minus habens*, nec enim minuta fuit eius dignitas, aut patientia: illæſa ſed eius diuinitas manſit, inuicta patientia perſtitit, nullum eius gloriæ, vti & innocentiæ, detractum pondus; factus ſiquidem paſſibilis in forma ſerui, permanſit in forma Dei. Vnde Ec-

clesia in eius Circuncisione * modulatur, *id quod fuit permansit, id quod non erat assumpsit, nec commixtionem passus neque diuisionem.* Ex quo verò resurrexit à mortuis per gloriam Patris, etiam secundùm carnem immutabilis factus est. *Iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur,* sed regnat in æternum super omnia. Elogium hoc eius perenne est, *Christus Iesus, heri & hodie, idémque per sæcula.* 6. Huc etiam collineat quòd quemadmodum aurum huius est naturæ (prout obseruat Bartholomæus Anglicus lib. 26. c. 5.) vt dum tunditur non resonare soleat, sicut æs aut argentum aliáve metalla, quæ percussa tinniunt & quasi concrepant : ita Christus in passione sua adeo acriter percussus, vndequaque concussus, *non aperuit os suum* contra inimicos, nec auditum fuit ex eo verbum aliquod vindictæ aut querelæ, sed potiùs vt Isaias prædixerat *tanquam agnus coram tondente se obmutuit & non aperuit os suum,* qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm percuteretur non comminabatur. 7. Sicut aurum liquore dilutum vel dulciariis commixtum & degustatum, dolentem animum reficit atque recreat : ita Christus, illum qui ipsum comederit, ineffabili afficiet lætitia, ac robore confirmabit. Hoc fultus solatio ait Apostolus, *omnia possum in eo qui me confortat. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Denique est aurum super omnia metalla lucidum & pulchrum, quo quicquid linitur, decoratur. Christus verò lux est, & quidem lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nihil eo pulchrius, qui speciosus est forma præ filiis hominum: de quo sibi designato coniuge, speciosissima virgo, athletáque fortissima Agnes, in martyrij procinctu, sic se gloriabunda iactabat : *Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur.*

In antiph. super Cant. Benedict. ad Laud.

Rom. 6. 9.

Heb. 13. 8.

Esa. 53.

Ibid.

1. Petr. 2. 23.

2. Cor. 12. 9.

Ioann. 1.

Verùm tametsi aureo anuli ornatu, in ordine ad Christum (quem præcipuè spectat) Episcopus glorietur hac mystica tessera insignitus ; est itidem quod aureum ipsum fulgorem, mystico in se intellectu re-

flectat. Quicquid designatur auro, ipsum siquidem commonefacit officij, quo Deo seruire, sibique pro-spicere, & crediti populi saluti inuigilare debet. Imitetur ea sedulò decora quibus Christus per aurum designatur: quæque laude digna in hóc pretioso metallo, super cæterorum qualitates, eminent virtutum insignia, studeat suis actibus ac affectibus exprimere. Auri sanè fames potissimùm in Episcopo reprehenditur, qui omni ab auaritia & cupiditate rerum terrenarum abhorrere debet, eáque sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram; illud Ecclesiastici sæpe animo

Eccl. 31. 5. & 6. perpendens. *Qui aurum diligit non iustificabitur. Multi dati sunt in auro casus, & facta est in specie ipsius perditio multorum. Sed beatus vir qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris.* Talis profectò Paulus erat (absolutum scilicet exemplar perfectionis Episcopalis) qui Ephesios sic obtestabatur: *argentum & aurum nullius concupiui, sicut ipsi scitis.* Act. 20. *Om-*

Philipp. 3. 8. *nia arbitratus sum detrimenta vt Christum lucrifacerem:* simul autem, & quæ Christus habet charissima. *In quo* (inquit) *laboro vsque ad vincula, quasi malè operans: sed verbum Christi non est alligatum, ideò omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cælesti.* 2. Tim. 2. Hæc fuit omnis Pauli cupiditas, perpetuus agon ac palmaris corona. Licet, imò decet Episcopum hanc ambitionem æmulari, ad has diuitias anhelare: lucri Domini sui ita esse cupidum, vt talenta eius assiduo æstu multiplicans, locupletari ipse iusta ex mercede laboris possit à Domino, vt fidelis seruus ac prudens promereri.

Præclarè at verò sanctus Chrysostomus, diuini muneris sacros mystas admonebat, decus eorum ministerij non in eo duntaxat situm esse, vt in Ecclesia circumeant, alba & splendenti tunica induti. At candidam vestem eosdem candoris mentis, & cordis puritatis, qua insigniti coram Deo & hominibus versari debent, præsertim admonere. Ab hoc aureo monitu non longè abludam, si dixero Episcopi dignitatem non es-

ſe collocandam in aureo ornatu. Parum enim eſſe, ſi auro digiti eius fulgeant, niſi & eius opera eniteant ſplendore fidei atque iuſtitiæ. Aureus certè anulus eum admonet, quòd aureus ipſe totus eſſe debeat. Aurum certè metallorum omnium nobiliſſimum, multis excellentiæ titulis iiſdem præſtat, ſcilicet ductilitate, puritate, ſplendore, pondere, valore. Has proprietates conuenit Epiſcopo inſtanter æmulari.

I. Vt ſit nimirum procul à rigiditate ferrea & pertinacia, ſed benignus ſit ac miſericors, ſimúlque patiens atque flexibilis. Apoſtolus ſanè exigit in Epiſcopo imprimis doctrinæ dotem. *Oportet* (inquit) *Epiſcopum* 1. Tim. 3. 2. *eſſe prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem,* &c. *Summa enim omnium virtutum Epiſcopalium* (ait ſanctus Hilarius lib. 8. de Trinitate) *eſt ſcientia & doctrina.* Hinc Pontifex in lege veteri in rationali inſculptum perferebat doctrinam & veritatem. *Eſt enim doctrina* (inquit Theophylactus in caput 1. ad Titum) *virtus & character Epiſcopi.* Mirum tamen quod alicubi ſanctus Auguſtinus, ex ſancto Cypriano aduertendum monuit. *Vbi Apoſtolus ait, Epiſcopum oportere eſſe doctorem, Martyr Cyprianus legit docibilem.* Parum enim eſſet Epiſcopo cæteros docere, niſi ipſe ad diſcendum aptus eſſet. Conuenit vt ſit dum cæteros ducit ductilis, & dum docet docibilis: alioquin quia ſcientia inflat, tumore doctrinæ inflatus, cæteros omnes aſpernabitur. Apprehendet immobiliter, quicquid ſemel in animum induxerit. Ibit & non reuertetur, neque ſi ſemel errauerit, poterit ab errore reuocari, cuiuſcunque etiam ſe doctioris ac maioris monitu. Illuſtri, quamuis luctuoſo, hac in re fuit exemplo Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus, qui vento ſcientiæ tumidus, ſalutaria quæque documenta & pios hortatus ſanctorum Patrum Concilij Calchedonenſis, ac beati Leonis Papæ paternas admonitiones ſuperbè contempſit, ferrea duritia perſtitit in errore, ſicque dum flecti noluit, frangi maluit, & ita infauſtè periit. Quàm piè & præclarè ſanctus Leo, cùm in eius literis typhum ſuperbiæ, iam ab Epiſcopatus initio erumpen-

tis deprehendisset, hoc exitiale vt præcideret virus, hæc ei scribebat. *Tota Christiana sapientia disciplina non in abundantia verbi, nec in astutia disputandi, sed in vera ac syncera humilitate consistit, quam Dominus Iesus, ab vtero matris, ad supplicium vsque crucis, omni fortitudine & tenuit & docuit.*

II. *Puritas* in Episcopo exigitur *tam doctrinæ quàm disciplinæ.* Necesse est enim vt sit sanus in fide. doctrinæ siquidem annecti debet veritas, quæ si desit, plus nocebit doctrinâ suâ Pontifex sibi & populo suo, quàm quicquam vtilitatis conferet aut assequetur. Orientales Episcopi, qui post sanctos Patres extitêre, doctrina & eruditione passim excelluerunt. Sed quia, vt prædixerat Apostolus, veritatis studium neglexerunt vanitate oblectati: exciderunt plerique à fide, cæteri in schismata deflexerunt, aliósque in exitiosos anfractus pertraxerunt. *Posuit Dominus* (ait sanctus Augustinus) *in cathedra vnitatis, doctrinam veritatis.* Ex quo igitur Græci à Petri cathedræ communione discesserunt, vnitatem deserentes veritatem perdidêre. Hinc ortum Orientalis Ecclesiæ excidium. Acutè & appositè dudum sanctus Gregorius cùm Græci solertiæ ac eruditionis suæ inanes titulos attollerent, Latinísque obiicerent minorem ingenij aciem, & literarum peritiam, vni eorum respondit. *Latini vt non ingeniorum acumina, ita nec hæreses habent.* Quasi diceret nequaquam ferrei sunt, rubigine carent, omníque in fide corruptela: toti aurei sunt, puri integríque in fide, ac synceri, & ab omni erroris macula prorsus immunes. Ita vt de iis meritò dici possit, quod Apostolus Petrus ait ep. 1. c. 1. *Pobatio fidei vestræ multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inuenietur in laudem & gloriam & honorem in reuelatione Domini nostri Iesu Christi.*

Cæterùm non modò puritas in fide est in Episcopo necessaria, sed in moribus maximè requiritur. Vnde Apostolus exigit vt *pudicus sit,* vt *continens,* vt non modò ab omni actu caueat qui redoleat carnalem impuritatem, sed abstinere diligenter studeat *ab omni verbo,* ex quo vlla sinistra possit suspicio, de eius affecti-

bus elici, vel offensio suboriri, qua qui illum audiunt tantillùm lædi possint. *Exemplum* (inquit 1. Timoth. 4.) *esto fidelium in verbo, in conuersatione, in fide, in castitate.* Et rursus suum Titum monet, vt *nullum proferat verbum nisi sanum & irreprehensibile. Nempe vt iis qui ex aduersò est vereatur, nihil malum habens dicere de nobis.* Nec abs re diuinus Apostolus, à verbi sanitate, mentis integritatem, qua præstare debet Episcopus agnosci insinuat: siquidem affectus ac mores, & dispositio, animi in sermone planè conspiciuntur.

III. Splendor qui in auro eximius est, in Episcopo quoque debet, plusquam ipsum aurum, quo ornatus micat, collucere; splendor scilicet sanctæ operationis & bonæ famæ ac æstimationis. Idcircò dicebat Christus Dominus discipulis suis, *vos estis lux mundi, sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Titulus prisci summi sacerdotis, qui totum eius ornatum coronabat, erat sanctitas, cuius nomen præferebat, in lamina aurea fronti suæ impendenti insculptum; vbi enim Vulgata editio habet, *sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino*: ex Hebræo vertunt quidam interpretes, *sculpes, sanctitas Iehouæ.* Ad innuendum videlicet quòd Pontifex ipse esset typus Christi, cuius nomen fronte gerebat: quamobrem eius qui Sanctus sanctorum est, in se specimen ac simulachrum, ex eius imitatione sanctitatis, debebat affatim exprimere. At Christus exigit in noui æternique sui fœderis Pontificibus, splendorem auro (quo illa constabat lamina, inscriptáque in ea enitebat sanctitatis epigraphe) longè magis fulgentiorem: vult enim vt ipsi, quasi lux ipsa rutilent, ac sicut luminaria in mundo cæteris præluceant hominibus, splendore Christianæ iustitiæ ac sapientiæ. Tritum est illud Platonis, *nec hesperus, nec Lucifer, ita admirabilis est vt iustus.* At qui simul iustus est, ac iustitiam cæteros docet, tam sacri professione muneris, quàm propriæ conuersationis actibus, is proculdubio, mysticis astris iure adcenseri promeretur, de quibus Angelus ait apud Danielem Prophetam. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ*

Matt. 5. 14. 16.

Exod. 28.

Cap. 12.

in perpetuas æternitates. Imò iam in Ecclesia, qui ita agunt Episcopi, velut luminaria pulcherrima & splendidissima coruscant, quibus cæteri homines illustrantur; ac in salutis semitas diriguntur, & filij ipsi lucis, per perennem influxum efficiuntur diuinæ cognitionis ac glorificationis. Pulchrè sanctus Anselmus, stellis similes Episcopos esse dicebat oportere, quæ in cœlo fixæ terrena non ambiunt, sed totæ intendunt, vt suos cursus ac motus peragant, lucem spargant mundo, quam à sole hauriunt. Quicquid lucis astris insitum est, vt à sole accipiunt, sic & illud totum quod aurum splendoris habet, hoc à sole mutuatur, cuius etiam generatur influxu: ideóque filius solis passim appellatur. Quo nomine Dominus suos Apostolos voluit, eorúmque successores, nempe Episcopos, insigniri, vt morum atque virtutum suarum insignia studerent æmulari. *Aurum* (vt priscus auctor optima mente censebat) *est curæ & doloris filius*, nec enim è visceribus terræ sine labore eruitur, nec sine cura acquiri aut benè expendi potest. Aurum bonæ famæ (qua nihil pretiosius) recta ex operatione procedit. Hanc at verò nequit Episcopus sine cura boni nominis, & labore sanctæ conuersationis, ac syncerae intentionis studio sibi iure vllo ire comparatum. Siquidem in auro duo potissimùm requiruntur, ipsa interna auri puri substantia, & lucida auri species, quæ externo splendore, auri latentem prodit genuinam essentiam. Ita in Ecclesiæ Antistite, duo hæc præsertim desiderantur, conscientia nimirum & fama: conscientia propter se, & fama propter proximum. Præclarè suum Eugenium sic admonebat pridem sanctus Bernardus lib. 3. de considerat. cap. 4. *Sanè interest tuæ perfectionis & malas res, & malas species deuitare: in altero conscientiæ, in altero famæ consulas. Puta tibi non licere (& si aliàs fortasse liceat) quicquid malè fuerit coloratum. Denique interroga maiores* Deut. 32. *tuos & dicent tibi, Ab omni specie mala abstinete vos. Sanè minister Domini, Dominum imitetur, quia ipse ait: qui mihi ministrat, me sequatur. Et habes de illo, Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudi-*

dinem. Tu quoque esto fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua, fiducia fidelis conscientiæ, decor tuus splendor bonæ opinionis.

IV. Aurum etsi admodum ductile faciléque flectatur, valde ponderosum est: nullúmque est metallum quod ei possit in densitate æquiparari. Porrò inter dotes quibus ornatum Apostolus Episcopum esse exoptat, ea non postrema, vt grauitate sit insignis. Sic enim Titum suum signatim Apostolus admonet, quatenus credito populo prælucere studeat, *in doctrina, in integritate, in grauitate*, Tit. 2. ne scilicet sit leuis aut inconstans, sed fortis ac grauis, id est serius potiùs tamen quàm seuerus. Vnde sanctus Chrysostomus de hac virtute Episcopali loquens lib. 3. de sacerdotio rectissimè ait. *Nam & grauem illum esse oportet, sed minimè fastuosum; terrificum, sed humanum, & visenda maiestate, Pontificem potiùs quàm Principem, comem eundémque integrum; officiosum, humilem, sed minimè seruilem: acrem quoque & vehementem esse conuenit, sed tamen & mansuetum.* Quo & sensu loquens suum ad Eugenium præcitato lib. 4. de consider. sanctus Bernardus. *Austeritatem* (inquit) *tibi non suadeo, sed grauitatem: illa infirmiores fugat, illa reprimit leuiores: illa si adsit odibilem, illa si desit contemptibilem reddit. Ego nec seueriùs velim nec dissolutiùs. Quid hac mediocritate gratius, vt non de seueritate sis oneri, ne de familiaritate contemptui? Ille conuenientior habitus, si tu actu quidem seuerus sis, vultu serenus, verbo serius.*

καὶ γὰρ καὶ σεμνὸν, καὶ ἄτυφον, καὶ φοβερὸν, καὶ προσηνῆ, καὶ ἀρχικὸν, καὶ κοινωνικὸν, καὶ ἀδέκαστον, καὶ θεραπευτικὸν, καὶ ταπεινὸν, καὶ ἀδούλωτον, καὶ σφοδρὸν, καὶ ἥμερον εἶναι δεῖ.

Exempla huius Episcopalis virtutis posteris imitanda, sancti Patres pleraque conspicua in suis moribus præbuerunt. De grauitate in vultu, legimus in gestis sancti Cypriani proditum: *habebat semper vultum hilarem, sed grauem; vt non internosceretur an potiùs esset amandus vel timendus, quamuis vtrumque mereretur.* Sic memoratur S. Chrysostomus simul fuisse grauis atque affabilis, & libentissimè audiisse ad se accurrentes: at numquam sine graui aliquo documento remisisse. Idipsum de sancto Ambrosio legitur. In encomio sancti Maximi Regiensis Episcopi, illustre virtutis huius

exemplar, graphicè delineatum à Fausto (Regiensi post illum quoque Præsule) conspicimus. *Eminebat vt sic dixerim* (inquit ipse Faustus) *in ipsô habitu animi fortitudo: in specie exteriori ipsam putares expressam imaginem sanctitatis; terribilis incessu, reuerendus aspectu,* &c. *metuendus seueritate, benignitate venerandus: auctoritatis censuram humilitatis mansuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis austeritas, sed cordis serenitas blandiebatur: ac sic conniuente in hoc diuersitate gratiarum Paulus apparebat in vultu, Petrus in spiritu. Huius enim pietatis æmulator, illius autem simulachrum erat grauitatis. Ita vt cùm eius præsentiam vix sustineres, ferre non posses absentiam.* Hæc Faustus in Homilia in S. Maximi natali habita: quam tamen Cardinalis Baronius Eucherio Lugdunensi attribuit: sed Sauaro in notis ad epist. 3. lib. 9. Sidonij Aruernensis, dictatam à præfato Fausto esse ostendit. Hanc & eius nomine nuper publicis commodis dedit, ac edidit Gallicâ phrasi quàm eleganter expressam, illustrissimus ac reuerendiss. D. Ludouicus d'Attichi Episcopus Regiensis, perdignus S. Maximi successor, vtque hæres Cathedræ & doctrinæ, sic integritatis & grauitatis imitator eximius. Cæterùm nonnulla sunt quæ Episcopo decus grauitatis conciliant, & sine quibus vix eius laudem, queat iusto titulo promereri. 1. Siquidem exigit ipsa Episcopalis grauitas, vt Præsul se quisque, Patrem & Pastorem esse vbique memoretur, & tam in Ecclesia quàm foris, suum gradum & ordinem præ oculis habeat. Concilij Tridentini cap. 17. session. 25. de reformat. huc spectat memorabile monimentum, hac constans verborum serie. *Non potest sancta Synodus non grauiter dolere, audiens Episcopos aliquos sui status oblitos, Pontificiam dignitatem non leuiter dehonestare: qui cum Regum ministris, regulis & baronibus, in Ecclesia & extra indecenti quadam demissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris * nimis indignè non solùm loco cedunt, sed etiam illis personaliter inseruiunt. Quare hæc & similia detestans sancta Synodus, sacros canones omnes, Conciliáque generalia, atque alias Apostolicas sanctiones, ad*

Vide Martyrol. Gall. die 27. Nouemb.

* *Clercs de Chapelle.*

dignitatis Episcopalis decorem & grauitatem pertinentes renouando præcipit, vt ab eiusmodi in posterum Episcopi se abstineant: mandans eisdem vt tam in Ecclesia quàm foris, suum gradum & ordinem præ oculis habentes, vbique se Patres & Pastores esse meminerint. Reliquis verò tam Principibus quàm cæteris omnibus, vt eos paterno honore ac debita reuerentia prosequantur.

2. Confert ad grauitatis Episcopalis tenorem, vt Episcopus decenter stipatus incedat per ciuitatem & diœcesim: & non vno vel altero tantùm Clerico, quoniam ex tam exili comitatu gignitur facilè contemptus. Quamobrem sanctus Gregorius Paschasium Episcopum Neapolitanum olim reprehendit, scribens ep. 31. lib. 11. ad Anthemium Subdiaconum. *Hoc quoque* (inquit) *eius culpis adiungitur, quod ita quotidie despectus, cum vno aut duobus Clericis, dicitur ad mare descendere, vt & apud suos in fabula sit, & extraneis sic vilis & despicabilis videatur, vt nihil habere Episcopalis vel ingenij vel reuerentiæ videatur.* 3. Ad Episcopalis quoque grauitatis spectat officium, vt Episcopus in conspectu mulierum hilarem faciem non ostendat, sicut admonet Sapiens*: *filiæ tibi sunt, noli faciem hilarem ad eas ostendere.* 4. Ob eandem causam cauere debet à nimia familiaritate cum domesticis, potissimùm cum fœminis consanguineis: familiaritas enim nimia parit contemptum: & frequentatio illa crebrior, suspiciones nonnunquam & periculum ingerit. Hinc in summa distinct. 24. domesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem, Episcopum vitare oportet, iuxta documentum Nicolai Papæ ad Albinum Archiepiscopum can. *Quorumdam relatione*, eadem dist. num. 1. V. Grauitatis studium ab Episcopo etiam postulat, vt quoties spiritualibus intendit, omnia alia negotia abiiciat etiam si essent tractanda cum Regibus: Leuit. 22. idcircò habetur, *quòd Pontifex indutus sacris vestibus, non discooperiat caput suum.* Exemplum æterna dignum memoria præstitit hac in re sanctus Ludgerus Episcopus Monasteriensis, qui cùm aliquando diuinum officium persoluens, à Carolo Magno Imperatore voca-

* *Eccl.* 45.

retur, ire recuſauit donec officium abſoluiſſet: piè ac prudenter ratus, ante omnia debitum diuinæ Maieſtatis cultum referendum eſſe; nec quicquam contemptus irrogari, cùm cuiuſuis obſequio diuinum antefertur. 6. Denique conuenit Epiſcopali grauitati, vt Pontifex à nugis verbiſque ludicris, & multomagis à ſcurrilibus quibuſque, abſtineat. Præclarè ac ſapienter ſanctus Bernardus, ſuper hac cautela Eugenium Papam admonebat lib. 3. de Conſid. c. 13. *Cauendum* (inquit) *& in otio, otium eſt. Fugienda proinde otioſitas mater nugarum, nouerca virtutum. Inter ſæculares nugæ ſunt, in ore ſacerdotis blaſphemia. Interdum tamen ſi incidant, ferendæ fortaßis, referendæ numquam. Magis interueniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum ſanè in ſerium quid, quod non modò vtiliter, ſed libenter audiatur. Conſecraſti os tuum Euangelio: talibus iam aperire illicitum, aſſueſcere ſacrilegium eſt. Labia ſacerdotis, ait*, cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirant de ore eius: non nugas profectò vel fabulas. Verbum ſcurrile, quod faceti, vrbaníve nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum. Fœdè ad cachinnos moueris, fœdiùs moues. Porrò detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, facilè non dixerim.* Atque hactenus de grauitate Epiſcopali, aurea ponderoſitate, vt ita dicam, ſignificata.

* *Malach.* 2.

V. Aurum *valore* cæteris aliis metallis antecellit, non tam raritate quæ rebus pretium facit, quàm perfectionis naturalis excellentiâ. Vnde à Græcis nomine auri diuitiæ quæque & fortunæ deſignantur. Nam χρύσον quod vocant, opes & copiam denotat: quæ nimirum ab eo qui auro affluit, hoc ipſo pignore poſſidentur. Nihil materiale eſt in ſacris quoque ſcripturis, quod pretioſius cenſeatur auro. Hinc illæ Pſalmiſtæ voces Pſalm. 18. *Iudicia Domini vera iuſtificata in ſemetipſa, deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multùm.* Et Pſalm. 118. 127. *Ideo dilexi mandata tua, ſuper aurum & topazion.* Vtrobique ſanctus Hieronymus legit *ſuper aurum obrizum, pretioſum*, lapidis pretioſi ſuppreſſo nomine: quaſi aurum etiam gemma

ſit pretioſa, gemmæque valor atque decor, in auro maximè puriſſimo contineatur. Idcircò aurum ex paradiſo Eden defluit *Geneſ.* 2. auro ſanctuarium Dei totum exornatum rutilat, *Exod. & Leuit.* paſſim: cœleſtíſque aulæ, quam conſpexit beatus Ioannes, apparatus omnis, aureo coruſcat decore. *Ipſa verò ciuitas aurum mundum, Apoc.* 21. & platea eius aurum mundum, *ibidem.* hincque triumphanti ſupernæ Ieruſalem, inferior concinit.

Noua veniens è cœlo,
Nuptiali thalamo,
Præparata vt ſponſata
Copuletur Domino:
Plateæ & muri eius
Ex auro puriſſimo.

Pontifex Leuiticus ſacro inſignis habitu, totus ferè auro indutus erat. Auream ſiquidem laminam ſolus gerebat in fronte, ſuperhumerale eius ex auro contextum erat, & hyacintho & purpura, coccóque bis tincto, *&c.* Rationale ex auro quoque ac hyacintho & purpura *&c.* conſtabat: ſtringebatur verò catenulis duabus ex auro puriſſimo, quæ vncinis aureis erant inſertæ, anulíſque itidem aureis quatuor, infixis quatuor angulis: aliiſque adhuc anulis itidem aureis quibus ſuperhumerali rationale aptaretur. Ad oram tunicæ Pontificalis appenſa erant tintinabula aurea, cum malogranatis quoque alternatim interſertis. Auro itaque vndequaque fulgidus erat Pontifex. Sed præclarè admonet Sapiens Eccleſ. 45. non ſic Dei iuſſu fuiſſe illum adornatum, vt ſplendore auri coruſcaret: verùm vt intelligeret, ſe hoc ſplendido ornatu admoneri interni decoris, quo ipſum conueniebat coram Deo enitere: ſpectatæque morum ſanctimoniæ, cuius exemplar ſeipſum præbere populo perfectæ ſtudio virtutis oportebat. *Beatificauit* (inquit) *illum in gloria & circumcinxit eum Zona gloriæ, & induit eum ſtolam gloriæ, & coronauit eum in vaſis virtutis. Corona aurea ſuper Mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris, opus fortitudinis.*

Antiſtitem legis gratiæ, hoc quoque ornatu præſta-

re Apoſtolus ſatis inſinuat condecere. *Oportet* (inquit) *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, modeſtum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, ornatum* (Græcè κόσμιον) ſcilicet non tam comptè indutum, quàm perfectâ virtute inſignitum. Quantùm cæteris metallis aurum antecellit, tantùm Epiſcopus debet reliquis fidelibus ſupereminere. Doctrina celebris eſt ſancti Dionyſij, tres in Eccleſia eſſe ordines hierarchicos, per quos opus ſalutis & animarum ſanctificatio, continuo actu peragitur: triplici diſtinctos ſcilicet operationis gradu. Nam diaconorum eſſe munus purgare, porrò illuminare ſacerdotum, at verò perficere Pontificum. Pontifices ideò clarum eſt debere eſſe perfectos, nemo enim dare poteſt quod non habet. Quî fiat igitur vt perfectionem conferant, qui perfectione carent? Et verò quod ſpectat ad excellentiam dignitatis, quilibet Epiſcopus hoc titulo perfectus eſt. Apex eſt enim ſacerdotij Epiſcopatus, nec ſuperior datur gradus in Eccleſiaſtica hierarchia. Quapropter nec ſummus Pontifex, in extenſis diplomatibus quas bullas vocitant, alio, quàm Epiſcopi nomine ſe inſcribit, aut ſubſcribit Apoſtolicis literis, quas conſiſtoriales appellant. Epiſcopatus enim eſt Eccleſiaſtici honoris faſtigium, nec quid quoad ordinem maius in Eccleſia eſſe poteſt*.

* *Vide lib. noſtrum de Epiſc. Monog. part. 2. cauſa* 8. *&* 9.

Hoc igitur intuitu Epiſcopi omnes generali modò, communique iure ordinationis perfecti ſunt & dicuntur. At aliud eſt, aliquem eſſe perfectum, & in ſtatu eſſe perfectionis. Omnes certè Epiſcopi in ſtatu perfectionis ſunt, & quidem acquiſitæ. Non quæ actu in conſecratione conferatur (intelligo hîc moralem perfectionem) ſed quæ ſupponitur in ordinato acquiſita. Enimuerò vt ex ſancto Dionyſio *obſeruat ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. 184. art. 5. *Summus ſacerdos* (id eſt Epiſcopus) *in ſua ordinatione habet eloquiorum ſanctiſſimorum ſuper caput impoſitionem, vt ſignificetur quod ipſe eſt participatiuus totius hierarchicæ virtutis, quam in alios per actus ſacri officij diffundit.* Cæterùm etſi hoc ipſo, perfectionem moralem ſe quoque amplexum profiteatur: in

* *Cap.* 5. *Eccl. hierarch.*

genere moris, neutiquam tamen eo ipſo perfectus eſt: niſi omnis virtutis ſtudia conſectetur, ac reipſa ornatus ſit Chriſtianæ perfectionis panopliâ. Eapropter Apoſtolus, in Epiſcopo duo potiſſimùm requirit. Primum, vt ſit *ſine crimine*, quæ eſt negatiua perfectio. Alterum, vt ipſe non loco ſolùm, ſed merito arcem teneat ſanctitatis; ſéque ipſum exemplar omnibus numeris abſolutæ virtutis, populo Chriſtiano exhibeat. *In omnibus* (inquit ad Tit. 2.) *teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate.* Et rurſus ad Timoth. 1. epiſt. cap. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Vbi exemplum priori loco legitur, Græcè extat τύπον, ſiue exemplar. Quam voculam ſic expendit ſanctus Chryſoſtomus, *ſit doctrina exemplar & virtutis; tua ſpeculum vita quod omnibus proponitur ad imitandum, veluti archetypus & primitiua quadam imago, in ſe habens quæcunque bona & honeſta ſunt.*

Vocabulum ſpeculi, quo hîc vtitur, archetypi myſtici huius perfectionem deſcribens, mihi in mentem reuocat illud Apocal. cap. 21. *ciuitas ipſa aurum mundum, ſimile vitro mundo:* ſeu cryſtallo, quo nimirum ſpecula conficiuntur. Aurum materiale, tametſi fulgidum ſit exteriori ſplendore: opacum eſt tamen interius, nec diaphani corporis internâ claritate præſtat. At myſticum aurum, quale in ciuitatis Dei ſtructura ac ornatu conuenit coaptari, intrà extráque lucidum eſt: adeo vt ſpecula inde efformentur, quibus impreſſa ſimilitudo diuinæ perfectionis in intuentes traiiciatur. Speculum, typus, ac exemplar eiuſmodi, quiſque Prælatorum eſſe debet. Sed aurum illud non in fodinis naſcitur humanæ poſſeſſionis. A cœleſti mercatore, Epiſcopus illud emere poteſt: à quo blandis his vocibus inuitatur, ad illud non tam acquirendum pretio quàm prece obtinendum. Monet ſiquidem ne ita de ſe præſumat, vt theſaurum tam pretioſum, proprij ſui eſſe iuris arbitretur. Ne dicat ſcilicet, *diues ſum & locupletatus & nullius indigeo. Sed ſuadeo* (inquit) *tibi emere à me aurum, ignitum, probatum vt locuples fias.* Apocalypſ. 3.

Part. 2. lib. 1. Comment. super Apoc. ad c. 3.

Quem locum edisserens Richardus à sancto Victore. *Quid per aurum ignitum* (inquit) *rectiùs designatur quàm charitas? quæ vt aurum per charitatem fulget, & vt ignis per dilectionem feruet: quæ quoque in electis, in fornace tribulationis, iudicium subit examinationis. Dicit ergò: suadeo tibi à me emere aurum, id est charitatem, luce intimi splendoris fulgidam, feruore dilectionis ignitam, in electis meis per fornacem tribulationis probatam. Eme impensis orationis, à quo sunt certa bona spiritualis gratiæ. Quandiu namque sine charitate fueris, cæteris bonis ditari non poteris.* Hæc Christi sunt, ad Angelum, hoc est Episcopum Laodicenæ Ecclesiæ monimenta: quæ si quisque Episcopus velut sibi dicta (vt in vno sunt omnibus) acceperit, atque obseruare studuerit, aureo non modò anulo donabitur, à cœlesti mercatore: verùm & opibus incorruptibilibus, quæ gratiæ munera sunt locupletabitur, totúsque fiet ipse aureus, non tantùm quasi anulus pretiosus in digito Domini sui; sed etiam quasi candelabrum aureum, fulgens septuplici dono spiritus gratiæ *in conspectu Dei & Agni.*

CAPVT IV.

De forma, & ornatu anuli Episcopalis.

TOTA anuli originatio, ab *an*, particula, quæ circum significat desumitur: nihil aliud est siquidem anulus quàm circulus, quo digitus circumcingitur; seu linea quædam versatilis, quæ in gyrum se conuertens, perfectum circulum facit, & circa digitum (quem suo cingit ambitu) sese proprio nexu inflectit. De nuptiali anulo, speciali notâ mihi hîc dignum visum est, quod habet Sacerdotale seu Manuale sacerdotum Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis, in formula seu ritu celebrandorum sponsaliorum per verba de præsenti. *Postulabit* (sacerdos indutus sacris vestibus) *à futuro sponso anulum eúmque argenteum simplicem*

cem absque cælatura, gemma, aut literis inscriptis, vnà cum aliquo nummo vel pluribus in signum constituta dotis, quæ hac precatione benedicet, &c. *Cauebit autem parochus ne in eo actu nuptialis benedictionis, plures anulos benedicendos admittat, sed vnum duntaxat recipiat, in signum reiectæ polygamiæ à Christo, & eodem tempore & instanti, in vna eadémque persona.* Sequitur oratio *Creator humani generis*, &c. hæc ibi. Non disquiro impræsentiarum cur anulus iste, argenteus præscribitur: sat sit animaduertisse ex Clemente Alexandrino & Tertulliano, anulum nuptialem seu pronubum fuisse passim aureum, eundémque gemma fuisse insignitum, ex infrà dicendis palam constabit. Quis fuerit verò apud Ethnicos hac in re modus vsurpatus, peritis sæcularis literaturæ aduertere non arduum fuerit. Sanè primordiali vsu anulos, ex quo aurei esse cœperunt, fuisse simplices sine encausto, cælatura aut quouis alio extra metallum ornatu, ex profanis auctoribus planè fit exploratum. Ex quibus etiam colligere licet, postea vsum luxuriantis ætatis, signaturas pretiosis gemmis, quæ aureis anulis inserebantur, insculptum iri cœpisse. Certatim hæc omnes subinde imitatio lacessiuit, vt de augmento pretij, quo inserendos pretiosos lapides, sculpendósque exquisitiori artificio parassent, gloriarentur.

Probatus tandem hic vsus communi generis humani consensu. Clemens Alexandrinus vtriusque antiquitatis sacræ & profanæ solertissimus explorator lib. 3. sui Pædagogi caput 11. inter initium & medium, testis est, etiam apud Christianos vsum eiusmodi anulorum fuisse receptum. Quid insuper sculpi in his deceat, Christi docet ipse cultores. *Sint autem* (inquit) *nobis signacula, columba vel piscis, vel nauis, quæ celeri cursu à vento fertur, vel lyra musica, qua vsus est Polychrates, vel anchora nautica quam insculpebat Seleucus, & si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli & puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimenda facies, quibus vel solùm attendere prohibitum est: sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem persequuntur: nec iis*

αἱ δὲ σφραγῖδες,
ἡμῖν ἔστων πελειὰς,
ἢ ἰχθῦς, ἢ ναῦς
οὐριοδρομοῦσα.
ἢ λύρα μουσικὴ,
ᾗ κέχρηται Πολυ-
κράτης· ἢ ἄγκυρα
ναυτικὴ, ἣν Σέ-
λευκος ἐνεχαράτ-
τετο τῇ γλυφῇ·
κἂν ἁλιεύων τις
ᾖ, Αποστόλου με-

Dd

μνήσονται, καὶ τῶν ἐκ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων. οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον· οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται· οὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον, τοῖς εἰρήνην διώκουσιν· ἢ κύπελλα, τοῖς σωφρονοῦσιν· πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάστων, γεγυμνωμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας· ὡς μηδὲ ἐθελήσωσιν αὐτοῖς, λήθην ποτὲ ἐγγενέσθαι δυνηθῆναι τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων, διὰ τὴν ἐνδελεχῆ τῆς ἀκολασίας.

qui ſunt moderati & temperantes. Multi enim libidinoſi nudatos habent eos, quos amant vel amicas, vt ne ſi velint quidem, amatorias ex animo deponere perturbationes poßint, quòd libido & intemperantia eis perpetuò in mentem reuocentur. Hæc Pædagogus ille Chriſtianus, Chriſti fidelibus caſta, ſanctáque monita circa figuras, quas in anulorum gemmis ſculpi decet vel dedecet religioſè omnino ac prudenter proponebat.

Nec fruſtra quidem id monuit. Nam apud pios iam olim vſus, in rebus eiuſmodi, honeſti ac decori obſeruantiſſimus fuit. Apud Chriſtianos ſiquidem antiquos mos inualuit, vt ſponſalis anulus ſigno fidei, quod eſt hieroglyphicum mutui fœderis atque concordiæ ſculperetur. Id enim præ ſe ferunt coniunctæ ſimul dexteræ, etiam apud veteres Hebræos, à quibus pleraque in vſum Chriſtianorum defluxerunt. Porrectione autem dexteræ fidem ſponderi; Cælius Rodiginus lib. 4. cap. 3. necnon Pierius hieroglyphicorum lib. 35. cap. 25. antiquis ex monimentis, pro ſua ſingulari eruditione obſeruarunt. Porrò quod ad cæteros anulos attinet quos gerere ſolerent Chriſtiani: Chriſti nomine duabus literis ſic ſculpto inſigniri conſueuiſſe ☧ ex iis, quos è ruderibus defoſſos ſe vidiſſe Cardinalis Baronius tom. 1. Annalium ſub annum Chriſti 57. aſſerit, liquidò apparet. Qui erudiτiſſimus Eccleſiaſticæ antiquitatis indagator, eodem loco annotat ſigno crucis anulos Chriſtianorum conſignari ſolitos: idque elicit ex iis quæ ſanctus Gregorius Nyſſenus literis prodidit in vita ſanctæ Macrinæ virginis ſororis ſuæ, de eius anulo, crucis charactere inſigni. Sed Baronius eo loco non notat quod Nyſſenus ſignatim commeminit, anulum iſtum, cum pendula quam geſtabat ſancta hæc virgo è collo ſuper pectus cruce, fuiſſe ferreum; at in quo ligni ſalutiferæ crucis particula inſerta erat. quem ipſe anulum fortunato delectu, ſibi vt Gregorius enarrat*, in pignus ſanctæ recordationis, & piæ in Chriſtum & dilectam ei virginem deuotionis, retinuit.

*Tom. 2. p. 198.

Imaginibus quoque Sanctorum anulos conſignari ſolitos docet ſanctus Chryſoſtomus, oratione habita in

laudem beati Meletij, qua de Antiochenis tradit, ipſos eius imaginem in pala anuli expreſſam geſtare conſueuiſſe. *Non ad nomen autem ſolùm* (inquit) *adeò fuiſtis affecti* (Antiochenos his verbis alloquitur) *ſed ad ipſam etiam figuram corporis. Quomodo enim feciſtis in nominibus, hoc etiam feciſtis in illius imagine, etenim in palis anulorum, in poculis & in phialis*, &c. vbique, ſacram illam multi expreſſerant imaginem.

Cæterùm epiſcopales anulos conſueuiſſe iam olim gemmâ auro infixâ decorari, indicio ſunt, qui etiamnum plurimi ſanctorum Antiſtitum anuli oſtenduntur. Verùm Stephanus Duranti lib. 2. de ritibus Cathol. Eccleſiæ cap. 9. aſſerit in gemma quæ anulum decorat, nihil omnino exprimi oportere. *Anulus epiſcopalis* (inquit) *ex auro puro puto ſolidè conflatus conſtat, cum gemma pretioſiori, in qua nihil ſculpti eſſe debet.* Ne (vt reor) Epiſcopus, qui Eccleſiæ ſponſus eſt, alia cuiuſuis rei amatæ effigie, à ſponſæ quam ſacro ſibi connubio deuinxit, amore caſto auellatur aliqua etiam maiori ſpecie illectus. Verùm anulus ſancti Agilberti Epiſcopi Pariſienſis, quem apud Iotrum vidi ac contrectaui, ſic auro & gemma conſtat, vt tamen ſculptura patenti inſigniatur. Nam in gemmæ capitulo infixæ, proſpectu, inſculpta apparet ſancti Hieronymi, maximi Eccleſiæ Doctoris, effigies, cui obiicitur Chriſti ſeruatoris in cruce pendentis adoranda imago, eleganter eodem in lapide expreſſa.

Facilè tamen conciliari poteſt Duranti aſſeueratio, cum hoc vſu, præferendæ inſculptæ in gemma anuli pontificalis ſacræ figuræ. Idola ſanè in Chriſtianorum anulis efformari, vt ſuprà obſeruatum eſt, Clemens Alexandrinus non ferebat: imò neque alia vlla rerum ſimulachra quæ Chriſtianæ pietati atque puritati obicem vllum vel labem iniicerent. Meliori igitur ratione dicere liceat, non decere Epiſcopum, in gemma, inſerta myſtico quem gerit anulo, permittere, profanam vllam figuram inſculpi. Cæterùm nihil ſubeſſe dedecoris vel periculi, ſi pia aliqua repræſentatio eodem in lapide efformetur: imò hinc motiuum non

inane exarſurum non dubito, quo obtutus defigens in eiuſmodi ſignaculum Antiſtes, ad pietatem excitetur: figuræque ſacræ quam reſpicit, non modò venerationem, ſed & laudabilem æmulationem.

Secus eſt de Regio anulo, cui inſculptam fuiſſe iampridem apud Francos Regis imaginem, elicere licet ex horum hiſtoriæ monimentis, in quibus pro eadem re ſumitur, *obſignare anulo regio*, & *regiam imaginem imprimere*. Hinc in vita Burchardi Comitis, qui ſub Hugone Rege & filio eius Roberto flóruit, ſcribit Odo Monachus Foſſatenſis: *vt verò ipſius præceptionis* (Roberti Regis ſcilicet) *atque roborationis edictum per cuncta æui tempora inuiolabilem obtineret formitatis vigorem, more regali manu propria confirmauit, & anuli ſui impreſſione inſigniri iuſſit, quod Rogerius Cancellarius deuotè peregit.* Et infrà, *Conſcripto itaque teſtamento, ac monogrammate Regis manu facto, Franco tunc Cancellarius, poſtea verò Epiſcopus Pariſij factus, imaginem Regis impoſuit.*

Salomon Rex pacificus digito anulum portare ſolebat: (ſi Guillelmo Amero credimus, ita ex Ariſtia vt aſſerit, referenti lib 6. rerum naturalium) qui duplicem coronam, vnam ſpineam, alteram auream, & regiam ad inuicem inter ſe contextas proferebat; eíque ex vna parte, illa inerat inſcriptio, VICTORIA AMORIS, ex alia verò hæc, AMORIS COGNITA FORTITVDO. Ignorans autem Regina Saba quid ſibi vellent coronæ iſtæ & inſcriptiones earum, deprecata eſt Regem Salomonem, vt qui clauem ſcientiæ habebat, vtriuſque illius coronæ abditum ſacramentum reſeraret. Reſpondit ille, coronam Regiam, Chriſti venturi Regum Regis eſſe, quatenus Deus erat: ſpineam eiuſdem quatenus homo erat futurus: ſpineam tamen quam diuinus amor contexuit, victoriam de Regia reportaturam; idque prædictam epigraphem ſibi velle, *Amoris cognita fortitudo.* Hæc enim contra Deum præpotens adeò foret, vt Verbum diuinum miro modo expugnans, in terram deiiceret. Et cùm ſemen ſit Verbum Dei, Pater æternus mittens illud in terram, de qua præ-

dixerat, *ſpinas & tribulos germinabit tibi:* aſcenſuras Geneſ. 3.
ſpinas ac ſuffocaturas illud; fructum tamen Verbi neutiquam ab iis poſſe impediri, ſed ab illis hunc potiùs prouectum iri, ipſo Verbo dicente: *ſi granum frumenti* Ioan. 12.
mortuum fuerit, multum fructum affert. Multum quidem nobis, parum ſibi. Quia nobis gloriam eſſentialem, ſibi verbo ſolùm accidentalem foret venturus Meſſias promeriturus. Vnde contra rerum ordinarium morem, diuina operante virtute, tandem contingeret, vt *de ſpinis* Matth. 7.
homines *colligerent vuas, & de tribulis ficus.*

Hanc Ameri relationem haud ſic certam puto, vt pro re indubia hîc ipſam velim venditare. Ingenioſa eſt certè, quæ in ea narratio continetur: nec indigna prorſus viſa eſt, propter ipſius adinuentionis leporem, quæ hoc loco recenſeretur, ad lectoris pij & curioſi innoxium oblectamentum; cùm & documento non inſipido nec inutili, eadem poſſit, nonnihil inſinuando conferre. Sanè ſi Epiſcopus, anulo quicquam ſacro quem gerit inſculpi velit, à profanis imaginibus vel etiam vanis iconiſmis & hieroglyphicis cauere debet. Satius eſſet vt gemmæ inſitæ anulo nulla inararetur figura, aut inſcriptio: quàm quæ abſona eſſet à ſacræ dignitatis, qua præfulget, decoro, & piæ intelligentiæ ſenſu. Illud profectò quod ad omnes fideles monitum Apoſtolus dirigit, præſertim Epiſcopum ſpectat: *quæcunque ſunt vera, quæcunque ſunt pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate.* Philipp. 4. quæcunque talia ſunt igitur, Epiſcopus meditetur, menti incutiat, oculis obiiciat. Proteſtatur idem Apoſtolus, Philipp. 1. in præcordiis ſuis & vinculis fideles fuiſſe conſignatos. *Sicut mihi iuſtum eſt* (inquit) *hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quòd habeam vos in corde & in vinculis meis.* Vtinam huius imitatione, quiſque Prælatus, ſuis in inſignibus, quæque Dei gloriam & animarum ſalutem commendant, propriique eum officij commonefaciunt, ſignacula inſcribi ſtudeat, dictique Domini ſui memoretur. *Si mater oblita* Eſa. 49. 16.
fuerit filij vteri ſui, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in

manibus meis descripsi te. Cruentis scilicet illis characteribus, quibus immensum suum erga nos amorem, oppetendo mortem (nos vt viuificaret effusi sanguinis profluuio & extremi spiritus efflatu) ipse testatus est, *sponsus sanguinum, sic factus Ecclesiæ.* Nunquam deleatur de mente Episcopi tanti amoris memoria. Scribat in anulo pontificali quem oculis perenniter obuersat, ipsum seruatorem Christum, eiúsque insignibus, cruce, coronáque spinea, gemmæ insculptis affatim glorietur. Inscribat in circuitu suauissimum illud hieroglyphicum, *victoria amoris:* vel hoc aliud, *amoris cognita fortitudo:* vel aliud Apostoli, *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. aut quid simile, cuius intuitu in eius animo excitetur beneficiorum Christi recordatio, suúsque erga illum mutuus affectus accendatur.

Exod. 4. 25.

Tertullianus testis est in calicibus mystici veríque libaminis, sua ætate vsitatis, visum à se fuisse effigiatum, *bonum illum pastorem*, qui ouiculam perditam suis reuectam humeris, suas ad caulas referebat. *Procedant* (inquit lib. de pudicitia cap. 7.) *ipsa pictura calicum vestrorum* (Catholicos, hoc loco, à quibus infaustè discesserat alloquebatur) *vbi est ouis perdita, à Domino requisita & humeris eius reuecta.* In capitulo anuli pontificalis parabolam hanc effictam, si Episcopus gereret, ipsum in scopum profectò collinearet, quò tendebat vetus illa Ecclesiæ disciplina. Nam & Christi refricaret hoc obtentu, omni complectendam amoris cultu memoriam: insimúlque sibi stimulos hac ex figura ignitos ingereret, quibus pastorali in oues affectu, tam illustri incensus exemplo, animaretur. Certè sanctus Augustinus epistola 217. ad Victorinum Episcopum, vbi de tractatoria non rectè ab illo conscripta & directa, nonnihil expostulat, subdit in fine. *Hunc epistolam signatam misi, anulo qui exprimit faciem hominis attendentis in latus.* Nec explicat cuius hominis hæc figura esset. Consentaneum tanti Doctoris ac Episcopi pietati prorsus videtur existimare, non cuiusuis hominis, insculptam eius pontificali anulo fuisse faciem: sed eius potiùs imaginem, *qui cùm*

in forma Dei esset non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

Anuli at verò piscatoris quo pro signatorio indice, summus Pontifex in rescriptis breuioribus, vti consueuit, recordatio hîc non ineptè collimat. Cuius etsi rarior in veteribus sacrorum auctorum monimentis mentio reperiatur: antiquitatis tamen non leue, aut obsurum est indicium, Clementis Alexandrini (quæ extat libro 3. Pædagogi cap. 11.) huc satis patenter spectans auctoritas. Eo siquidem loco quo tractat de anulorum Christiano vsu. *Et si sit* (inquit) *aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli, & puerorum qui ex aqua extrahuntur.* Apostolus ille est Simon Petrus, cui IESVS dixit in nauicula, Lucæ 5. *Ex hoc iam eris homines capiens.* Quam salutis animarum artem, Petrus ipse dum hîc esset, omni cum seduli amoris instantia exercuit, & abhinc per successores in Catholica Ecclesia perpeti munere exercet. Ideóque etiamnum Papa, ex antiquo more, vtitur in obsignandis diplomatibus, quæ celeriori manu expediuntur, anulo piscatoris: quo Petrus ipse cernitur, è cimba, rete demissum in mare extrahens, mysticis plenum piscibus, quos de vndis non ad mortem rapit, sed ad vitam euehit, ex gurgite perditionis, felici decipula extractos.

In vetustissimis summorum Pontificum anulis signatoriis, seu sigillis quibus illorum rescripta obsignabantur, aliæ etiam figuræ expressæ cernuntur, quæ eximiam illorum pietatem clarè indigitant. Eusebij Papæ sigillum eius monogramma refert, ex vna parte, ex altera verò Christi nomen characterismo huiusmodi abbreuiato ☧, Græcorum more, expressum. Stephani Papæ sigillum sic conflatum est, vt ipsius Stephani nomen inter duo crucis signacula, impressum in antiqua parte appareat: PAPE verò in postica, eidem salutis signo suppositum. quo etiam modo expressa sigilla superstant Ioannis & Zachariæ Pontificum. In numismate tamen Constantini Papæ, de-

eſt in nominis eius inſcriptione ſignum crucis: quod nihiloſecius Papæ titulo, altera ſignato parte, præfixum eſt. Sergij Papæ, quod etiamnum oſtenditur ſigillum aliter delineatum patet, nam in anteriori circulo, eius nomen abbreuiatum, cum Papæ* integro vocabulo, crucis titulo ſubſignatur. Sic verò Apoſtolorum Principis expreſſum elucet nomen: vt præfixæ cruci ſubiaceat inſcriptio SCI·PTR. Extat & Siſinij Papæ, qui an. 708. per viginti tantùm dies Apoſtolico præfuit ſolio, penſile ſigillum plumbeum, duplici ſuperficie, quarum prior refert in circulo impreſſas Apoſtolorum Principum Petri & Pauli effigies; Petri dextram, Pauli leuam in proſpectu tenentes, eminentiori cruce, eorum apicibus, (quoad ſigni ſacri faſtigium) vtrique impoſita: ac ſic quoad extremam crucis partem collocata, vt inferior lineæ rectæ extremitas, humero vtriuſque Apoſtoli ad medium verſo, immineat: cruce ipſa extante intermedia. Clementis at verò tertij longè ſpectabilius eſt ſigillum: cuius profuſior circumferentia impreſſum, è nube apparentem Petro Apoſtolo, Dominum repræſentat, ſic cum ſupplici expreſſum ſchemate, ac ſitu, affantem.

*ſine diphthōgo.

Corrige, parce, feri, Petre, pande, memento mederi.

In altera ſuperficie viſitur Roma compendio expreſſa, crucibus eius arcibus impoſitis: cum hac epigraphe, intra numiſmatis meditullium, *aurea Roma*. In periſpheria verò exarata Pontificis inſcriptio patet hac ſerie, CLEMENTIS PAPÆ †THERÇII. Huic numiſmati apud Ciaconium *Romæ excuſum 1630. annectitur alius iconiſmus æreus, quo duo Principes Apoſtolorum exponuntur cum coruſco in modum circuli diademate. Petrus quidem ad leuam crucem ſublimem in modum haſtæ ſua dextera tenens. Paulus qui in ipſum obtutus defigit, à latere dextro expreſſus. E regione aliud minus eſt numiſma, quo Petrus ipſe ſolus effictus eſt, pluuiali ſacro inſignis, circulo radioſo caput ambienti fulgens, dextera ferens crucem, ſiniſtra clauem. Monet in ſubiuncto annotamento Andreas Victorellus, eiuſmodi monimentorum ſolertiſſimus collector

* *In analectis quæ ad eadem leguntur.*

ac

ac eruditus illustrator, alia inueniri signa Pontificum, quæ Petrum sine collega perferunt, sed Christo auspice. *Vt videre* (inquit) *in signo Alexandri II. in quo sanctus Petrus accipit à Christo clauem sibi dicente,*

Quod nectis nectam, quod soluis ipse resoluam.

Et in signo Victoris II. in quo sanctus Petrus similiter accipit clauem à Christo dicente,

Tu pro me nauem liquisti, suscipe clauem.

Præterea idem clariùs apparet in iconibus Lateranensibus Leonis III. in quibus sic sanctus Siluester *accipit à Christo Domino Pontificias claues. Ita Leo ipse Pontificium pallium à sancto Petro,* &c. Hactenus Victorellus.

Verùm hîc nimiæ digressionis, quispiam æquo rigidior, me forte insimulauerit, quòd nimirum extra oleas vagatus ab anulis deflexerim ad sigilla, & numismata, bullásque Pontificias (quo nomine, non iam literas Apostolicas, sed affixum his pensile sigillum Pontificium, ex plumbo conflatum, & Apostolorum iconibus Petri & Pauli in antica, characterismo autem Pontificij nominis insignitum in postica, iam passim intelligimus) quibuscum quid affinitatis habeat aureus anulus Episcopalis, de quo hîc suscepimus ex instituto disserere, vix percipi posse forsitan argutabuntur. Porrò leuior est hic obex, quàm vt progredientem me multùm remorari queat. Enimuerò etsi haud sim nescius diuersas res esse, sigillum, numisma; bullam, signum: si vt nomine dissonant, sic reipsa discretim considerentur. Nam sigillum, vt plurimùm, character est qui ceræ imprimitur. Numisma, idipsum aliquando quod nummus aureus, argenteus vel æreus; seu moneta, commercio vsualis. aliàs verò tesserarium est symbolum, quo Romani, vrbana sua facta seu castrensia, symbolicis notis, nummis suis sigillaribus insculpebant, ad horum perennem memoriam posteritati consignandam. Bulla at verò, signatorium illud numisma plumbeum; quo Apostolica diplomata obsignari solent. Signum denique apud Pontifices Maximos, prorsus differt à bulla & sigillo; quod piscatoris anulo in

cera exprimitur. Nam efformatur calamo in membrana, pone chirographum Papæ, consistoriales bullas (vt vocitant) syngraphâ suâ obsignantis : nihílque est aliud quàm breuis, ex Psalmis Dauidicis selecta sententia, in circulum inscripta monogrammatis Papæ, qui certa ex causa sibi eam appropriauit : qualis hæc erat, quam Vrbanus VIII. nuper humanis exemptus sibi mox ac electus est, assumpserat pro lemmate, ex Psalmo 25. *In Domino sperans, non infirmabor.* Et decessor eius Gregorius XV. ex Psal. 16. *Perfice gressus meos in semitis tuis.* Et sic quidem ex Maiorum more, vt antiqua anteriorum Pontificum diplomata, perspectum prorsus efficiunt. Vnde in fastis Pontificiis videre est, post electi inaugurationem epigraphem hanc sacram, quam sibi quisque eorum delegerit, hoc titulo subnotari : *signum Pauli Papæ V. vel Clementis VIII. aut Gregorij XIV.* &c.

Cùm igitur hoc discrimen, quod inter signum, bullam, numisma, sigillum, interest me non fugiat: haud abs re tamen, cùm de anulo signatorio agerem has ad species deflexi: quæ primitus à signo, quod per anulum exprimitur, defluxerunt : nam primus signandi modus, per anulum cœpit. Porrò cùm ex tenuitate anuli exile etiam sigillum eliceretur : commodius visum, sigilla præsertim magnorum Principum, ab anulo signatorio (cuius impressionis minor forma, maiestatem illorum non satis patentem referebat) vsu ac forma discernere. Inuenta quoque numismata & signa hieroglyphica, quæ expressas in anulis, vel gemmis iisdem insertis, symbolicas figuras vel epigraphes ampliùs dilatarent, atque ab iis etiam perferrent aliquando diuersas. Spectabat igitur & horum adminiculorum breuis saltem descriptio, ad accuratiorem anuli tractationem, à quo signandi res, mos primùm inoleuit.

Gemmæ igitur anulis, iam olim, tam apud sacros quàm profanos insertæ fuerunt : non tantùm ob decorem, at etiam propter signandi vsum, de quo infrà proprio sub programmate dicturi Christo auspice, sumus. Nec lubet hîc multùm exspatiari, accumulando

veterum Christianorum Doctorum, acerrima reprehensionum iacula, quibus ornatus huius excessum, gliscentémque in populum Dei, luxuriantis in hoc mundanæ ostentationis corruptelam, grauiter sunt insectati. Vnicum hoc Tertulliani telum, hîc deprompsisse satis erit, eius ex libro de muliebri habitu cap. 5. *Sed & lapillos istos* (inquit) *qui cum auro superbiam iungunt, quid aliud interpreter, quàm lapillos & calculos, eiusdem terræ minutalia, nec tamen haud fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis necessaria. Solum hunc mulierum stuporem ædificare nouerunt: quia tardè teruntur vt niteant, & subdolè substruuntur vt floreant, & anxiè forantur vt pendeant, & auro lenocinium mutuum præstant. Sed si quid de mari Britannico, aut Indico, ambitio piscatur, conchæ genus est, non dico conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. Ad hoc enim conchas nouerim maris poma. Quòd si concha illa aliquid intrinsecus postulat, vitium eius magis debet esse quàm gloria. Et licèt margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quàm conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca. Aiunt & de frontibus draconum gemmas erui, sicut in piscium cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerit Christianæ, vt de serpente cultior fiat? sic calcabit diaboli caput, dum de capite eius ceruicibus suis aut ipsi capiti ornamenta struit,* &c. *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum & Medorum cæterorúmque gentilium suorum, coram matronis erubescentem, nisi quòd nec ad ostensionem ferè habentur. Latent in singulis smaragdi, & cylindros vaginæ solus gladius sub sinu nouit: & in peronibus vniones emergere de luto cupiunt. Denique iam gemmatum habent, quod gemmatum esse non debet si non compareret: aut ideò compareret, vt neglectum quoque ostendatur.* Hæc vehementissimus ille vitij omnis luxúsque insectator Tertullianus, cuius verba verbera sunt, flumina fulmina.

Luxum eiusmodi in Christianis queisque non ita acriter, at non minus certè piè ac eleganter perstrin-

xit Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 12. cuius programma eſt, *quòd non oporteat gemmas & aureum ornamentum, ſtupere & mirari.* Quem in ſcopum ingenij neruos intendens, non tam ſuas vires quàm omnis literaturæ fontes exhauſit. Sed ſuperior eô martyrij titulô & Epiſcopatus infulâ, Cyprianus, ætate æqualis, doctrinæ compar, Chriſtiana aduerſus typhum ſæculi æmulatione nullatenus inferior, eo in tractatu quem ad magiſtri * imitationem conſcripſit, *de diſciplina & habitu Virginum*, expanſis eloquentiæ Chriſtianæ velis aduerſus gemmarum in anulis fulgentium exquiſitum ornatum altè declamitat, acritérque licèt columbino roſtro inuehitur. Citato enim Apocalypſis de perdita muliere vaticinio (c. 17.) *Mulier* (inquit) *illa* &c. *adornata erat auro & lapidibus pretioſis & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua, plenum execrationum & immunditiæ & fornicationis totius terræ. Fugiant caſtæ virgines & pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum. Clamat etiam Spiritu ſancto plenus Eſaias, & filias Sion, auro & argento ac veſte corruptas increpat, & obiurgat pernicioſis opibus affluentes, & à Deo per ſæculi delicias recedentes. Exaltatæ ſunt* (ait) *filiæ Sion & ambulauerunt alto collo, & nutu oculorum & inceſſu pedum trahentes tunicas, pedibus ſimul ludentes. Et humiliabit Dominus principales filias Sion, & reuelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam veſtis illarum, & ornamenta earum, & crines & cincinnos, & lunulas, & diſcriminalia, & armillas, & botronatum, & dextralia, &* ANVLOS, *& inaures, & ſerica contexta cum auro & hyacintho: & erit pro odore ſuauitatis puluis, & pro cingulo reſte cingens, & pro ornamento capitis aureo caluitium*, &c. *Hoc Deus culpat, hoc denotat, hinc corruptas eſſe virgines, hinc à cultu vero & diuino deſciuiſſe, pronunciat. Exaltatæ ceciderunt, comptæ turpitudinem fœditatémque meruerunt, ſerico & purpuram indutæ, Chriſtum induere non poſſunt.* Hæc pio feruens ardore beatus Cyprianus. Amator virginitatis ſanctus Hieronymus, modeſtiæque Chriſtianæ perpe-

* Tertulliani ſcilicet: nam ita eum Cyprianus vocitabat, teſte Hieronymo lib. de Eccleſiaſticis Scriptoribus, in eodem Cypriano.

tuus aſſertor, ac vindex Eccleſiaſticæ diſciplinæ, paræneticis ſuis ſcriptis, quibus vel virgines caſtis præceptis informat, vel viduas, aut coniugatas etiam Chriſtianas mulieres in ſalutis ſcientia inſtituit, totus ferè eſt in hac perſuaſione, vt ab omni gemmarum luxu, hoc eſt pompatico vſu, ſeu potiùs abuſu, tanquam à ſurrepentis peccati ſtimulis atque igniculis cauere ſtudeant diligenter. In epiſtola ad Lætam *de institutione filiæ* (locus hic enim vel vnicus, inſtar multorum meritò eſſe poteſt) ſtupendum refert caſum & occaſum Prætextatæ nobiliſſimæ fœminæ, diuinitus correptæ formidabili iudicio: ob id quod Euſtochij virginis, viri ſui neptis caput, iuſſu mariti, gemmarum inſignibus ornauerat, ádque genium ſæculi fœminarum, crines eiuſdem puellæ, iam Deo dicatæ, compoſuerat: demúmque enarrato hoc luctuoſo exemplo ſubdit: *Sic vlciſcitur Christus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit.* Paulò ſuprà verò grauiter Lætam admonuerat, ne ſuperfluis illis, & quia mundo gratis, Chriſto exoſis ornamentis, Paulam puellam, filiam ſuam oneraret potiùs quàm ornaret. *Caue ne aures eius perfores*, &c. *nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.*

At hîc mihi aptare poſſe, lectori meo fortaſſis videor: quod ſanctus ipſe Doctor Hieronymus, in exordio huius parænesis ſibi eueniſſe non diffitetur. Cùm enim de inſtitutione filiæ ad matrem exórſus eſſet ſermonem, ſenſim laxatis ferè ab exordio eloquij habenis ad recenſendum religionis Chriſti etiam apud Barbaros efflorentis glorioſa initia: repente digreſſum ſuum aduertens, ſe à ſcopo deflexiſſe nonnihil, ingenuè agnoſcit, & de diuerticulo rectam in ſemitam vltro ſe recepit ingenioſa hac præmiſſa excuſatione. *Penè lapſus ſum ad aliam materiam, & currente rota, dum vrceum facere cogito, amphoram finxit manus.* Sic & me aliò quàm quò tendebam diuagatum, impræſentiarum non abnuero. Cùm enim de gemma anuli epiſcopalis diſſerere ſtatuiſſem, ad gemmarum luxum, quo fœminæ paſſim

lasciuiunt, hócque nomine à sanctis Patribus reprehenduntur, volens nolens deflexi.

Veruntamen non abs re prorsus, ita à proposito speciali digressus sum, nam genus speciem includit. Absolutè supracitati Patres gemmarum ornatum damnare videntur: rotundéque Tertullianus pronunciat, earum ad pompam vsum à Deo reprobari. *Quod Deus noluit* (inquit) *non licet fingi. Non ergo naturâ optima sunt* ista (quoad vsum illum turgidum & inanem) *quæ à Deo non sunt auctore naturæ: sic à diabolo esse intelliguntur, ab interpolatore naturæ. Alterius enim esse non possunt, si Dei non sunt; quia æmuli sint necesse est, quæ Dei non sunt. Alius autem præter diabolum & Angelos eius, æmulus Dei non est.* Ita seuerus ille censor Tertullianus. Benigniùs at se hac in re beatus Hieronymus habet, qui cùm ad fastum regium gemmas etiam transiisse non obscurè subdoleat: Christianos Imperatores sui sæculi prædicat hoc nomine admodum commendabiles, quòd pretiosos lapides, supplicij Christi signaculo, suo in ornatu postposuerint, crucis Domini sui ignominiam, imò potiùs gloriam, omni gemmeo decoramento longè anteferentes. *Vexilla militum* (inquit) *crucis insignia sunt. Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat.* Nam super ipsa Regum diademata eminebat crux affixa, quemadmodum & sanctus Augustinus testatur, enarrat. in Psalm. 54. ad vers. 1. *Attende* (ait) *gloriam crucis: ipsius iam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultauerunt.*

Duriusculè reprehendisse in ipso Pontifice maximo, fulgidum hoc ornamentum, sanctus Bernardus videtur: qui suum Eugenium, in libris de consideratione plerisque locis, de vestium decore & gemmarum splendore, non obscurè sugillat. *Nudus ingressus es* (ait lib. 3. cap. 9.) *de vtero matris tuæ. Nunquid infulatus, nunquid micans gemmis, aut floridus sericis aut coronatus pennis, aut suffarcinatus metallis?* Et lib. 4. caput 2. *Inter hæc tu Pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate:* & cap. 3. *Non nega-*

bis te esse Pastorem, ne cuius sedem tenes, te neges hæredem. Petrus hic est qui nescitur aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis: non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministri. His & similibus sancti Bernardi sententiis Petrus Molinæus sectæ perditionis minister, *in sua* (quam Papatus inscribit) *nouitate*, sæpe sæpius abutitur: vt Petro Papam esse aduersum, modis omnibus quibus calumniari lubet, persuadere possit. Sed mentita est iniquitas sibi. Nam iisdem de consideratione libris, luculenter atque magnificè sanctus ipse Bernardus (quem falsò iactat sibi adstipulari, impius ille Sedis Apostolicæ & vnitatis Ecclesiæ hostis) Papam agnoscit atque prædicat S. Petri hæredem ac successorem, Christíque verum esse Vicarium, & œcumenicum Ecclesiæ Pastorem atque doctorem. *Age indagemus* (inquit lib. 2. cap. 8.) *adhuc diligentiùs qui sis. Quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu Primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuël, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ sunt, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores & gregum Pastores: sed tu tantò gloriosiùs, quantò & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi adsignatos greges singuli singulos: tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium sed & Pastorum, tu vnus omnium Pastor.* Sanè innumeris locis operum suorum S. Bernardus hos Papæ titulos concelebrat, fasces Apostolicæ eius dignitatis & summæ in Ecclesia potestatis, omni cum animi demissione adorat. Quicquid igitur citatis antea locis, ad Eugenium scripsit: certè non intento dixit lædendæ sacrosanctæ Maiestatis Christi in terris Vicarij, at pio feruens zelo, sic contra aulicos mores, amariusculè inuehitur: vt nonnihil doleat ipsum Pontificem (quem nouerat cæteroqui sanctissimum) ex curiæ vitio cogi, quicquam pati superflui splendoris. Maluisset certè Eugenium

Petri miraculis, quàm Constantini metallis coruscare. Interim cultum sacræ dignitatis non damnat, solùm reprobat animi vitium : si hic ornatus ita affectaretur, quò posset sæcularis fastus, in personam, quæ eo nitet irrepere. Aliàs enim disertè concedit exterioris Papæ apparatus, receptum in Ecclesia vsum : vnde posteriori loco, quo seuerior videbatur, continuo verborum nexu subiungit : *Consulo hæc toleranda pro tempore, non affectanda pro debito* lib. 4. cap. 3. Idipsúmque præmiserat, at permiserat lib. 2. cap. 6. Adde quòd expresè profuséque Eugenium moneat, vt à persona sua discernat sedulò dignitatem, eodem lib. cap. 3. 4. 5. Proinde etsi ægrè illum non appetere, sed ægrè ferre vellet, vt priuatus homo, tanti honoris decus, ad quod non naturæ iure, sed gratiæ dono conscenderat : interdúmque consulat, hæc à se splendida insignia prudenti meditatione ire seiunctum. *Si cuncta hæc, veluti nubes quasdam matutinales, velociter transeuntes, & citò pertransituras dissipes & exsuffles à facie considerationis tuæ, occurret tibi homo nudus & pauper,* &c. Tamen nunquam consulit vt ornamenta actu deponat, quæ indicia sunt Pontificiæ dignitatis : quæque potiùs ad Dei cultum spectant, quàm priuatam personæ gloriam summo sacerdotio defungentis.

Cæteros at verò suprà inductos Patres, neutiquam vsum gemmarum ac pretiosorum lapillorum, absolutè in Christianis damnasse, aut damnare potuisse : at duntaxat abusum reprehendisse, promptum est ponere in prospectu. Tertullianus certè, qui reliquis hanc caussam acerbiùs perorauit, demum tamen eò deuenit, vt tametsi luxum eiusmodi à malo spiritu inuentum, vsurpatum verò in propriam virorum perniciem, à fœminis declamitet : gemmas tamen ipsas à Deo creatas fateatur, bonásque ex se ideò, proindéque & recto modo, & bono fine gestari posse non inlubenter agnoscat, in fine libri de mulierum habitu. Elegantissimus est locus, quo sic, pro corollario, disserit Ter Tullius ille Christianus. *Cæterùm materiæ* (ait) *ex Deo sunt. Non statim & huiusmodi fructus, latere in omnibus quæritur.*

Et

Et vnde ſint conchæ & quâ diſpoſitione decurrant, & vbi collocentur. Nam & omnes iſtæ profanæ ſpectaculorum ſæcularium voluptates, ſicut de ipſis ſuum volumen edidimus; ipſa etiam idololatria, ex Dei rebus conſtat: non tamen ideò Circi furoribus, aut arenæ atrocitatibus, aut ſcenæ turpitudinibus, Chriſtianum affici oportet, quia Deus, & equum & pantheram & vocem homini dedit; nec ideò idololatriam impunè faciet Chriſtianus; quia Dei conditio eſt thus, & merum, & ignis qui veſcitur, & animalia quæ victimæ fiunt, cùm & ipſa materia quæ adoratur Dei ſit. Hæc magnus Tertullianus, vbi perſpicax nullus eſt, qui non animaduertat, illum ſequiorem rerum vſurpationem ſolùm inſectari: neutiquam porrò abnuere, quæ recto modo fit, eſſe legitimam earundem vſitationem. Nam quæ aſſumit ſelecta rerum exempla, id propalam indicant, thus nimirum, ignis & victima: quibus etſi Ethnici abuſi fuerint, à recto fine & proprio obiecto, hæc aliáque detorquentes: nemo tamen inficias ire idcircò iure potuerit, iuſtô hæc ipſa titulô, ad Dei cultum referri; à quo profecta per creationem, rectè per religionis officium, tanquam ad fontem vnde primitus defluxerunt, reuocantur. Quid quod ipſe Tertullianus, in his omnibus exceſſum tantùm reprehendat, moderatum probet vſum, dummodo non in malum finem deflectat, at legitimo naturæ commodo vel decoro obſequatur? Vnde eleganti epilogiſmo concludit. *Nam vt quæque rerum, per ſingulas quaſque terras, & vnamquamque regionem, materiis, à Deo diſtributa ſunt, inuicem ſibi peregrina apud exteros, mutuo rara apud nos iure, ſi vtique appetuntur vel negliguntur: quia non tantus eſt in illis feruor gloriæ, inter domeſticos frigidæ. Sed enim ex poſſeſſionum diſtributione, quam* DEVS *vt voluit ordinauit, raritas & peregrinitas, apud extraneos ſemper gratiam inueniens, de ſimplici cauſa non habendi, quæ* DEVS *alibi collocauit, concupiſcentiam concitat habendi. Et hoc vitium extenditur, immoderatè habendi: quod & ſi fortè habendum ſit, modeſtia tamen debetur.* Non excludit igitur lapillorum pretioſorum vſum, à rebus humanis, ſed in ho-

minibus huius vſitationis immunem à culpa modum exigit, quo decenter, & ſine creatoris offenſa, ac proximi læſione, perferantur.

Certè in ſcripturis ſanctis, fœminæ ſpectatæ virtututis ac pietatis commendantur, quæ his ornamentis bono fine vſæ ſunt. Sic Iudith progreſſura ad liberandum populum ſuum ab imminenti excidio, *induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, aſſumpsítque dextraliola, & lilia, & inaures, & anulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem, quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat. Et ideò Dominus hanc illi pulchritudinem ampliauit, vt in incomparabili decore, omnium oculis appareret.* Iudith 10. Ita & Eſther laudatur, quòd quidem cultum muliebrem, proditura primùm ad Regem Aſſuerum, non quæſierit, ſed tamen quæcunque voluit Ælius Eunuchus, *cuſtos virginum, ei ad ornatum dare, acceperit,* non vt ſibi, ſed Regi placeret. Eſther 2.

Gemmarum verò etiam in ſacris vſus, quòd Deo probatus hactenus fuerit, vtriuſque teſtamenti paginæ ſatis ſupérque docent. Cùm tabernaculi ſui Deus ſtructuram diſponeret, Exod. 35. dedit expreſsè Moyſi in mandatis, vt lapides pretioſos quos ſpontaneo animo quiſque ex filiis Iſraël, ad ſui cultus decorem foret oblaturus, gratis oculis acceptaret. *Omnis ſpontaneus & prono animo offerat Domino primitias, aurum & argentum & æs: hyacinthum, purpuram, coccúmque bis tinctum & byſſum,* &c. *lapides onychinos & gemmas ad ornatum,* &c. Ezechiel. 28. decora Angeli perduellis, quibus ante lapſum claruerat, ſub pretioſorum lapidum ornatu multiplici recenſet. *In deliciis* (inquit) *Dei Paradiſi fuiſti. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum. Sardius, topazius & iaſpis, chryſolitus, & onyx, & berillus, ſapphirus, & carbunculus, & ſmaragdus; aurum opus decoris tui, & foramina tua, in die qua conditus es, præparata ſunt.* In Euangelio ſeſe Dominus ipſe aſſimilat mercatori *quærenti bonas margaritas, quas tanti fecerit, vt vnâ pretioſiſſimâ inuentâ,*

omnia dederit sua, vt compararet eam, Matt. 13. In regno Dei gemmas & margaritas vndequaque nitere, speculator eius gloriæ Ioannes Apocalypsis 21. signatim asseuerat. *Et erat* (inquit) *structura muri eius* (scilicet supernæ Ierusalem) *ex lapide iaspide: ipsa verò ciuitas aurum mundum simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis: secundum, sapphirus: tertium, calcedonius: quartum, smaragdus: quintum, sardonix: sextum, sardius: septimum, chrysolitus: octauum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chrysoprasus: vndecimum, hyacintus: duodecimum, amethystus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis*, &c. Quid quòd thronus ipse diuinæ Maiestatis gemmeo decore rutilat? *iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ*, Apoc. 4. Imò & gloriæ possessionem, suis electis sub lapillis pretiosis pro præmio repromittit, Apoc. 2. *Vincenti* (ait) *dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Hoc enim loco, sunt qui per calculum, carbunculum interpretentur, quo significetur Christus, qui in tenebris lucet instar carbunculi: mundúmque vniuersum postquàm doctrinæ & gratiæ suæ splendore illustrauit, semet *in splendoribus Sanctorum* ipsis dabit in præmium; quo ipsi collustrati (vt Apostolus docet) *in eandem imaginem transformentur, à claritate in claritatem, tanquam à spiritu Domini.* In cuius pignus sperandæ gloriosæ speculationis, piè ac religiosè Francorum proceres iamdudum exuisse anulos, cum gemmis rutilantibus: iis vt diuina sacraria, & Sanctorum lipsanothecas exornarent; insigni monimento est quod apud Sugerium legitur, in lib. de rebus in sua administratione gestis cap. 31. *In tabula illa* (inquit) *quæ ante sacratißimum corpus* (sancti Dionysij) *aßistit, circiter* XLII. *marcas auri, posuisse nos æstimamus. Gemmarum pretiosarum multiplicem copiam, iacinctorum, rubetorum, sapphirorum, smaragdinum, topaziorum, necnon & opus discriminantium vnionum, quantum nos reperire num-*

Matth. 13. 45.

Ambrosius Ansbertus in hunc locum Apoc. 2. 17.

2. Cor. 3. 18.

quam præſumpſimus. Videres Reges & Principes, multóſque viros præcelſos; imitatione noſtra digitos manuum ſuarum exanulare, & anulorum aurum & gemmas, margaritáſque pretioſas, ob amorem ſanctorum Martyrum, eidem tabulæ infigi præcipere.

In pignus quoque æternæ hereditatis, propter eminentem charitatem, tale munus è ſupernis, à Chriſto miſſum ſancto Lupo Archiepiſcopo Senonenſi, miræ ſanctitatis ac pietatis Confeſſori (cuius etiamnum opitulationum gloria, longè latéque promicat toto Galliarum ambitu) ab anonymo auctore ſed fide digno, & antiquitate ſpectabili, in eius vita narratur *. *Quodam Dominico die* (inquit) *in Bardone prædio, Euchariſtiæ myſterium illo conſecrante, coram ſacerdotibus & Leuitis, gemma cœlitus labebatur in calicem, inter manus illius, corporis & ſanguinis Domini commixtionem celebrantis. Quæ gemma radio micante pulcherrima, diu apud Senones conſeruata: Rege iubente, inter reliqua Sanctorum pignora, in eius palatio repoſita eſt. Apparet hinc quàm Chriſtus hunc charum habuerit, inter cuius manus, hoc præclariſſimum edidit miraculum.*

* *Apud Suriū 1. Septēb. tom. 9.*

Gemmam fuiſſe ſacerdotum, eundem Beatum, in eius Natalis ſacris præconiis Eccleſia modulatur. Id eo concentu geſtiens, vt tanto exciti exemplo Epiſcopi, ſic gemmas in mitris & anulis perferant, vt ipſi in ſanctuario Dei enitere ſtudeant ſanctimoniæ radiis, & ſicut viui lapides pretioſi, omnium in conſpectu appareant; ſuarúmque virtutum fulgoribus, intuentium mentes colluſtrando, perfundant ſpirituali lætitia, pióque affectu alliciant ſedulæ imitationis, & ſpe præmij repoſitæ gloriæ. Sic magnus Ambroſius in Eccleſia coruſcabat: cui ideò accinit Ennodius epigrammate 77. de eius moribus, ac vita Deo digna, hominibúſque gratiſſima.

Serta redimitus geſtabat lucida fronte,
Diſtinctum gemmis ore parabat opus.

Sic & Hilarius, de quo Fortunatus cecinit,

Hilarius famæ radios iaculabat in orbem,
Rite ſacerdotis penetralia iura gubernans.

Et infrà :

Ornatum Ecclesiæ pollens, diadema coruscum, Lib. 1. Carm.
In membris Christi, capitis velut infula fulgens.

Ita & Martinus, charus eius alumnus, & deinde compar : de quo idem Fortunatus meritò prædicat lib. 3.

Vir cui digna foret, stola lactea & aurea fulua

Et lib. 4.

Tegmine vir niueus, miro diademate fuluus.

Et verò pretiosos lapillos gestari ab Episcopis, eô intentô Ecclesia voluit, vt gemmarum instar, in templo Domini collucerent : margaritorúmque quorum clarent ornatu, non solùm pulchritudinem, sed & vim ac excellentiam studerent seriò æmulari. Præclarè sanctus Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam de Tom. 3. veste Sacerdotali, hanc ex veteris Pontificis apparatu splendido, doctrinam elicit ac explicat. *Septimum* (inquit) *vestimentum* (Pontificis) *est mensura paruum, sed cunctis supradictis sacratius. Intende quæso animum, vt quæ dicuntur intelligas, Hebraicè vocatur hosen* חשן, *Græcè autem λόγιον, nos rationale possumus appellare: vt ex ipso statim nomine scias mysticum esse quod dicitur. Pannus est breuis ex auro, & quatuor textus coloribus, hoc est, iisdem quibus superhumerale, habens magnitudinem palmi per quadrum, & duplex ne facilè rumpatur. Intexti sunt ei duodecim lapides miræ magnitudinis atque pretij, per quatuor ordines, ita vt in singulis versiculis terni lapides collocentur. In primo ordine sardius, topazius, smaragdus ponitur. Symmachus dissentit in smaragdo, ceraunium pro eo transferens. In secundo carbunculus, sapphirus, iaspis. In tertio lyncurius, achates, amethystus. In quarto chrysolitus, onychinus, berillus. Satísque miror cur hyacinthus pretiosissimus lapis, horum numero non ponatur: nisi fortè ipse est alio nomine lyncurius. Scrutans eos qui de lapidum atque gemmarum scripserunt naturis, lyncurium inueniri non potuit. In singulis lapidibus, secundùm ætates, duodecim tribuum sculpta sunt nomina. Hos lapides in diademate Principis Tyri, & in Apocalypsi Ioannis legimus, de quibus cœlestis exstruitur Hierusalem, & sub horum nominibus, &*

ſpecie, virtutum vel ordo, vel diuerſitas indicatur.

Hinc & Antiſtites, qui gerunt gemmas in anulis, decet in earum delectu ſtudium adhibere. Sicut enim ſunt virtutes quædam Epiſcopis propriæ, quas ideò Apoſtolus eorum in ornatu ſpeciatim exigit : ſic & gemmæ nonnullæ ſunt aptiores, ad ipſas virtutes deſignandum. Quamobrem condeceret, vt inſeri anulis ſuis ſacris nullas alias gemmas Epiſcopi paterentur, quàm quæ ob myſticos ſignificatus, in ſcripturis ſacris, diuina ex approbatione commendantur. ſunt quidam myſtici ſcripturæ ipſius interpretes, qui ex hoc axiomate, adamantem reiiciendum putant ab Epiſcoporum ornatu : quòd ſcilicet ob inſuperabilem duritiem (qua pertinax coram Deo mens, & induratum cor innuitur) à Deo ipſo repudietur. Ideóque nec annumeratus reperiatur in catalogis myſticorum lapidum, quos ſuprà ex diuinis paginis retulimus. Verùm tametſi adamas in iis indiculis non recenſeatur, aliis ſcripturæ locis tamen inuenitur, meliorem in ſenſum receptus, v. g. Amos cap. 7. vbi enim Vulgata editio habet, *Et ecce Dominus ſtabat ſuper murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij ;* Symmachus ex Hebræo vertendum docet, *in manu eius adamas :* & pro, *ſtabat ſuper murum litum ;* S. Hieronymus in Commentario ad hunc locum legit: *ſuper murum adamantinum;* déque Chriſto, Eccleſiam ſuam ſuper inconcuſſa fundamenta extruente, locum hunc interpretatur. *Hic ſtat* (inquit) *ſuper murum adamantinum, id eſt ſuper ſanctos Apoſtolos ſuos, quibus donauit, vt à nullo ſuperati dicerent. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Et iterum, certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Rom. 8.

Verùm tametſi fortitudo illa, quæ in perferendis pro Chriſti amore diriſſimis quibuſque, maximè conſidet, ineluctabiliſque eius confeſſione ſita eſt; ad om-

nes Apostolos iure merito pertineat, qui & ipsi Ecclesiæ fudamenta sunt, iuxta illud Apocalyp. 20. *Et murus ciuitatis habet fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni*. Istúdque Ephes. 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum*, &c. Singulari tamen Primatus Apostolici prærogatiuâ, Petrus (vt notat sanctus Hilarius Comment. in Matth. cap. 16.) est Ecclesiæ fundamentum, quemadmodum ipse Dominus, suâ ad ipsum voce pronunciat: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* quapropter Petrum ipsum per adamantem, quem Christus habet in manu sua, speciali conuenientiâ designari, sanctus ipse Hieronymus ad præcitatum Amos vaticinium, hoc memorabili obseruandum monet documento. *Petrus erat fortissimus adamas, portæ inferi non præualuerunt aduersus eum*, &c. *Dominus qui stat super murum adamantinum habet in manu sua (hunc) adamantem: qui nisi Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem*, &c. *At intantum robustus est (Domino dicente nemo potest rapere de manu Patris mei) vt dicatur ei, si transieris per ignem, flamma non comburet te. Quantóque magis tentationibus cæditur, tanto fortior fit. Et pro nomine Christi, inter flagella lætatur*, &c. *Ponit ergo Dominus huiusmodi adamantem in medio populi sui Israël, & vltrà non transit eum, nec dimittit, vt dissipentur aræ quæ risu & subsannatione sunt dignæ. Et omnia hæreticorum mysteria, domúmque Hieroboam, qui primus Dei populum separauit, percutiat gladio.* Hactenus beatus Hieronymus de beato Petro, Ecclesiæ fundamentali adamante: de quo ipse ad Damasum; *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Petri Cathedræ communione consocior. Super hanc petram Ecclesiam ædificatam esse scio.* Et Augustinus Psalm. contra partem Donati. *Hæc est* (ait) *petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Propter huius priuilegij sacramentum, sunt qui existiment, etsi quisque Episcoporum possit pro arbitrio suo, quemcunque voluerit pretiosum lapidem, ad suo pontificali anulo inserendum seligere,

ipſúmque aſſumere adamantem: non decere tamen hanc vt gemmam, in ſuum vendicet vſum: propter myſterium ſignificationis, quâ Apoſtolicus principatus, & immobilis atque inconcuſſa in fide firmitudò, in Petro Apoſtolorum Primate, à Chriſto conſecrata, & ab hinc in eius ſucceſſoribus illibatè conſeruata, ſingularis indicetur, atque etiam incommunicabilis perſeueret.

Hoc vno igitur, propter myſticos præſignatos ſenſus, Apoſtolicæ Sedis ſummo Pontifici reſeruato: cæteri omnes quos celebrat ſacer textus, vt diuino delectu commendatos, potuerit etiam conuenienter Epiſcopus ſibi in vſum adſciſcere. *De natura igitur lapidum* (vt ſancti Hieronymi rurſus pronunciatis inhæream) *& per partes ſingulorum, non eſt huius temporis dicere. Neque enim ſemper dicenda ſunt omnia.* Nunc tantùm de carbunculo, ſapphiro & iaſpide diſſeramus. Carbunculus, qui paratur, ſeu per ordinem ſternitur, videtur mihi ignitus ſermo doctrinæ, qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda credentium. Hic eſt quem vnus de Seraphim tulit forcipe comprehenſum, ad Eſaiæ labia purganda. Qui naſcitur iuxta Geneſeωs fidem, in terra Heuilat, vbi eſt aurum optimum, carbunculus, & lapis praſinus. Porrò ſapphirus, qui ponitur in fundamentis, cœli habet ſimilitudinem & ſuperioris aëris: qui talis eſt, vt poſſit Ariſtophanicum dicere cum Socrate, ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον· quod nos in Latinum ſermonem vertere poſſumus, *ſcando aërem, ſolémque deſpicio.* Siue cum Paulo Apoſtolo, *noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Ezechielis quoque ſcriptura commemorat, quòd locus in quo Dei thronus ſit, ſapphiri habeat ſimilitudinem, & gloria Domini in hoc colore conſiſtat, qui portat imaginem ſupercœleſtis. Sed & tabernacula vrbis Dominicæ, hoc eſt murorum ſepta, iaſpide roborantur; qui poſſint omnem altitudinem, eleuantem ſe contra ſcientiam Dei deſtruere, atque conuincere, & mendacium ſubiicere veritati. Iaſpidum multa ſunt genera. Alius eſt enim ſmaragdi habens ſimilitudinem, qui repertus in fontibus

Eſa. 6.

S. Hieron. vbi ſuprà.

Philipp. 2.

bus Thermodoontis fluminis, & vocatur Grammarias, quo omnia phantaſmata fugari autumant. Alius viridior mari, & tinctus quaſi floribus. *Hunc in Phrygiæ monte Ida, & in profundiſsimis ſpecubus eius, naſci referunt. Alium verò iuxta Iberos, Hircanóſque, & mare Caſpium reperiri, & præcipuè iuxta lacum Neuſin. Eſt & alius iaſpis niui & ſpumæ marinorum fluctuum ſimilis, & clementer quaſi mixto cruore rutilans.*

Hoc diximus, vt vniuerſas gratias ſpirituales, in Eccleſiæ propugnaculis cognoſcamus: quas qui habuerit vanos timores fugat, & poteſt cum ſponſa dicere, fratruelis meus candidus & rubicundus. Portæ autem iſtius ciuitatis de lapide ſunt cryſtallo, qui ſculpitur variis modis: quo lapide nihil purius eſt. Denique vehementiſsimis Alpium frigoribus, & inacceſsis ſoli ſpeluncis, concreſcere aquæ dicuntur in cryſtallum, & tactu quidem lapidem, viſu aquam eſſe. Per quæ oſtenditur eos, qui in foribus Eccleſiæ ſunt, nullâ debere ſorde maculari, ſed fidei eſſe puriſsimæ, & dicere cum Propheta: à mandatis tuis intellexi; & illud audire: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Muri autem ciuitatis, ſiue termini, & πεϱίϐολος lapidibus electis extruuntur: quos reliquos lapides intelligere poſſumus, & omnes filios eius eſſe doctos, ſiue diſcipulos Dei. Hactenus ſanctus Hieronymus doctè & eleganter, de myſticis proprietatibus lapidum pretioſorum, qui in ſacris ſcripturis, ſpiritualis excellentiæ intellectu commendantur. Qua ex philoſophandi Chriſtiana arte, habet Epiſcopus, qui gemmam in anulo pontificali portat, methodum ſatis peruiam meditandi, quid ſibi velit ille quem gerit ornatus, qualis ſit ille quem auro incluſit lapis, quæ eius ſtructura, quæ proprietas eius, ac arcana intelligentia, vt à ſe exigere diſcat ſignificatum, cuius ipſa gemma, quam ſuis in oculis fulgentem intuetur, præfert myſterium. Cupidum ſane virtutum magis quàm ſplendidi gemmarum ornatus, ipſum Epiſcopum eſſe decet. Vnde eleganter ac acutè ſanctus Bernardus, non magni habitô hoc multiplici gemmarum ſplendore, Eugenio ſuo conſulebat, vt coruſcare virtutum ornamentis, magis quàm

margaritis contenderet. *Vendica tibi nobile genus, similibus moribus (Apostolorum quorum successor es): quod non aliunde nobile, morum ingenuitate, & fidei fortitudine fit. Per hanc vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromißiones. Hoc chirographum (& sigillum) paternæ tuæ hæreditatis: quod tibi euoluimus, vt inspicias portionem substantiæ, quæ te contingit. Induere fortitudinem, & hæreditasti. Poßide fidem, poßide pietatem, poßide sapientiam. Sed sapientia sanctorum, ipsa est timor Domini: & habes quod tuum est. Habes sine defraudatione integrum paternum fundum. pretiosißimus fundus, virtus est. Bonus fundus humilitas, in qua omne ædificium spirituale constructum crescit sanctum in Deo. Nulla splendidior gemma, in omni præcipuè ornatu Pontificis. Quò enim celsior cæteris (dignitate) eo humilitate illustrior apparet & seipso.* lib. 2. de consid. cap. 6. in fine.

Cæterùm Cardinalis Papiensis lib. 2. Comment. Paulum II. Pontificem nimij gemmarum studij ambitúsque non obscurè sugillat. *Porrò* (inquit) *gemmis lapillisque admodum delectatus est.* Verùm, vt videtur, non proprij vsus affectu: at pontificiæ maiestatis illustrandæ desideriô: quemadmodum ipse Cardinalis Papiensis subindicat, adiiciens: *Conquisitis vndique pretiosißimis, mitram quæ tribus educta coronis regnum appellatur, atque à Pontificibus, multis antè sæculis desita erat gestari, nouam confecit atque adhibuit: cuius hodie licitantium opinionibus, ampliùs centum & viginti millium est æstimatio.* Idipsum Ægidius Cardinalis Viterbiensis enarrat: *Incredibili pretio* (inquit) *emit sacrauitque mitram maximam: insolita pretiosißimarum gemmarum, toto orbe exquisitarum luce, exornauit ambitum trium coronarum*, &c. Explicatiùs ex Platina Ciaconius. *De apparatu Pontificio non est cur ambigatur, Maiores ab hoc vno superatos, regno præsertim (siue mitram velis appellare) in quod multas opes contulit, coëmptis vndique ac magni pretij adamantibus, sapphiris, smaragdis, chrysolitis, iaspidibus, vnionibus, & quicquid gemmarum in pretio est.* Quæ sane sacri insignis decoramenta, si ad

diuini cultus augmentum retulit hic Pontifex, laude profectò, non reprehensione dignus fuit. Certum tamen decessores eius minus fuisse huius splendoris in sacro apparatu sollicitos: vniones & gemmæ quidem in eorum Tiaris seu Mitris conspectæ, sed minori longè numero & pretio. Anuli Pontificij etsi etiam iampridem gemmeo capitulo enituerint: non tanti tamen valoris ac decoris, à priscis Hierarchis consueuerunt affectari. Quemadmodum ij esse possunt patenti indicio, qui etiamnum supersunt. Achates * potiùs in vsu fuit quàm adamas. Quoniam lapis anulo sacro insertus, potiùs ad mysterium sancti officij insinuandum, quàm quærendum ex rei pretio dignitati sacræ, adiectitium decus, adhibebatur. Sed de anuli sacri forma, decoro, ac qualitate abundè nimis, huc vsque pro instituto dictum.

* Galli *agatham* vocant.

CAPVT QVINTVM.

De vsu anuli.

De vsu profano primùm dicturis, nobis in mentem venit hic non illepidus Martialis versiculus de quodam ditiore delicatiore,

Per cuius digitos, currit leuis anulus.

Est siquidem ditiorum mos, dum otiosi sedent, anulos voluere, eósque sæpe extrahere & reponere. Ex oscitantia gestantium anulum id contingere, non ex eius instituto & natiuo vsu, nemo est qui non facilè animaduertat. Certè à signatorio anulo seu sigillaritio primùm se prodit eius ipsius vsus: nec enim apud Romanos tantummodò scripta mandata, anulo Principis obsignabantur, & apud priuatos secretiores epistolæ: sed & supellex penúsque, claudi & signari solebant; quemadmodum doctissimus Lipsius obseruat *in suis Commentariis in Tacitum.* Apud Græcos eundem viguisse morem Clemens Alexandrinus Pædagogi lib. 3. cap. 11. luculenter docet, vbi etiam, à viro

ſponſæ dari monet, non tam ornatus gratiâ, quàm familiaris œconomiæ obtentu.* *Dat ergo ei anulum aureum, non eum quidem ad ornatum, ſed vt obſignet quæ domi digna ſunt quæ cuſtodiantur: propterea quòd ſeruandæ domus, ad eam cura pertinet. ſi enim rectam Pædagogi inſtitutionem (domeſtici) probè ſequerentur, nihil opus eſſet ſignaculis, cùm omnes eſſent ex æquo iuſti, & ſerui, & domini.* Hac ratione negat Paulus Iuriſperitus *anulum inter ornamenta contineri* l. ſignatorius 74. ff. de verb. ſignif. & Vlpianus in l. argumento, ſignatorios ff. de auro & arg. leg.

* δίδωσιν οὖν αὐταῖς δακτύλιον ἐκ χρυσίου· οὐδὲ τοῦτον εἰς κόσμον, ἀλλ' εἰς τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλακῆς ἄξια, διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς οἰκουρίας. εἰ γὰρ εὖ πάντες ἦσαν παιδαγωγούμενοι, οὐδὲν τῶν σφραγίδων ἔδει, ἐπίσης ὄντων δικαίων καὶ οἰκετῶν καὶ δεσποτῶν.

In pignus tamen caſti amoris, & coniugij ſignaculum, conſueuiſſe pridem etiam apud Ethnicos, anulum vſurpari, ex Tertulliani citato ſuprà loco (ſcilicet ex Apologetico contra gentes) apertè conſtat. *Aurum* (inquit) *nulla nouerat præter vno digito, quem ſponſus ipſe oppignorâſſet pronubo anulo.* Conſentit Iſidorus lib. 19. Originum. *Fœminæ* (inquit) *non vſæ anulis, niſi quos virgini ſponſus miſerat, neque amplius quàm binos aureos, in digitis habere ſolebant.* Quem morem etiam tranſiiſſe ad vſum Chriſtianum, idem Iſidorus lib. 2. de diuinis Officiis cap. 15. his verbis meminit. *quòd in primis nuptiis anulus ſponſæ à ſponſo datur: fit nimirum, vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur,* &c.

Hinc ſacer anuli vſus primarius innoteſcit: nam in connubij celebratione, apud omnes cultores Chriſti nominis, ab omni retrò memoria, anulus ſolenni ritu conſueuit à ſacerdote benedici, & à ſponſo dari ſponſæ in ſignum caſtæ dilectionis, & ſocietatis indiſſolubilis pignus. Vnde ſancta Agnes gloriabunda dicebat, ſponſi ſui Chriſti, pudici in ſe amoris inſignia deprædicans: *anulo ſuo ſubarrhauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus, & tanquam ſponſam decorauit me corona. Poſuit ſignum in faciem meam, vt nullum præter eum amatorem admittam.*

Obſignandis literis adhibitum iam olim ſacri ſcriptores, tam veteris Teſtamenti, quàm noui, pleriſque

locis luculenter teſtantur. 3. Reg. 21. Achabi Regis Iſraël nomine, legimus, ab vxore eius Iezabel ſcriptas ad primores ciuitatis, cuius iuſtus Naboth erat incola, *literas, & obſignatas anulo eius.* Sic Eſther 8. pia illa Regina, cùm ſalutaria edicta pro populo ſuo dirigi per prouincias à Rege Aſſuero poſtulâſſet. *Scribite* (inquit Rex) *Iudæis ſicut vobis placet, Regis nomine, ſignantes literas anulo meo. Hæc enim conſuetudo erat, vt epiſtolis quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius anulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere.* Non longè ab hoc alludit more, quod proditum memoriæ reperitur, Daniel. 6. *Allatúſque eſt lapis vnus, & poſitus eſt ſuper os laci: quem obſignauit Rex anulo ſuo, & anulis optimatum ſuorum, ne quid fieret contra Danielem:* cui fore æquiores ac benigniores leones, quàm homines ſperabat. Iterúmque cap. 14. *Rex claude oſtium, & ſigna anulo tuo:* & infrà, *egreſſi clauſerunt oſtium, & ſignantes anulo Regis abierunt.* Signatorium huiuſmodi anulum moriturus Rex Antiochus fideli ſuo Philippo, cui filij regníque ſui curam ſupremo voto demandabat, in depoſitum dedit, 1. Mach. 6. *Et vocauit Philippum vnum de amicis ſuis, & præpoſuit eum ſuper vniuerſum regnum ſuum, & dedit illi diadema, & ſtolam ſuam, & anulum, vt adduceret Antiochum filium ſuum, & nutriret eum, &* (adultus) *regnaret.* In nouo Teſtamento, veſtigia huius moris nonnulla cernere eſt, obſignandi ſiue res, ſiue literas, per anulum & ſigillum. Matth. 27. Pontifices & Phariſæi acceptâ à Pilato Præſide licentiâ, abeuntes munierunt Chriſti ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Græcum exemplar hîc habet, σφραγίσαντες τὸν λίθον. *Cùm antè lapidem obſignaſſent,* aliquo nimirum anulo: (puta Præſidis vel Pontificis) aut alio quo ſigillo, eos ſignaſſe de more credendum eſt; ne aut dormientibus militibus, diſcipuli ſepulchrum aperire poſſent, quin furtum ex ſigilli violatione deprehenderetur; aut ne milites (ſi pecuniâ à diſcipulis corrumperentur) corpus illis traderent. Sed & Darium, lacum leonum in quem Daniel coniectus fuerat, anulo ſuo obſignaſſe legi-

mus, ne aut alij dicerent ſe Danielem furtim liberaſſe, aut alij in lacum ingreſſi cum occiderent, & à leonibus comminiſcerentur occiſum. Hoc *loco S. Hilarius, ſignationem ſepulchri Dominici, pro eiuſdem obſignatione accipit, quæ nimirùm impreſſione anuli ſignatorij fieri ſolet. Præclarè Origenes hom. 1. diuerſ. ex illæſo ſepulchri Chriſti reſurgentis ſigillo, elicit illibatæ Virginis eius genitricis, à Spiritu ſancto anulo gratiæ obſignatæ*, inuiolabilem integritatem. *Virgo* (inquit) *ergo genuit, & virgo permanſit: mater filij facta eſt & caſtitatis ſigillum non perdidit.* Quare? *quia non homo tantùm eſt qui videbatur, ſed vnigenitus erat* DEVS, *qui in carne aduenerat.* Idipſum eodem ex loco Euangelij inſinuat ſanctus Gregorius Nazianzenus, in tragœdia de Chriſto patiente, circa finem. *Et quomodo autem foribus* (inquit) *occluſis adeſt? Quin fortè & idem ſit, ſepulchro condito clauſóque ſurgens exit, velut antea virginis ab aluo prodiit matris ſuæ, integra ſeruans clauſtra quàm caſtiſsima.*

* *Matthæi ſuprà citato.*

* Ideò ipſa benedicta Dei genitrix Virgo, Cant. 4. ex intellectu Eccleſiæ, à Spiritu ſancto appellatur *hortus concluſus, fons ſignatus.*

Nec abludit ab obſignandi literas per anulum more, beatus Paulus vbi ait *ſe in cælum raptum audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui:* quaſi diceret obſignatas Dei digito, & quaſi ſacramentali anulo, literas, quas homini non licet reſerare. Nec modò enim ibi Angelorum ordines, ſanctorúmque choros & choreas, cæleſtíſque illius ciuitatis gaudia ac triumphos conſpexit: neque ſolùm multa didicit, quæ ad Eccleſiæ œconomiam, regimen ac ſucceſſum pertinebant. Sed præterea audiuit pleraque arcana, de ſecreto, ratione, modo, ordine diuinæ prædeſtinationis & reprobationis, ac vocationis & conuerſionis gentium: multa denique de myſteriis Euangelij aliis præcipuis; puta de Chriſti incarnatione, paſſione, gloria, triumpho, regno, déque omnium arcanorum maximo, ſuprema ſcilicet & adoranda Trinitate: quæ nimirùm myſteria homini non licet profundè ſcrutari, tantùm abeſt, vt eloqui pro dignitate poſſit; nec itidem audire aut intelligere in hac vita. Sunt enim ſignata verba, quæ nefas ſit mortali homini curioſè inueſtigare: permittitur verò

* 2. *Cor.* 12.

ſolùm credere: quæ tametſi perfectiùs longè agniturus eſt in gloria, neutiquam tamen comprehenſurus eſt.

Solus quamobrem Agnus qui occiſus eſt, dignus inuentus eſt aperire librum prædeſtinationis & reprobationis, librum vitæ, librum diuinæ gratiæ atque iuſtitiæ. Librum æternæ Verbi diuini generationis, & Spiritus ſancti proceſſionis. Librum ſimplicitatis ſummæ & vnicæ Deitatis. Librum in perſonis tribus vnius eſſentiæ; Librum vnius inconfuſæ atque indiuiſæ Trinitatis. Soli Chriſto, myſteriorum illorum reuelatio (quorum & communicationem nobis promeruit ſuæ merito mortis) competebat. Quapropter citharedi illi ſuperni, iure illi (vt audiuiſſe ſe teſtatur ſpeculator eius regni, Ioannes) ſuauiſſimis modulis concinebant. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo, in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione; & feciſti nos Deo noſtro regum*, &c. Apoc. 5. Quænam ſunt quæſo ſigilla illa ſeptem, quibus myſticus ille liber à Chriſto demum reſeratus, obſignatus erat? Præclarè Hugo Cardinalis, per hunc ſacræ ſcripturæ codicem intelligit, qui anulo ſignatorio diuinæ Maieſtatis, ſeptem ſigillis conſignatur. *Primum ſigillum* (ait) *eſt ſententiarum profunditas: ſecundum ſenſuum multiplicitas: tertium figurarum varietas: quartum rerum ipſarum incomprehenſibilitas: quintum myſteriorum obſcuritas: ſextum tropologiarum ſuauitas: ſeptimum denique infallibilis veritas*, abſque euidentia tamen eorum quæ in ſcripturis diuinis continentur. Atque propter hanc ſacræ ſcripturæ difficultatem, dicitur apud Eſa. 9. *Erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent, lege iſtum. Et reſpondebit, non poſſum, ſignatus eſt enim.* Nimirum in hac vita. At in patria cœleſti vbi *videbimus Deum ſicuti eſt, ſimiles ei erimus.* 1. Ioan. 3.
Quoniam *in eius lumine videbimus lumen, & reuelata* Pſal. 35.
facie gloriam eius ſpeculantes, in eandem imaginem trans- 2. Cor. 3.
formabimur à claritate in claritatem, tanquam à Spiritu Domini. Interim quicquid ex parte ſcimus de arcanis iſtis, quæcunque ex libro diuinæ ſcripturæ diſcimus

& nouimus, hoc omne beneficio Christi nobis in Euangelio loquentis adepti sumus, iuxta illud dilecti eius discipuli oraculum: *vnigenitus qui est in sinu Patris annunciauit nobis.* Ipse est enim agnus occisus ab origine mundi, qui rediuiuus post opprobrium crucis cum gloria, aperuit librum & soluit signacula eius.

Cæterùm anulare sigillum fuisse Episcopis iam olim in vsu, in Occidente patet ex suprà non semel memorata epistola 217. sancti Augustini, scripta ad Victorinum: ac sacra Clodouæi Regis data an. 511. ad Episcopos Galliæ paulò ante celebrationem I. Concilij Aurelianensis. Sed & ipso in Oriente ante pleraque sæcula eundem vsum inualuisse, liquidò produnt quæ in actis sanctæ Euphemiæ, ab Euagrio, Nicephoro & Zonara collectis, & ex iis relatis, apud Surium tom. 9. die 16. Septembris (quo die ipsa beata Virgo & Martyr apud Chalcedonem, sub Diocletiano, passa est gloriosum agonem) serie quæ sequitur enarrantur. *Cùm autem Eutychij & Dioscori sectatores qui in vrbe* (Regia Constantinopolitana scilicet) *versabantur, decreta Concilij* (Chalcedonensis nimirum) *subsannarent, eiúsque auctoritatem non veritate, sed potentia Imperatoris niti dicerent, & prauitatem sententiæ suæ stabilire conarentur: Anatolinus* * *Patriarcha, & suffragatoribus suis, & aduersariis conuocatis, ad hos ita infit. Quoniam sententiam vestram adhuc mordicus tenetis, neque vos perperam sentire creditis, sed nos incusatis, quasi Nestorij dogma approbemus, cùm duas naturas in Seruatore prædicemus, vtraque citra confusionem proprietates suas retinente. Istius controuersiæ diiudicatio, si placet, Deo permittatur. Scribatur igitur vestra de fide sententia, in vno libello, & nostra in altero, atque ambo, in loculo gloriosæ Euphemiæ collocentur, & huius iudicium esto, vtri rectè aut perperam sentiant? Hæc cùm hæreticis etiam placuissent, libelli scripti remoto lapide qui loculum claudebat, pectori Martyris imponuntur: & lapis in suum locum repositus, ab vtraque parte signatur* *. *Dehinc supplicationes fiunt & preces ad Deum peruigiles, vt demonstret vtra sententia ei cordi sit, quæve reiicienda videatur: post triduum con-*

* Anatholius

* (sigillis népe vtriusque partis Antistitum)

conueniunt Imperatore etiam præsente, aperto loculo. O rem miram! libellus hæreticorum ad pedes Martyris inuenitur: alter in manu eius dextra, quam extendisse fertur ad Imperatorem & Patriarcham, ac libellum porrexisse. Itaque rectæ sententiæ assertores plaudere, aduersarij verò, dimissis vultibus & præ pudore caligantibus, abire: quidam etiam veram sententiam amplecti.

Refert quoque Nicephorus (lib. 18. c. 31. Historiæ) çitatis concorditer actis, cùm perennis liquor suauissimus vnà cum sanguine quasi recenter effuso ex tumulo sanctæ Euphemiæ profluerct: hincque patrocinij eius pignora immissis ab Episcopo loci infra sepulchri cancellos, spongiis, super virginis venerabilia membra, affluenti populo flagitantíque certatim, in eius natali præsertim dispertiretur: dubius de veritate miraculi Mauritius Imperator, argenteum ornatum de sepulchro detraxerit, & *Imperiali signo monumentum obsignarit*, &c.* *Postquàm autem tempus ipsum quod debebat aduenit, curiosè mysterium indagat, accuratiúsque experimento solito miraculum explorat. Ecce tibi vero rursus sicut antè, sanguis vnguento conditus instar riuuli è monumento promanat, & spongiæ sanguine suaueolentî pinguescunt, & Martyr ipsa tum vt prolixiùs sanguinis fons proflueret fecit, atque ita ad hunc modum Imperatoris incredulitatem erudiens, castigauit. Ipse autem digitis sanguine admotis, eóque humore delibutis, seipsum sanctificando consperfit, & reipsa vt id crederet persuasus, deinceps cum admiratione laudes suas clara voce Martyri tribuit.*

Baron. recitat ad an. 593.

Vid. Euagrium l. 21. c. 3.

* ἐπεὶ δ' ὁ προσήκων ἐνειστήκει καιρὸς, περιειργάζετο τὸ μυστήριον· καὶ τὸ τοῦ θαύματος ἐξετάζων, βασάνῳ ἀκριβεῖ ἐδοκίμαζε. καὶ πάλιν ὡς πρότερον μεμυρισμένων αἱμάτων ἀπὸ τοῦ μνήματος ἐπήγαζον ποταμοὶ, τῶν σπόγγων αὖθις πιαινομένων εὐωδίας ἐν αἵματι. καὶ τότε μᾶλλον ἡ μάρτυς, πολλαπλασίω τὴν ἐκροίαν τῶν αἱμάτων ἐπήγαζεν. ἡ μὲν οὕτω τὴν βασιλέως ἐπαιδαγώγει τὸ ἄπιστον σωφρονίζουσα. ὁ δ' αὐτοκράτωρ, τοῖς αἵμασι τοὺς δακτύλους προσθεὶς· καὶ διαβρέχους ποιῶν, ἑαυτὸν ἁπανταχοῦ καθηγίαζε, καὶ πεισθεὶς ἐκ τοῦ πράγματος, τοῦ λοιποῦ τῇ μάρτυρι τὸν αἶνον διαπρυσίως ἀνέπεμπεν ἐκπληττόμενος.

In Ecclesia etiamnum mos ille antiquus viridi in obseruantia perseuerat, quod in consecratione altaris Episcopus reliquias Sanctorum quos in Patronos Ecclesiæ, vel loci deligit, intra altare sub tabula consecrata collocat ac includit, scriniolo insitas, quod suo obsignat sigillo. sic enim præliminaris rubrica ritus dedicationis vel consecrationis Ecclesiæ seriatim habet: *Sero ante diem dedicationis, Pontifex parat reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti & mundo vasculo cum tribus granis thuris, ponit etiam*

in eo chartulam de pergamento ſcriptam, in qua Sanctos deſignat, quorum reliquiæ includuntur, ſigillans illud diligenter. At verò conſecrato altari, Pontifex depoſitâ mitrâ recondit veneranter vaſculum ipſum cum reliquiis, prout heſterna die per eum fuit ſigillatum, in ſepulchro altaris.

Porrò obſignandis Sanctorum non ſepulchris modò, ſed & lipſanis, in pignorum ſacrorum genuitatis teſtimonium, epiſcopales anulos applicari conſueuiſſe dudum, res eſt etiam peritis Hiſtoriæ Sanctorum explorata. Illuſtre obſignati vitalis ligni ſanctæ Crucis monimentum, apud Suidam legimus. Coſrois enim filius Syroes dictus, occiſo patre, potitus regno Perſarum, non immemor eius quam pepigerat pacis cum Heraclio Imperatore, è veſtigio Romanos omnes ſoluit captiuos, inter eóſque Zachariam Hieroſolymorum Antiſtitem, liberóſque abire iuſſit; ſimúlque ſacratiſſimum venerandæ crucis ſignum, illæſum ipſum quidem & intactum, dixerim, ne à Perſis quidem viſum reſtituit: etenim teſte Suidâ (quem præcitauimus) *ſignaculum quo clauſum erat, inuentum fuit illæſum.* Ex obſignatione eiuſmodi veritatem eiuſdem ſalutiferæ crucis & coronæ ſpineæ aliorúmque Dominicæ paſſionis inſignium exploratam & agnitam fuiſſe, à ſancto Ludouico, cùm ſacratiſſima ipſa humanæ redemptionis pignora, Conſtantinopoli aduecta in Franciam recepit, in rei geſtæ hiſtoria, ſignatim proditum memoriæ comperimus. Cæterùm in ſanctorum corporum inuentionibus, reſerationibus, tranſlationibus, conſueuiſſe Epiſcopalis anuli ſigillum his obſignandis apponi, patenti monimento ſunt pleræque ſanctarum exuuiarum eorundem Beatorum reſerationes: in quibus ſigilla quibus earum germanitas demonſtrabatur, illæſa reperta ſunt. Addita etiam paſſim, Antiſtitis reuelationem celebrantis, ſacra teſſera: quemadmodum in faſtis Eccleſiæ Gallicanæ annotauimus ad XI. Kalend. Ianuarij, quo Claromonte Aruernorum ſancti Venerandi recolitur facta tranſlatio, hoc verborum contextu. *Tranſlatio ſancti Venerandi Epiſcopi & Confeſſoris, cuius reliquias ſignis*

Vide Baron. ad ann. 627.

glorificationis rutilantes, petente Guidone Scoto Illidiano Abbate, Ausbertus Episcopus, cum sancti Illidij lipsanis, ad cultum leuauit, atque vna eadem in theca discretim conclusas, suo anulo obsignauit: parte tamen pulueris illius & ossium dimissa, sub eiusdem cappellæ altari, infra pristinum eius sepulchrum factum sub Analogio.


Axioma est nostri iuris, signum imprimere rebus soli Principi esse permissum gloss. *Titulus* (in can.) *consuetudo*, 16. q. 6. can. 1. ex Concilio desumpto sancti Gregorij lib. 4. epist. 43. & ad finem lib. 12. Cui ciuilis lex adstipulatur, Cod. *vt nemo priuat*, tit. lib. 2. Quòd igitur Episcopus sit sacrorum Princeps, Ecclesiastico ei quoque iure concessum, vt sacris rebus sigillum suum apponat: eodémque in suis literis vtatur pro authentica earum obsignatione. Sigillum authenticum, facit testimonium publicum, gloss. *publico*, in extrauag. *execrabilis, de præbendis, inter Communes*. Sigillum autem Principis est authenticum, cui fides adhiberi solet & debet gloss. *fin. in cap. 2. de fid. inst.* specialiter verò Episcopi sigillum authenticum est, cap. *Dilecto* de *confir. vtil. vel inutil. & gloss.* 1. *in c. 2. de fide instrum.* Adeout, etiamsi ius sacrum maioris momenti negotia statuat per Episcopum, cum Capituli consilio vel assensu tractari: nihilominus decernat Episcopi sigillo credi, etiamsi cum eo non adsit capituli sigillum *gloss. literas in cap. post cessionem De probat.* At verò vt sigillo Episcopi tribuatur fides, & si fractura sigilli non vitiet instrumentum, si fuit à principio publica manu confectum, cum debitis solennitatibus, *cap. inter dilectos* §. *sed contra de fide instrum.* dummodò appareat orbita & character *gloss. dimidia ibidem*. Quin nec sigillum reprobatur, ex eo quòd nomen auctoris (integrè) non referat, *gloss. non statim in can. siquis (inquit)* 1. *q.* 1. *c.* 70. Cæterùm propter eminentiam dignitatis, id etiam à iure cum Episcopis habent Cardinales, vt eorum sigillis credatur, prout authenticis, dum tamen nota sint, *cap. suprà cit. inter dilectos gloss. deletæ, de fide instr.* Si tamen in sigillis Ecclesiasticis nomen auctoris ex toto deletum sit, literæ signatæ non

dicuntur, proinde nec authenticæ, *ibidem*. Sed ſi quis ſigillum actorum violat, aliquid contrà opponere non poteſt, *cap. cùm olim Magiſter* 53. *de Offic. deleg.* Denique qui anulo Epiſcopali literas obſignat ex officio, dignitatem in Eccleſia habet. Munus hoc autem proprium iampridem fuit Cancellariorum Eccleſiaſticorum: quorum in Eccleſiis, ſpectabilis dignitas perſeueret: vſu tamen quoad hoc exoleuit pleriſque in Eccleſiis munus, ſiue quòd infra ſe illud eſſe rati, à ſe eius onus remouerint: ſiue quòd Epiſcopi, certis ex cauſis, ceſſarint hac in re illorum miniſterio vti. De quibus ex profeſſo aliàs diſſeruimus, ſcilicet in opere de Myſticis Galliæ Scriptorib. ſæculo 1. in Paulo, Ritu XI. ab eo tradito, tit. 1. qui eſt de ſacris Cancellariis, contra Ameſium Pſeudominiſtrum à p. 75. ad 80. & in ſubiuncta digreſſiuncula de Vicecancellario S. R. E. à dicta p. 80. ad 89.

Mos autem iſte circa anulum Epiſcopalem vbique in Eccleſia receptus eſt, vt celebrante Epiſcopo in Pontificalibus, qui ad altare oblationis ferendæ gratiâ accedunt, anulum Antiſtitis ſacris operantis, in faldiſtorio ſedentis, genuflexi ac venerabundi oſculentur. Idipſúmque ei honoris officium deferat ſubdiaconus poſt epiſtolæ lectionem, & diaconus ab eo petens benedictionem, cùm ad recitandum Euangelium progreditur.

Cæterùm ſigilli oblationis meminit Simeon Theſſalonicenſis, in ſuo de Sacramentis libro: vbi de materia & figura agit ſacroſanctæ Euchariſtiæ, num ſcilicet quadrata vel rotunda eſſe debeat, vel vtraque. ſolam circularem Latini admittunt. Græci & circularem & quadrangularem: quamuis hanc magis quàm illam probent ac habeant in vſu. Vtriuſque hic porrò conſuetus eſt character.





Continet enim vtraque figura expressam crucem (cuius Eucharistia viuum & perenne memoriale est) cum his verbis: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΝΙΚΑ. IESVS CHRISTVS VINCIT. Sed literis vt suprà abbreuiatis: vocántque hanc figuram *sigillum oblationis:* quoniam mystico sigillo figura pani consecrando imprimitur, quo materia idonea sacrificio obsignatur, & sacrificij crucis exprimitur memoria: signúmque & character Christi Seruatoris, qui hoc in mysterio pro mundi salute immolatur, oculis obiicitur fidelium, in spiritu & veritate adorantium Deum & hominem, mundi & nferni triumphatorem, hoc in mysterio existentem.

In Latina Ecclesia, panis etiam consecrandus obsignatur charactere Saluatoris, vel è cruce pendentis, vel è tumulo resurgentis, aut aliâ eiusdem figurâ insignitur. Dudum sigillum istud oblationis erat in manu duntaxat sacerdotum: quorum operâ azymus quoque panis religioso ritu conficiebatur, certis etiam precibus adhibitis, quas per seriem retulisse meminimus, in Commentarijs nostris Martyrologij Gallicani, ad diem vicesimum quartum Martij, quo Cœnæ Domini recolimus celebrationem, & diuinæ Eucharistiæ institutionem: ritúmque illum vindicamus antiquum præparandi & obsignandi per sacros ministros hostias, vt vocitant, consecrandas. Quo vigente more purior erat certè azymorum ipsorum præparatio, securiórque longè materiæ præparatæ ad consecrandum delectus. Sigillum porrò illud in sacristia Ecclesiæ cuiusque, ab eius præfecto, auito more, conseruabatur, nec vllomodo peruium erat laïcorum contrectationi. In maioribus Ecclesiis sub cura & custodia erat Archidiaconi. Quanquam ab exordio obsignatas fuisse par est credere consecrandas oblationes, episcopali anulo, in quo vt plurimùm (sicut ex dictis patet in articulo de eius forma & ornatu) signaculum crucis, vel Christi nomen, aut imago insculpta erant. At de anuli episcopalis vsu satis supérque pro instituto.

CAPVT VI.

De anuli abuſu, ſeu vſu non pio, vel non honeſto, aut ſuperfluo, ſiue antiqua canonica diſciplina minus congruenti, aut ſerò tandem probato.

EXECESTVM Phocenſium tyrannum commemorat Clem. Alexandrinus (Stromatum l. 1. inter initium & medium) * *geſtaſſe duos incantatos anulos, qui inter ſe inuicem* (inquit) ** *ab eis edebatur ſonitu, ſciebat tempus rerum gerendarum: mortuus tamen eſt dolo interfectus, etiam ſi id ei priùs ſignificaſſet ſonitus, vt dicit Ariſtoteles in opere de Republica Phocenſium.* Fortunatior fuit anulus Seleuco, qui eodem Clemente Alexandrino teſte Pædagogi lib. 2. cap. 11. quandiu eum geſtauit, vicit hoſtes ac fudit. Nemo eruditorum ignorat, quàm celebris apud veteres ethnicos fuerit Gygis anulus. Ferunt quòd Gygis ipſe palæ eius conuerſione, ſeſe ſoleret intuentibus ſuffurari. Id ſignatim memoriæ proditum à Platone lib. 2. de Repub. & Cicerone lib. 3. de Offic. qui concorditer referunt Gygem habuiſſe anulum cuius pala in palmam verſa, à nemine cerneretur. Id ipſum de Myda recenſet Plinius lib. 33. cap. 1. vbi ſcribit eum geſtaſſe anulum, quo circumacto habentem nemo cerneret. Eleganter luſit contra Iulianum ſanctus Gregorius Nazianzenus orat. aduerſus eum 3. ex anuli Gygis præſtigiatione*. *Nulla* (inquit) *ratione ſeipſum occultabit, ne ſi in omnem quidem partem ſe verſet, ac per vafritiam ſuam in omnes formas immutet, atque Orci galeam, vt dici ſolet, induat, aut Gygis anulo & palæ conuerſione ſeſe ſuffuretur.* Quæ verba ſic ediſſerit Elias Cretenſis in Commentario ſuper eandem orationem. *At verò* (inquit) *de Gygis anulo tale quiddam fabulis proditum eſt. Narrant enim cùm paſtor eſſet in ſpeluncam quandam introiſſe, illicque æneum equum inueniſſe, in eóque hominis cadauer, & anulum cuius caput flexile erat, &c. eúmque ſecum abſtuliſſe: cúmque ſui conſpectum hominibus eripere vellet, anuli palam intrò cõuertere ſolitum*

* Ἐξήκεστος ὁ Φωκέων τύραννος, δύο δακτυλίους φορῶν γεγοητευμένους, τῷ ψόφῳ τῷ πρὸς ἀλλήλους διῃσθάνετο τοὺς καιροὺς τῶν πράξεων· ἀπέθανεν δ' ὅμως δολοφονηθείς. καί τοι προσημήναντος τοῦ ψόφου, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Φωκέων πολιτείᾳ.

** forſitan *colliſi, eo qui*

* ἀλλ' οὐκ ἔστιν ὅπως ἑαυτὸν ἀποκρύψει, οὐδ' ἂν πολλὰ στραφῇ, καὶ ποικίλος γένηται τῇ ἐπινοίᾳ, οὐδ' εἰ τὴν Ἄϊδος κυνέην (ὃ δὴ λέγεται) περιθέμενος, ἢ τῷ δακτυλίῳ Γύγου, καὶ τῇ στροφῇ τῆς σφενδόνης χρησάμενος, ἑαυτὸν ἀποκλέψειε.

fuisse, quâ occultatâ ipse quoque occultabatur. Ergo (ait Nazianzenus) *ne si hunc quidem anulum Iulianus possideat, &c. id tamen consequi poterit vt incognita sit ipsius versutia.* Hactenus Elias Cretensis, qui rursus de eodem anulo in scholiis ad orationem Nazianzeni quartam n. 53. tit. de Gygis anulo.

Fabulam reputat Plinius, quicquid de Mydæ anulo consimili ipse recitat. Nec minus fabulosam existimo illam de ipso Gygis anulo, tot decantatam libris veterum narratiunculam. propudiosum at verò commentum esse non dubito, quicquid nonnulli minus emunctæ naris garruli, de anulo incantato dictitant, quo insano amore incensum fuisse Carolum Magnum fabulantur. Excusare equidem nescimus ac nolumus excusationes in peccatis. Sed vt Caroli Magni mulierositatem, in feruentiori ætate & bellico æstu, non possumus inficiari : ita nec debemus eius peccata aggrauare. Quanquam qui passus esset philtra, non ita reus foret, ac qui molitus. Satis ex ardore iuuenili & humanæ infirmitatis propensione habuit, quo in libidinem abriperetur Carolus, absque iis quæ circa eum confinguntur de anulo illo inflammante ad illicitam cupidinem nefandis præstigiis: sed satis etiam habuit gratiæ, quo noxiæ libidinis singulari diuinæ misericordiæ munere tandem effringeret laqueos. Quapropter sicut non laudamus peccantem, sic nec culpare possumus ac debemus pœnitentem. Expletâ enim decenni pœnitentiâ Magnus ille Carolus sui ipsius victor, feliciter ad superna migrauit: prout in eius elogio ad diem Ianuarij 28. obseruandum monuimus*, profusioríque insinuatione in Commentariis ad Martyrologium nostrum sumus, Christo auspice, declaraturi.

* *signata die in Martyrol. Gall. & in notis super Breu. Paris.*

At verò sugillat Clemens Alexandrinus plerosque suæ ætatis fatuos amantes, qui sic anulis inhonestè vtebantur, vt quasi faculas eosdem suis illicitis amoribus incitandis, admouerent. * *Multi* (inquit Pædagogi lib 3. cap. 11.) *libidinosi, nudatos habent eos quos amant vel amicas, vt ne si velint quidem amatorias ex animo deponere perturbationes, possint, quòd libido & intemperantia eis perpetuò in mentem reuocetur.* Insimulat etiam eos

* πολλοὶ τῶν ἀκολάστων, γεγυμνωμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας· ὡς μηδὲ ἐθελήσασιν αὐτοῖς λήθην ποτὲ ἐγγίνεσθαι δυνηθῆναι τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων, διὰ τὴν ἐνδελεχῆ τῆς ἀκολασίας ὑπόμνησιν.

qui idolorum, in palis ſuorum anulorum, damnatas à Deo vero figuras ſtudebant inſculptas iri. *Neque enim* (ait ibidem) *idolorum ſunt imprimendæ facies, quibus vel ſolùm attendere, prohibitum.* Faceſſant igitur impuri illi ac impij, qui auro gemmas includunt, ſuíſque affigunt digitis & obuerſant oculis, vt in eis quas expreſſas voluere nefandas effigies Martis, Veneris, Cupidinis, &c. ceu in ſpeculis contueantur: vel ſi amicarum vel amaſiorum perferunt in his exculptos vultus, in idola vertunt quos inſano hoc amore depereunt. Prohibuit ſuis diſcipulis Pythagoras ne anulos geſtarent in quibus deorum imagines expreſſæ eſſent: ne ſcilicet quod illicitum erat colere, fas ſibi putarent vel ſolùm in figura eáque portatili ſuſpicere. *A Moſe enim* (ſi Clementi prælaudato credimus Stromat. lib. 5.*) *Philoſophus ille didicerat, hæc ſimulachra deſpicienda eſſe.* Tametſi etiam alio ſenſu accipi poſſit, quod vetuerit à ſuis anulos geri, in quibus deorum imagines efformarentur: ne ſcilicet vileſceret triuiali hoc vſu numen. *Vt enim* (ſubiungit ibidem idem Clemens*) *Dei Maieſtas vilis ac contempta reddatur, efficit quæ eſt in promptu videndi conſuetudo.*

* *Operum Lutetiæ editorum p. 559.*

* ἐξευτελίζει γὰρ τὴν τοῦ θείου σεμνότητα ἡ ἐν ἑτοίμῳ τῆς ὄψεως συνήθεια.

Auſpicatiori auſu vſus eſt, ad diuinæ veritatis eliciendam aſſertionem & æternæ Trinitatis propugnandum Catholicum cultum, orthodoxus ille, cuius Gregorius Turonenſis lib. de gloria Confeſſorum cap. 14. digna cum laude memoratur. *Retulit alius vir fidelis* (inquit) *ſpectaſſe ſe Chriſtianum cum hæretico pro fide noſtra certantem. Altercantibúſque diu de diuinis ſcripturis, cùm flecti non poſſet hæreticus vt agnoſceret veritatem, ait ſi noſtræ religionis, ſi ſcripturarum teſtimonia te ad credendum minimè mouent; vel virtutem indiuiduæ Trinitatis experire. Eſt digito meo anulus aureus, ego eum in ignem iacio, tu cadentem collige. Proiectúmque inter prunas anulum, ita igniri permiſit vt eis ſimilis cerneretur. Conuerſúſque ad hæreticum ait: ſi vera eſt proſecutio tua, ſume eum ab igne. illo autem reſiſtente, ait: immenſa Trinitas* DEVS, *ſi quid indignum te credo, oſtende, certè ſi recta eſt fides mea, nihil mihi præualebunt*

hæc

hæc incendia sæua. Et ablatum ab igne anulum diutißimè palma sustinuit, & nihil est nocitus, sed magis confuso hæretico, Catholicos reliquos feruore suæ fidei roborauit. Hæc Gregorius Turonensis.

Iam vt de superfluo anulorum vsu, exigit ratio tituli huic articulo præfixi, quædam discutiam: Guidonis Panciroli primùm attendenda occurrit obseruatio lib. 1. rerum memorabilium, sub inscriptione de legatis. *Non plus* (inquit) *quàm vnicum tantùm anulum habere olim licebat, quamuis laudatißimum illum morem, succrescente postmodum luxu, & diuitiarum ostentatione, deliciosi populi labes violarit. Scimus enim inuidiosum Sergio cuidam, nobili alioquin viro, Oratæ, seu potiùs Auratæ cognomen inditum, quòd duobus anulis aureis & grandibus vteretur.* Eò respicit etiam Pythagoræ theorema *, *non esse gestandos anulos.* Licèt enim Pancirolus præfatus hoc interpretetur de arctioribus anulis, qui digitos non tam ornant quàm onerant: succenturiantémque sibi referat S. Hieronymum, qui velit hoc documento Pythagoram tantùm monuisse, non esse anxiè viuendum: cauendum ideò ne in seruitutem nos coniiciamus, quæ dura sit & incommoda. quemadmodum etiam obseruat Pierius lib. 36. Hieroglyficorum. Attamen cùm plurali numero Pythagoras, apud Clementem Alexandrinum Strom. lib. 5. vsus sit, consulendo, *anulos non gestandos esse:* mens eius ita accipi potest, vt admonuerit à luxu & ostentatione diuitiarum, decere virum grauem ac prudentem abstinere. Proinde ab anulorum superfluo ornatu, adeout si ferre tamen libeat, vnum tantùm non plures suadeat circumferre.

* *Apud Clem. Alex. 5. Strom.* δακτύλιον μὴ φορεῖν.

Quapropter S. Hieronymus non immeritò iis Clericis succensebat qui aureis & gemmatis anulis digitos micantes ostentarent. *Tales* (inquit) *cùm videris sponsos potiùs dixeris, quàm Clericos.* Tametsi etiam nec sponsi dici mereantur, qui Ecclesiam virginem hoc inani decore, quo muliebriter gloriantur, potiùs dedecorant quàm honorant. Adde quod (sicut infrà mox dicemus) omnibus Clericis non competit Ecclesiæ con-

nubium, ſed ſolis Epiſcopis. vnde inclytus Martyr ſcribit in epiſtola ad Magneſianos Ignatius, Epiſcopum in Eccleſia non modò typum, ſed & locum Chriſti tenere: ipſum ſiquidem præſidere εἰς τόπον θεοῦ, in locum Dei. Solus igitur Epiſcopus Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſponſus eſt, vice Chriſti, in cuius honoris indicium anulus ei ſoli, antiqui ex diſpoſitione iuris ſacri, conceſſus eſt, qui ideo vnicus eſſe debet. Nam vt viuente vxore viro non licet aliam ducere coniugem, ſic nec Epiſcopo regulariter licitum eſt, duas ſibi copulare Eccleſias, at vni ſoli adhærere. Iuxta oraculum Apoſtoli: *oportet Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum.* Adeout cùm purior eſſet diſciplinæ canonicæ obſeruantia, nefas eſſet Epiſcopo mittere libellum repudij ſuſceptæ ſemel Eccleſiæ, vt aliam inſigniorem ſibi deſponſaret. Inter decreta Synodica ac Pontificia Sedis Apoſtolicæ, ad Maiores miſſa ſiquidem, ſcelus hoc diſtricta lege cauetur. *Vt reus adulterij habeatur Epiſcopus, qui relicta Eccleſia cui conſecratus eſt, ad aliam emigrauerit, parique pœna coërceatur ac vir qui relicta vxore acceſſerit ad aliam.* Et aureo quidem Eccleſiæ ſæculo, cùm vix diſpenſationibus locus eſſet, ita paſſim ſeruatum. Introductis verò ſubinde (ex prætextu, vt plurimùm, vtilitatis aut neceſſitatis publicæ) tranſlationibus: non ita extinctus fuit veteris illius diſciplinæ ſpiritus, vt per exempli modum, ſcintillæ adhuc eius, in quibuſdam Eccleſiæ Primatibus aliquando non erumperent. De Calixto ſiquidem III. refert Platina*. *Dum eſſet adhuc Epiſcopus & Cardinalis, beneficium aliquod in commendatione nunquam voluit; dicens ſe vna ſponſa & quidem virgine, hoc eſt Valentina Eccleſia, cui conſecratus fuerat, vt Pontificia mandant ſtatuta, contentum eſſe.* Et pene tempore noſtro idem datum reſponſum, editúmque factum, nec abs re, à Roberto (in Gallia ſua Chriſtiana, vbi Vencienſes in Phocenſi prouincia Epiſcopos recenſet) nulla, vt reor, intermoriturum poſteriorum obliuione, commendatur. Nimirum cùm Petrus du Vair, Vencij ſeu Vincij Neruſiorum Antiſtes, Guillelmi Epiſcopi Lexouienſis Franciæ Procan-

* *in vita eius*

cellarij frater, post eius obitum ad ipsam Lexouiensem sedem, situ insigniorem, censu opulentiorem admodum, Christianissimi Regis beneuolentiâ, propriis meritis suffragantibus, euocaretur: *renuit* huic beneficæ Regis in se voluntati, optimus Episcopus assentiri: *respondens haud sibi fore integrum, desertam ire coniugem, cui fuerat sacro fœdere deuinctus. Vnica sponsa contentus perstitit,* (ait Robertus in citato Venciensum Præsulum catalogo) *quam nec voluit vnquam dimittere spe locupletioris ducendæ propositâ, imo non semel factâ. Nec mirum cùm omnia dicta factáque ad regulam fallere nesciam Pauli, semper direxerit & exæquarit.*

In huius casti connubij indicium, vnicus ex Ecclesiastica theoria & praxi anulus Episcopo gerendus conceditur, cùm ad Pontificalem apicem promouetur. Résque obseruatu perdigna est, quòd pronubus hic anulus, etsi transferatur Antistes ex dispensatione Apostolica, ab eo mutari non soleat: at debeat nouum pallium, à translato Archiepiscopo ad aliam Metropolicam sedem, canonico ex iuris præscripto impetrari, atque hoc obtento, priùs deseri receptum, nouúmque perferri; quemadmodum ex professo dudum docuimus, in nostro opere *de pallio sacro*, cap. 11. quod *de multiplicitate pallij* prænotatur. At de singularitate anuli Episcopalis, satis pro huius loci ratione dictum.

Hinc tamen disquirendum occurrit, an legitimus vsus sit anuli, quo Abbates passim insigniri solent? Repugnat certè huic recentiori mori ius antiquum. Nam in Toletano quarto Concilio, quod ante mille annos consedit * can. 17. disertè inter propria Episcopi insignia numeratur anulus, qui si iniustè Antistes solio motus fuerit, ante altare cum cæteris propriis eius dignitatis indiciis ei restitui præcipitur. In Sacramentario sancti Gregorij anulus Abbati non traditur, dum recipit sacræ benedictionis munus, neque etiam in priscis Pontificalibus. Quin & apud sanctum Bernardum Sermone de Cœna Domini, Baptismo, & Sacramento alta-

* Honorio I. summo Pontif. ann. sal. 633.

ris, & ablutione pedum; anulus solius Episcopi insigne est. *Inuestitur* (inquit sermonis huius auctor) *canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & anulum simul.*

Extat Petri Blesensis, qui ferè sancto Bernardo coætaneus fuit, insignis epistola serie XC. ad fratrem suum Guillelmum Abbatem, qua grauiter contra gliscentem ambitum eorum Abbatum inuehitur, qui anulum, baculum, mitram, & cetera episcopalia insignia affectabant: ipsíque fratri, cui summus Pontifex eadem, summæ cum beneuolentiæ testimonio, contulerat; modis omnibus suadet & consulit, vt ab iis abstineat, vel si ob monasterij sui priuilegia obstringitur iis vti, potiùs titulo Abbatiali renunciet, quàm his Pontificiis insignibus, sese onerari potiùs quàm ornari patiatur: quæ ab aliis quàm Pontificibus gestata, Episcopali dignitati præiudicium irrogant, potiúsque Abbati qui ea gerere non erubescit ludibrio sunt, quàm honori. Verba ipsius Petri, imò verbera, quibus cupidos vanæ huius gloriæ Abbates impetit, hîc in eorum gratiam retexenda censui, qui auctoris huius vel notitiam non habent, vel quòd operum eius codicibus careant, locum integrum quo sic de inuidioso vsu expostulat, per seriem expressum iri forte sunt desideraturi.

Retulit mihi (inquit) *quidam nuncius vester, qualiter Dominus Papa* (Alexander hic erat tertius) *vos mitra proprij capitis, & aliis ornamentis Episcopalibus insigniuit. De benedictione gaudeo: sed signa Episcopalis eminentiæ in Abbate, nec approbo, nec accepto. Mitra enim & anulus, atque sandalia in alio quàm in Episcopo, quædam superba elatio est, & præsumptuosa ostentatio libertatis. Talium vsus est in Ecclesiis dedicandis, in consecrandis virginibus, in ordinibus celebrandis. Quare igitur his vtitur aut potiùs abutitur, qui vti talibus prohibetur? Homini hæc habenti & non vtenti, sunt potiùs oneri, & ludibrio, quàm honori. Ambigena non generant, teste Hippocrate: quod igitur genitalia in mulo faciunt, hoc sandalia in Abbate. Nunquid emanauit hæc abusio*

Episcopalium, à regula beati Benedicti? Nunquid præcipiuntur emancipationes istæ in Euangelio & Prophetis? Nolite quæso, carissime frater, detrectare obedientiæ iugum: nam per inobedientiam mors intrauit, quæ adhuc seminare non cessat inter Episcopos & Abbates iurgiorum fomitem & materiam scandalorum. Adam per inobedientiam periit, Saul per inobedientiam regnum perdidit: nec blandiatur sibi aliquis, quòd per priuilegium Romanæ Ecclesiæ ab inobedientia excusetur. DEVS *apud quem melior est obedientia, quàm victima, quicquid emancipet aut priuilegiet homo, inobedientiam detestatur. Si vnum præcipit Deus, & aliud indulget aut præcipit homo, obediendum est Deo potiùs quàm homini. Scitis quòd Abdon missus ad Hieroboam à Domino, prohibitus est ab eo, ne in via comederet, qui cum alio Propheta vt comederet suggerente, & dicente se propter hoc missum à Domino, comedit. Sed licèt auctoritate alterius Prophetæ hoc fecisset, propter inobedientiam tamen à leone deuoratus interiit. Cùm enim speciale mandatum Domini suscepisset, ad suggestionem hominis, non erat in præcepto Domini dispensatio admittenda. Si Romanus Pontifex à iurisdictione vestri Episcopi vos exemit: nolite quæso vti priuilegio, quod materiam rebellionis inducit. Oza percussus est à Domino, quòd in arcam Domini manus temeritatis erexit. Maria percussa est lepra, quia Moysen obiurgauit. Terra Dathan & Abiron absorbuit viuos, quia contra Moysem & Aaron se in superbiam erexerunt. Complices etiam eorum pœnalis flamma combussit: exarsit enim ignis in Synagoga eorum, flamma combussit peccatores. Cùm detestabilis sit vbique superbia, detestabilior est in professore humilitatis. Quod enim rubigo est in ferro, quod in veste tinea, quod fel in lacte, quod venenum in melle, hoc est superbia in habitu monachali. Putatis in susceptione sandaliorum &* ANVLI *vestri monasterij dignitatem plurimùm promouisse: in his tamen nihil video nisi inobedientiæ malum, seminarium odij, tumorem elationis, & superbiæ ventum. Superbia natione cœlestis est, semper in altum nititur, vt grauiùs cadat. Hodie autem in Claustris imitatores ac sequaces suos inuenit primus fi-*

lius ſuperbiæ, ille Lucifer, aut potiùs tenebrifer qui ſibi ſedem deſtinabat in lateribus Aquilonis, atque ſibi ſimilitudinem altiſsimi vſurpabat. Vbi & in quo laborauerat miſer, qui iam ſedere & quieſcere diſponebat? Omnes alij nitebantur in miniſterium, deuoti & humilis ad imperium Creatoris. Millia millium (teſtimonio ſcripturæ) aſsiſtebant ei, & decies millies centena millia miniſtrabant ei. Iſte autem erigebat ſibi ſedem, antequam laboraret. Ponam (inquit) ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſsimo. Appetiit æqualitatem altiſsimi, meruítque quod ſuum erat perdere, dum rapuit alienum. Solus filius non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, cui ex natura conuenit ſedere non ſub pedibus, ſed à dextris. Præcipitetur ergo ille filius ſuperbiæ, & cathedra peſtilentiæ ſubuertatur. Auferatur ei ſtola iucunditatis, qua ipſum manus Creatoris induerat, ſpoliatúſque gratuitis, detrudatur in exteriores tenebras & interminabiles flammas: quibus & illi deputati ſunt pariter, qui in ſuperbia & abuſione detrectant obedientiam Prælatorum. Quid enim eſt aliud poſitio ſedis in Aquilone, & vſurpatio ſimilitudinis altiſsimi, quàm emancipatio & inſignium Epiſcopalium acquiſitio in Abbate? Per ſalutem itaque Patris qui nos genuit, & per vbera quæ ſuximus in eadem matre, frater vnice, vos adiuro & deprecor, vt in ſignum plenæ humilitatis pontificalia reſignetis inſignia; aut, ſi ſine ſcandalo fieri nequit, renuncietis in manu Domini Papæ monaſterij adminiſtrationem, & ſubſtituto ibi ad inſtantiam veſtram paſtore idoneo, vos ad clauſtrale otium & ſalubrem militiam conuertatis. Vale. Hæc Petrus Bleſenſis, qui etſi bono vt videtur zelo (humilitatis nimirum tuendæ, & retinendæ in religioſis pio affectu) ita ſenſerit ac ſcripſerit, amariuſculè tamen hæc videtur literis conſignaſſe. Nam antea Vrbanus II. Papa mitram & anulum cum cæteris epiſcopalibus ornamentis ſancto Hugoni Cluniacenſi Cœnobiarchæ eiúſque ſucceſſoribus munifico reſcripto conceſſerat: nec ſanctiſſimus ille Abbas, renuerat illo priuilegio frui, quod non tam ſibi, quàm monaſterio ſuo, à Sede ſumma impertitum, potiùs ad ipſius Cœnobij decus, quàm

eius Abbatis gloriam conferre, benè ac prudenter animaduertebat.

Adde quod etsi à veteri Ecclesiæ praxi mos ille desultet: demum tamen ab Ecclesia (cuius placitis nefas sit, ait sanctus Augustinus, cuilibet refragari) probatus & in vsum constantem receptus, qui ab annis fere iam quingentis viget, non potest deinceps in controuersiam reuocari. Nam in Pontificali libro assignatur, in formula benedicendi Abbatis, oratio propria, qua tradendus in manum ab Episcopo promouente ipsi inaugurando sacratur anulus, eíque subiuncta certa verborum serie in signum commissæ sibi monasticæ congregationis datur. Ex quo verò iura sacra Abbatibus insigne anuli benedicti concesserunt, sigilli etiam iisdem auctoritatem contulêre. Hinc *cap. dilecta, De confirmat. vtilitate, vel inutilitate*, sigillum Abbatum ac Episcoporum authenticum iudicatur. Ita enim elicitur ex verbis rescripti Innocentij ad Episcopum Paderburnensem. *Cùm dilecta* (ait Pontifex) *in Christo filia Abbatissa & sorores Ecclesiæ de Gaderuen, sua cuperent priuilegia innouari, propter viarum discrimina, quatuor Episcopis & Abbatibus totidem vt inspicerent diligenter, & tenorem ipsorum fideliter transcribentes, sub sigillis suis nobis remitterent, duximus iniungendum. Nos autem*, &c. *inquisitoribus ipsis fidem debitam adhibentes*, &c.

Nec adeò mirum, præsertim si posteriorum temporum consideratio habeatur. Licèt enim Abbates pridem sacerdotio initiati non essent (vnde etiamnum Abbas in casu necessitatis, laïcus esse potest, mediante dispensatione Apostolica *gloss.* 1. *in cap. tuum de ætate & qualit.*) Attamen communi iure Presbyteratu debent Abbates insigniri, cap. *vt Abbates, de ætate & qualitate præficiend. & gloss. promoueri in cap. exposuisti, de corpore vitiatis ordinandis vel non, lib.* 1. *Decretalium tit.* 20. Et præter ordinis honorem, propter officij dignitatem debent tenere primum locum post Episcopum, *cap. ex ore, de Priuileg.* Etsi enim in domo sit Monachorum collega, in Ecclesia, Abbas est Prælatus, *gloss.*

fin. in can. à ſubdiacono diſt. 93. Nonnulláque habet quibus inferioribus Eccleſiarum Paſtoribus vel rectoribus antecellit: atque ſunt ei cum Epiſcopis communia, vel ſaltem quodammodo affinia. Nam dicitur Abbas cum iuriſdictione præeſſe, *cap. p. & g.* 40. *de Offic. delegati, & cap. dilectus de Offic. ordin.* Potéſtque præſcribere ius commune in capellis contra Epiſcopum, in iiſque poteſt poſſidere, *gloſſ. præſcriptio, in cap. ex ore* 17. *de Priuileg.* Et ius poteſt acquirere viſitandi & procurandi, &c. *cap. cauſam quæ* 2. *de Iudiciis, & cap. cùm olim & ibi gloſſ. munitum, de præſcript. & gloſſ.* 2. *in cap. cùm inter de re iud.* Qui ſi ſit electus & confirmatus, ſubditos excommunicare poteſt, *cap. ſicut* 33. *& ibidem gloſſ.* 2. *de Sim.* Et veſtes ſacerdotales, & cruces, & ſimilia, quæ verbali tantùm benedictione conſecrantur, benedicere poteſt, quoad opus Eccleſiæ ſuæ. Intellige hæc omnia & ſimilia, ſi modò Abbates ſint benedicti & ordine Preſbyterali inſignes. Quibus ſi præfulgeant, poterunt ſuis monachis minores ordines conferre, *cap.* 1. *& vbi gloſſ.* 2. de ordinatis ab Epiſcopo qui renuntiauit. Hodie verò minores ordines conferre nequeunt, ſed ſolùm lectoratum: ſi ſacerdotio polleant etiam Pſalmiſtatum, *gloſſ. lectoris in can.* 1. *diſt.* 69. *necnon can.* 2. *eiuſdem diſtinct.* Ordinem autem exorciſtatus conferre iis non licet, *ibidem.* Neque etiamſi priuilegio fulciantur, benedictionem ſolennem ſuper populum elargiri, niſi ſacerdotio præditi ſint: at nec ſi etiam hoc ordine præfulgeant, & priuilegio potiantur, extra Eccleſias pleno iure ſibi ſubiectas, quantacunque generali facultate gaudeant, *cap. Abbates & ibi gloſſ. alibi, & gloſſ. expreſſo de Priuilegiis in* VI. Quin & declarauit Concilium Tridentinum, *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. Abbatibus quantumcunque exemptis non licere conferre tonſuram, & minores ordines cuiquam, qui regularis ſubditus non ſit. Carent verò ex diſpoſitione canonica omnibus his prærogatiuis in actu, omnes Abbates, qui nec benedicti ſunt, neque ſacerdotes. Proinde perperam agere inde conſtat, Abbates aliquos commendatitios, qui hæc iura ſibi actualiter arrogant, inſigniá-

gniáque perferre præſumunt, eóque proſiliunt, vt non modò anulum gerant, ſed & crucem pectoralem: quæ inſignia etiam ad benedictos Abbates, niſi Epiſcopali Panoplia, ſpeciali ex priuilegio Apoſtolicæ Sedis cumulentur, nullatenus ex iure ſpectat.

Cæterùm præter Abbates, qui ex priuilegio ſpeciali, anulo ſacro inſigniuntur, alióſque inferiores Epiſcopo Prælatos, qui eodem indulto ex gratia Apoſtolicæ Sedis potiuntur, v. g. Theſaurarium ſanctæ Capellæ regij palatij Pariſienſis, cui Clemens VII. munificis codicilis Auenione exaratis, anno Pontificatus 2. Chriſti autem 1524. ad inſtantiam & ſupplicationem Franciſci I. Chriſtianiſſimi Regis, illam facultatem conceſſit, *vt liberè vti poſſit mitra & anulo ac aliis Pontificalibus inſigniis* (verba hæc ſunt Apoſtolici diplomatis expreſſiſſima) *non tamen baculo paſtorali*, in dicta Capella, horis & temporibus debitis & in diebus feſtiuitatum maiorum atque duplicium, poſt miſſarum, veſperarum & matutinarum ſolennia, infra ſepta dicti palatij, ac etiam extra illud, in proceſſionibus quæ iuxta palatium in Aſcenſionis & corporis Domini noſtri* IESV CHRISTI *feſtiuitatibus, per ſacram Capellam fieri conſueuerunt: benedictionem ſolennem cum mitra, anulo & inſigniis ſupradictis, ſuper Clerum & populum elargiri: dummodo in benedictione eiuſmodi aliquis legatus Sedis Apoſtolicæ, aut Archiepiſcopus Senonenſis* (qui tunc vrbis Regiæ proprius Metropolitanus erat) *vel Epiſcopus Pariſienſis, pro tempore exiſtentes, præſentes non fuerint.*

* Quem, cabutá vocat Flodoardus l. 1. c. 18. Cambutá, ibid. Briſſonius: Cambucam Durádus, in Pontificali M SS.

Præter huiuſmodi, inquam, inferiores Prælatos qui hac prærogatiua ſummæ Sedis beneficio decorantur, etiam virginibus ſanctimonialibus ſolenni ritu traditur ſacer anulus, cùm ab Epiſcopo conſecrantur, ex Pontificalis Romani præſcripto, hac præmiſſa oratione. *Creator & conſeruator humani generis, dator gratiæ ſpiritualis, largitor humanæ ſalutis, tu Domine emitte bene† dictionem tuam ſuper hos anulos, vt quæ eos geſtauerint, cœleſti virtute munitæ, fidem integram fidelitatémque ſynceram teneant, ſicut ſponſæ Chriſti virginitatis propoſitum cuſtodiant, & in caſtitate perpetua perſeue-*

rent, per Christum Dominum nostrum, &c. Sedet
» Pontifex cum mitra; & Antiphonâ *Desponsari*, fini-
» tâ, quæ primæ venerant ad recipiendum velum, præ-
» sentantur Pontifici à matronis prædictis, *&c.* Tunc
» Pontifex accipiens anulum cum dextera sua, & dex-
» teram manum virginis cum sinistra manu sua, & mit-
» tens anulum ipsum digito anulari dextræ manus vir-
» ginis, desponsat illas Iesu Christo dicens singulis. *De-
sponso te Iesu Christo filio summi Patris, qui te illæsam
custodiat. Accipe ergo anulum fidei, signaculum Spiritus
sancti: vt sponsa Dei voceris, & si ei fideliter seruieris,
in perpetuum coroneris: in nomine Pa†tris & Fi†lij &
Spiritus †sancti. Amen.* Quo facto ambæ simul genu-
flexæ decantant Antiphonam, *Ipsi sum desponsata*, &c.
Omnibus ergo sic speciatim desponsatis, & ad loca
sua reductis, omnes genuflexæ simul leuant in altum
& ostendunt dexteras manus, cantantes hanc Anti-
phonam, *anulo suo subarrhauit me Dominus meus Ie-
sus Christus, & tanquam sponsam decorauit me corona*,
&c. Notatione verò dignum est, quòd Abbatissæ cùm
benedicitur, anulus non traditur: quia nimirum præ-
supponitur ei datus, cùm sanctimonialis Christo dedi-
cata est.

Regis Francorum Christianissimi hoc etiam priuile-
gium est, vt cùm cœlesti inungitur liquore, ac corona-
tur solenni ritu: regni anulum sacratum à Metropolita-
no Remensi accipiat. Cuius benedictionis anuli formu-
la hæc legitur expressa, in ordine ad consecrandum &
coronandum Regem Franciæ,* Benedictio anuli. Ore-
mus, *Deus totius creaturæ principium & finis, Creator &
conseruator generis humani, dator gratiæ spiritualis, largi-
tor æternæ salutis, in quo clausa sunt omnia. Tu Domine
tuam emitte benedictionem super hunc anulum, ipsúmque
benedicere & sanctificare digneris, vt qui per eum fa-
mulo tuo honoris insignia concedis, virtutum præmia lar-
giaris, quo discretionis habitum semper retineat, & ve-
ræ fidei fulgore perfulgeat, sanctæ quoque Trinitatis ar-
matus munimine, miles inexpugnabilis, acies diaboli
constanter euincat, & sibi ad veram salutem mentis &*

* *Extat inter Decret. Eccl. Gall. lib. 5. tit. 2. de Rege.*

corporis proficiat. Per Dominum nostrum Iesum Christum. Deinde datur ei ab Archiepiscopo anulus, & in traditione anuli dicitur oratio. *Hìc datur anulus & ponitur in quarto digito dextræ manus* (ab Archiepiscopo dicente) *Accipe anulum videlicet fidei sanctæ, soliditatem regni, augmentum potentiæ; per quem* (scilicet anulum) *scias triumphali potentia hostes repellere, hæreses destruere, subditos coadunare, & Catholicæ fidei perseuerabiliter connecti.* Oratio post anulum. *Deus cuius est omnis potestas, & dignitas, da famulo tuo prosperum suæ dignitatis effectum: in qua te remunerante permaneat, sempérque te timeat, tibíque iugiter placere contendat. Per Christum,* &c. Datô anulô, statim pòst datur sceptrum in manu dextera. At in Pontificali Romano, cùm consecratur Rex anulus ei non datur. Ex quo colligere licet, peculiare esse insigne Regis Francorum: * qui in consecratione sua longè ceteris regibus, augustioribus cæremoniis ac illustrioribus ritibus consueuit honorari, quemadmodum abundè patet ex ordinis eius inaugurationis collatione, cum generali formula benedictionis & coronationis Regis, præscripta in Pontificali Romano. Sed & ante Regiam consecrationem, (quòd Francorum regnum non electione, sed successione deferatur) consueuisse hæredem à parente qui in extremis ageret, de regno per anulum inuestiri, testis est Sugerius Abbas S. Dionysij, libro de vita Ludouici Grossi Regis sub finem, vbi de eodem ait. *Asperrimo itaque profluuij motu, macerati corporis defectu, dedignatus viliter aut inopinatè mori, conuocat religiosos viros Episcopos & Abbates, & multos Ecclesiæ sacerdotes, quærit reiecto pudore omni, ob reuerentiam diuinitatis & sanctorum Angelorum, coram deuotissimè confiteri, & securissimo Dominici corporis & sanguinis viatico muniri. cùm idipsum præparare festinant, Rex ipse inopinatè se leuans & præparans, vestitus, cameram, cunctis admirantibus obuiam corpori Domini Iesu Christi exit, deuotissimus assistit: vbi videntibus cunctis tam Clericis quàm laïcis, Regem exuens, regnum deponit, peccando regnum administrasse confitetur, filium suum Lu-*

* Sugillat Petrarcha l. 2. de vita solit. sect. 4. c. 2. Ioannē Franciæ Regē, quòd cuidam anulo suo, vim eam insitā persuasum habuerit, vt dum hunc gestaret, ab hostibus nequiret capi quouis in conflictu. *Sicuti* (inquit) *non olim Polycrati Samiorum tyrāno, sardonix suus pretiosissimus, ne morsu voluerum sensus in cruce marcesceret: sic nō modò Ioanni Galliarū Regi, ne acie victus in hostiū manus perueniret, suū non valuisse præstare carbunculū pretij infiniti, quē die illa digito gestabat.* Nēpe benedictus anulus Regis hic forte non erat, quē acceperat in sua consecratione: at alius cui ob pretium & decorem, ipse Rex non solùm nimis delectaretur, sed occultam vim inditā inaniter crederet, qua posset ab hostium impetu defendi. Si in Deo solo spem collocasset suā, vt Christianissimum Regem decebat; meliorem reor fiduciæ suæ successum fuisset expertus.

douicum ANVLO *inuestit, Ecclesiam Dei, pauperes & orphanos tueri, ius suum vnicuique custodire & fide obligat.*

Porrò anulum sancti Mauritij gestant pro Principatus indice Sabaudiæ Duces, quemadmodum in elogio eiusdem beati Mauritij obseruasse meminimus X. Kalend. Octobris in Martyrologio Gallicano. Quo die in commentario plura, fauente Christo, de eodem anulo dicturi sumus. Ducibus Normaniæ datum fuisse eorum in benedictione anulum, ex formula liquet, cuius est titulus, *Officium ad Ducem constituendum*, ad calcem retextum collectionis Scriptorum antiquorum Normaniæ Historiæ, editæ ab Andrea Quercetano Parisiis anno 1619. Sed tam apostrophe Archiepiscopi ad Ducem, quàm super anulum directa ad Deum deprecatio, iisdem verbis constat, quibus suprà in Regis Francorum consecratione, ritus ei tradendi anuli expressus est : vt videre sit ex æmulatione Regiæ potestatis ac gloriæ, morem hunc fuisse ab illis Ducibus, sibi perperam vsurpatum : cùm facti pene iam fuissent immemores iuramenti fidelitatis, quo Regi ob Ducatus ipsius acceptum beneficium, clientelari iure obstringebantur. Cæterùm Venetiarum Ducem solenni ritu solitum mare Adriaticum (cui ciuitas illa insidet) omnium in conspectu, iniecto anulo quasi in pignus fœderis connubialis, quotannis deuincire, vix est tantisper rerum gnarus qui nesciat. Defluxit denique anulorum aureorum vsus ad Doctorum vsque insignia. Sed cùm eis traduntur, ciuili hoc potiùs more fit, quàm sacro ritu : quamobrem nec vlla solent mystica prece benedici.

CAPVT VII.

De ſitu anuli ſacri in manu Antiſtitis.

COLLOCANDORVM in digitis anulorum diuerſa fuit iam olim conſuetudo. Cùm, ſi Pancirolo credimus, horum poſitio ab vniuſcuiuſque genio & nutu penderet. geſtabatur enim olim anulus, vt quiſque vellet, quacunque manu, quolibet digito. Attamen doctiſſimus Lipſius in commentariis ad Senecam, ex profeſſo oſtendit, anulum olim apud Romanos in ſiniſtræ tantùm manus digito, qui inde anularis dictus eſt, ſolitum fuiſſe collocari. Aſtipulatur Papinius lib. 3.

Atque idem in cuneos, populos cùm duxit equeſtres,
Mutauit genus, læuaque ignobile ferrum
Exuit.

Ex quo refelluntur, qui morem gerendi anulum in penultimo ſiniſtræ digito, cœpiſſe tantùm cùm ex auro conflari, atque ornari gemmula anulos, vſus inoleuit. Hac fulti veriſimilitudine, quod cùm dextra operoſior eſſet, vt quæ multum negotiorum gerit, in læuam ideo viſum fuerit conſentaneum magis eſſe, anulos relegari, vt quæ otioſior eſſet: ne videlicet crebro motu, & officio manus dextræ, aurum faciliùs obtereretur, aut pretioſi frangerentur huic inſerti lapides, ſignatímque huic imponi digito læuæ manus, qui extremo proximus eſt. Ea ſcilicet ratione, quòd ſit attrectatui minus obnoxius, & ſit fere omnis actionis expers, cùm ſine aliorum comitatu exporrigi non poſſit. Quæ cauſa tametſi non ſit improbabilis, tamen genuina non eſt ratio, cur anulus in hoc digito, iam olim cœperit collocari, iſtéque ideò digitus anularis appellari. Hanc ergo veram eſſe cauſam huius vſus, eruditorum pene omnium conſenſus confirmat: quòd in ſectis apertíſque humanis corporibus, vt mos in Ægypto fuit (Græci ἀνατομὰς appellant) repertum eſt, neruum quemdam

tenuissimum, ab eo vno digito de quo diximus, ad cor hominis pergere atque peruenire. Propterea non inscitum visum esse, eum potissimùm digitum tali honore decorandum, qui continens & quasi connexus esse, cum principatu cordis, videretur*.

* *Ita ex Gellio lib. 10. Noctiū Atticarū c. 10. & Macrob. l. 7. Satur. c. 13. docet Alciatus l. 8. Parer. c. 10.*

Porrò cùm in corde sit sedes amoris, hinc mos in nuptiis, etiam apud Christianos exorsus est, vt pronubus anulus, in præsignato digito constitueretur. Et verò Nicolaus Papa in responsione ad consulta Bulgarorum cap. 3. quod & refertur 30. *quæst. 5. c. nostrates*, tradendi sponsæ anuli à sponso disertè meminit: quo tamen poni soleret digito non exponit. *Et postquam arrhis* (inquit) *sponsam sibi sponsus per digitum, fidei anulo insignitum desponderit, dotémque vtrique placitam, sponsus ei cum scripto, pactum hoc continente, coram inuitatis ab vtraque tradiderit*, &c. At Isidorus, Nicolao antiquior, de hoc ritu loquens, expressè anulum nuptialem enuntiat, in læuæ manus digito, qui extremo immediatè accedit, more apud fides recepto solitum esse reponi. *Quòd in primis negotiis anulus à sponso sponsæ datur, fit hoc* (inquit) *nimirum vel propter mutuæ fidei signum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iungantur. Vnde & quarto digito anulus idem inseritur, quòd in eo vena quædam, vt fertur, sanguinis ad cor vsque perueniat.* Hæc Isidorus lib. 2. de Offic. cap. 19. Cuius ipsa verba ab Ecclesia ita probata sunt, vt eius auctoritate, publicum in ius sacræ disciplinæ, transcripta fuerint: prout etiamnum seriatim inserta leguntur can. *fœmina* 30. quæst. 5. Ritus verò in iis expressus etiamnum in praxi perdurat. Sicut ex Rituali Romano, titulo *de Sacramento Matrimonij*, planè liquet, quo hæc formula benedicendi anuli præscripta est. *Adiutorium nostrum*, &c. *Sit nomen Domini*, &c. *Domine exaudi*, &c. *Dominus vobiscum*, &c. *Oremus, Benedic † Domine anulum hunc, quem nos in tuo nomine benedicimus †: vt quæ eum gestauerit, fidelitatem integram suo sponso tenens, in pace & voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate semper viuat. Per Christum,*

&c. *Deinde ſacerdos aſpergit anulum aqua benedicta in modum crucis, & ſponſus accepto anulo de manu ſacerdotis, nummum quempiam argenteum, eius arbitrio, ſponſæ tradens. Mox anulum imponit in digito anulari (qui minimo eſt proximus) ſiniſtræ manus: ſacerdote interim dicente, In nomine Patris † & Filij & Spiritus ſancti. Amen.*

In Rituali Pariſienſi, ſic illa cæremonia peragitur. *Pòſt anulum* (benedictum ſcilicet) *ſumens ſacerdos, ſponſo tradet, dicens & cum eo ſponſus. Et de cét aneau vous épouſe, au nom du Pere,* pollicem manus ſiniſtræ, *& du Fils,* indicem, *& du ſainct Eſprit,* medium tangendo. Tum dictum anulum eo in digito eiuſdem ſiniſtræ, qui minimo eſt proximus ponet, ibique relinquet, nec permittet extrahi, aut cadere ex digito.

Cuius cautionis ratio hæc propria videtur in Rituali Ebroicenſi aſſignata. *Ad depellendum perniciosum illum errorem, quem pluribus in locis inualuiſſe audiuimus, quo plerique maiorem in ſuperſtitione, quàm in vera pietate fiduciam habentes, ad arcendum vt dicunt maleficium, hoc vano vtuntur remedio: vt ſponſo anulum ſponſæ ſuæ tradente, ſponſa ipſa datâ operâ anulum in terram cadere permittat. Diſtrictè omnibus parochis præcipimus, vt ſæpiùs diebus Dominicis parochianos admoneant, ne in hanc vel alias eiuſmodi ſuperſtitiones, ab ipſo dæmone in tanti ſacramenti opprobrium inuentas, impingant. Quòd ſi aliqui poſt monitionem, iſtud in poſterum agere præſumpſerint, excommunicationem ipſo facto incurrentes, protinus ab Eccleſia eiiciantur, nec ad audiendam Miſſam quouſque abſolutionis beneficium conſecuti fuerint, admittantur.* Hæc ibi.

Cæterùm circa ritum anuli nuptialis, quædam iuris ſacri ſyntagmata hîc operæ pretium fuerit annotare. 1. anuli dationem, præſumptionem facere matrimonij, *gloſſ. fin. in can. fœminæ* 30. *quæſt.* 5. Proinde delationem anuli in muliere eſſe matrimonij ſignum, *cap. illud de præſumpt.* At exceptio hîc locum habet. Nam ſi datus fuerit à viro mulieri coram parentibus in domo, præſumere tantùm faciet ſponſalia. Sed ſi

datur in Ecclesia (præsertim à sacerdote benedictus & traditus) indicium erit matrimonij, *gloss. anulos in cap. illud de præsumpt. & gloss. fin. in can.* citatum, *fœminæ.*
2. Animaduerti debet, quòd in præcitatum canonem *fœminæ,* mendum irrepserit, subnotari à Stephano Daoyz Pampilonensi, in conclusionibus tom. 4. Pontificij iuris. Vbi enim apud Gratianum, etiam recognitum, legitur, *in primis negotiis,* legendum insinuat, *in primis nuptiis.* quæ lectio sanè concinior ac germanior videtur. Sed ea admissa, ex eiusmodi verbis videtur colligi posse, anulum à sponso dari sponsæ in primis duntaxat nuptiis, prisco illo ritu consueuisse. Quæ tamen exoleuit obseruatio: nam hoc tempore in nuptiis queisque à sponso anulus sponsæ solenni more traditur. nec abs re, cùm sit per se signum fidei & mutuæ dilectionis (ipso can. *fœminæ,* & can. *nostrates,* eadem 20. causa quæst. 5.) quæ sanè non in primis duntaxat nuptiis, sed & in cæteris, quæ sunt verum quoque ac proprium sacramentum, vigere inter coniuges debet.

Sed de situ anuli, extra nuptiale fœdus, pleraque hîc notari possent, quæ prætermittenda puto vitandæ prolixitatis causâ. Certè Lipsius in commentariis suis super Senecam, doctè insinuat, etsi olim anulus apud Romanos, in sinistræ tantùm manus penultimo digito (qui ideo anularis consecutus est appellationem) gestaretur: postmodum tamen in singulis articulis digitorum, ex luxuriantis sæculi genio cœpisse perferri. At morem hunc ex luxu & diuitiarum ostentatione exortum, Ecclesiæ nunquam probauit disciplina: cuius (vt ex dictis apparet) hic vsus ab initio fuit, vt à sacerdote tradendus ex sponsi munere sponsæ anulus, vnicus tantùm esset: Et ipsi Episcopo, qui hoc insigni, ipso iure sacrosanctæ dignitatis honoratur, non liceret, nisi vnicum gerere anulum. At hunc in dextera manu eiúsque digito, qui dicitur anularis, proximus scilicet extremo, & non alio, ferre debet, iuxta regulam in Romano Pontificali expressam. Facta siquidem benedictione anuli, sequitur: *Tum aspergit ipsum anulum* (Pontifex consecrator) *aqua benedicta; sedet cum mitra*

tra & ſolus anulum in digitum anularem dexteræ manus conſecrati immittit dicens: Accipe anulum fidei ſcilicet ſignaculum, &c.

Non hîc igitur diſquirendum, cur potiùs in digito illo manus dexteræ, qui dicitur anularis, quàm in alio anulus ille ſacer collocetur: cùm & nomen ipſum & ratio ſuperiùs expoſita, de digito ſiniſtræ anulari (in quem immitti ſolet pronubus anulus, in Matrimonij celebratione) ſatis ſupérque patefaciant, cur benedicto anulo decoretur quoque digitus extremo proximus, in ordinatione Epiſcopi. Sed ſolùm de manus differentia ſupereſt inquirere. Cur in dextera ſcilicet conſtituatur anulus Pontificalis, cùm in ſiniſtra nuptialis anulus conſueuerit, ritu Eccleſiaſtico collocari? Et verò ſi ad ſacræ ſcripturæ auctoritatem attendamus, inſignis locus hac in re eſt apud Ieremiam cap. 22. *Viuo ego dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioakim Regis Iuda, anulus in dextra mea, inde euellam eum.* Vulgaris eſt quidem illa interpretatio, quæ ſic habet. Etiamſi Iechonias mihi ita charus eſſet & neceſſarius, vt anulus ſignatorius, quem abs ſe nemo eſſe ſinit: tamen ob eius ſcelera, à me euellam illum, atque longè proiiciam. Nec minus notabilis iſta quoque, quæ recentiorum expoſitorum eſt. Anulum exiſtimantium hîc metonymicè poni pro imagine, palæ anuli inſculpta; vt ſit ſenſus. Mos eſt amicorum vt eos quos amant & venerantur, in pala anuli expreſſa præſenti ſemper effigie ſuis oculis obiiciant. Tametſi autem (inquit Dominus) Iechonias ita mihi charus ac pretioſus eſſet, euellam tamen eum de manu mea atque abiiciam, ne ampliùs eius imago meis oculis obuerſetur, & recordatio eius meis præcordiis deinceps inhæreat. Obliuioni enim illum ſempiternæ tradam, nec eius vnquam in miſericordia mea, memor ero.

Vtraque ſanè illa paraphraſis, textui ſacro haud ineptè cohærere videtur: ſed tamen vtraque tantùm explicat anuli, ſeu palæ quæ geritur in manu quauis vtriuſque, percharam poſſeſſionem. Non tamen ſpecialem illam expreſſionem attingit, *ſi fuerit anulus in ma-*

nu *dextera mea.* Cur ſcilicet potiùs in dextra dicatur, quàm in ſiniſtra Dei, myſticus ille anulus repoſitus? Igitur vt loci huius ſenſus genuinus eruatur, dicere neceſſe fuerit, vel Hebræos in dextera tantùm ſuos anulos geſtaſſe; vel ſi in vtraque manu ferebant, eum qui dexteræ inſertus erat, fuiſſe eo qui in ſiniſtra ſitus erat, poſſeſſori chariorem ac pretioſiorem. Sic enim omnia minutim enucleabuntur, & præcedens vtraque expoſitio, tertiæ huic adiuncta, eidem ad amuſſim quadrabit, hæcque viciſſim illarum harmoniam perficiet.

Intereſſet verò hoc poſito inueſtigare, cur ſitus dexteræ excellentior ac dignior ſiniſtræ cenſeatur? Sed hic locus communis eſt, in quem ſi liceret vel luberet exſpatiari, plenus ſuper hoc commentarius facilè contexi poſſet. At lubens à parergo tam prolixo locóque toties à doctis & prudentibus peragrato, hîc, ſpontaneúſque abſtineo. Dixiſſe ſemel ſufficiat, paſſim in ſcripturis ſacris dexteram ſiniſtræ anteferri, quæ ratio cauſam dedit iam olim Petro Damiani, doctiſſimo ac piiſſimo Cardinali Epiſcopo Oſtienſi, conſcribendi opuſculum de Apoſtolorum picturis*, in cuius tractatus cap. 2. diſquirit *cur Petrus ad ſiniſtram* ** *& Paulus ad dextram* (quam honorificentiorem agnoſcit) *collocentur.* Et rectè quidem arguit, huic praxi à Maioribus obſeruatæ ſubeſſe myſterium. *Quæſtione propoſita* (ait ad Deſiderium Abbatem) *ſæpenumero requiſiſti, cur videlicet in imaginibus picturarum, per vniuerſas adiacentes Romæ prouincias, Petrus qui primus eſt, ad ſiniſtram, coapoſtolus autem eius Paulus conſtituitur ad dexteram; cùm iuxta vulgarem ſenſum, hoc rerum ordo depoſcat, vt Petrus qui Principatus Apoſtolici Princeps eſt, dextrum Domini latus, Paulus verò qui iunior eſt ſiniſtrum iure poſſideat? Sed durum eſt valde vt opinemur, quia tam egregium támque famoſum Apoſtolicæ diſpoſitionis ordinem, inconſultè ac inconſideratè deuota Deo ac religioſa vetuſtas admiſerit. Neque enim credendum eſt, vt Conſtantinus Imperator, immo Papa Silueſter, atque poſt eos Principes & ſacerdotes in Ec-*

* ſerie eſt inter cetera opuſc. 35.

** De hoc ſitu luculenter diſſeruimus in noſtro tractatu, cuius titulus eſt, *Petrus & Paulus*, &c. qui nondũ in lucem exiit.

clesiasticæ disciplinæ literà peruigiles atque solertes, hunc ordinem tantorum Principum negligendum ducerent, si correctione dignum aliquatenus æstimarent. Subiunctísque secundo & tertio capitulis, idem Petrus, tandem ad conclusionem veniens: obiter subindicat, non in omnibus omnino picturis Ecclesiasticis, quibus Apostolici referuntur, Petrum in sinistra repræsentari: aliquando enim conspici in dextera collocatum, túmque hoc ipso situ, qui potior est, eiusdem Petri designari inter Apostolos Principatum. *Vt ergo* (inquit) *vnde cœpit sermo recurrat: cùm B. Petrus ad dexteram ponitur, Primatus eius quem inter cæteros est sortitus Apostolos honoratur. Cùm verò Paulus eiusdem dextri lateris occupat locum, id Beniamin (qui filius est dexteræ) cuius est filius, mysticæ figuræ redolet sacramentum. Quanquam & hoc non à mysterio vacet, quod beatus Petrus Dominici lateris sinistram tenet, per illum siquidem actiua vita figuratur: & sicut contemplatiua vita per dexteram, sic actualis exprimitur per sinistram.* Hactenus perdoctè Petrus ille sapientissimus Cardinalis. Eius ex porrò dictis mihi in mentem subit non inepta, vt reor equidem, meditatio. Cùm in nuptiis à sponso anulus sponsæ in penultimum sinistræ digitum immitti soleat: qui in consecratione Episcopi à Pontifice eum ordinante, eius anulari dextræ manus digito inseri consueuit, diuerso hoc ritu subindicari. Nempe quòd connubium etsi *honorabile sit in omnibus*, vt Apostolus vas electionis pronunciat: attamen caducum & promptè transitorium esse. *Hoc itaque dico fratres* (ait 1. Corinth. 7.) *tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint*, &c. *& qui vtuntur hoc modo tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi.* At verò sacerdotium noui Testamenti, est æternum. Proinde illud sinistra quæ infirmior est; istud dextra quæ fortior & solidior est, mysticè adumbratur. Cæterùm quòd & per ordinationem Episcopalem nuptiale quoque fœdus contrahatur cum commissa præsuli Ecclesia: (quo coniugio, æternum Christi connubium, cum

vniuerſali Eccleſia deſignari indubium eſt.) Longè idcirco id arctius atque perfectius ſtabiliúſque, eô eſſe, quo temporalis duntaxat fit in corporalibus nuptiis, viri ac fœminæ copulatio. Ea certè de cauſa rectè anulus Epiſcopo datur in dextera, qui ſponſæ à viro in nuptiali corporum connexione, ſiniſtræ inſeri digito propè extremo conſueuit.

His accedit, quòd Epiſcopus (vt ſanctus Hieronymus verè ac eleganter eloquitur) *eſt Chriſti omnipotentiæ organum*. Virtus verò ac poteſtas in ſacris paginis ſolet per dexteram deſignari. Vnde illud, *Dextera tua ſuſcepit me*, Pſalm. 17. *In potentatibus ſalus dexteræ eius*, Pſalm. 19. *Brachium eorum non ſaluabit eos, ſed dextera tua & brachium tuum*, Pſalm. 43. *Dextera Domini fecit virtutem*, Pſalm. 117. Præcipuus verò eſt adminiſter Epiſcopus, in Eccleſia, Dei virtutis: per quem Dominus iugiter in ſalutem credentium operatur. Per quem munera diſtribuit gratiæ, actus exerit iuſtitiæ, poteſtatis verò officia elicit: dæmones ligat, animas ſoluit, infernum claudit, cœlum aperit, myſteria omnia, ſuam in gloriam noſtrámque vtilitatem mirabiliter exequitur. Filius dextræ nimirum eſt Epiſcopus; cuius peruigili ſolicitudine, & præpotenti operâ, Deus fortiter ac feliciter vtens, animas ne pereant in ſiniſtra, deducit ad dexteram, ab hœdis ſegregans, inter oues refert, atque recenſet, quibus æternæ vitæ paſcua præparauit.

Cæterùm Duranti lib. 2. de ritibus Eccleſiæ Catholicæ cap. 9. rectè aduertit de ſitu anuli Epiſcopalis, apud Canoniſtas non conuenire. Siquidem alij volunt in manu ſiniſtra, adeóque digito eius qui vltimo proximus eſt, ab Antiſtite eſſe gerendum: citátque in hanc ſententiam Imola *in cap. Clerici,* quod decimum quintum eſt, Tituli *de vita & honeſtate Clericorum, lib. 3. Decret.* Cui accedunt Silueſter verbo *indigentia* num. 10. & verbo *Epiſcopus*, num. 1. Petrus Gregorius Syntagmatum lib. 15. pag. 2. cap. 11. numer. 39. Abbas in cap. *Licèt de tranſlatione Epiſcoporum*, num. 5. Spe-

culator lib. 1. part. 1. titul. *de Dispensat.* numer. 23. & Mauritius de Alzedo, *de excellentia Episcopalis dignitatis,* cap. 5. numer. 67. & 68. aliíque. Ratio eorum ex analogia petita est, anuli episcopalis cum pronubo seu nuptiali, quem (vt non semel suprà obseruauimus) non modò sæculi scriptores, at tractatores etiam rerum Ecclesiasticarum, quin & Doctores canonistæ in *cap. fœmina* 30. quæst. 5. ea de causa, digito qui sinistræ manus extremo proximus est, signatim imponi volunt, quòd ab eo digito neruus quidam tenuissimus, ad cor hominis pergat atque perueniat; aut sicut docet Alexander ab Alexandro lib. 4. cap vltimo. quia inde tenuissima vena, aut vt Lemnius lib. 2. de occultis naturæ miraculis cap. 11. tenuis quidam arteriæ ductus, ad cordis ima penetret. Quam rationem (inquit doctissimus Duranti) commentitiam contendit Anastasius Germonius lib. 2. animaduersionum cap. 8. Cuius rationibus facilè occurri potest, cùm præsertim motum istum in parturientibus & lassitudine defatigatis, omnibus affectibus manifestè percipiamus. Verùm tametsi hæc vera esse, non sit quòd inficiemur; causam hoc in opusculo specialem assignamus, ob quam morem collocandi anuli nuptialis in manu sinistra, eiúsque digito propè minori, non placuit Ecclesiæ seruari, nec in Episcopali consecratione, nec in sacrarum virginum celebri cum Christo desponsatione.

Alij igitur rectiùs docent, in dextera esse statuendum: quorum sententia Ecclesiastica praxi nititur, nam in Pontificali Romano disertè hoc præscriptum habes, in rubrica propria tituli, *de consecratione electi in Episcopum.* Itémque in titulo *de consecratione virginum:* quin etiam titulo *de benedictione Abbatis auctoritate Apostolica.* Sed tamen hîc diligenter est aduertendum, quòd licèt Pontificale expressim decernat, anulum in quarto dexteræ Episcopalis digito collocandum esse: húncque ritum seruandum esse omnino sentiat Mauricius de Alzedo cap. 5. de præcellentia

Epiſcopalis dignitatis n. 67. priſcus vſus tamen ab hac regula deſultabat: cùm more olim vbique receptum fuerit, Epiſcopos anulum geſtare in indice manus dextræ. Quem morem præter auctoritatem antiquitatis, etiam rationi innixum non incongruæ, præfatus Duranti appoſitè inſinuat. *Quod* (inquit) *digitus index, ſalutaris dicatur.* Suetonius in Auguſto cap. 80. Tribellius Pollio in vita M. Septimi. Adde quòd ſilentium indicet, Apuleius lib. 1. metamorph. Alexander ab Alexandro l. 4. cap. vltim. &c. quod bene conuenit, cum formula dandi à Pontifice conſecrante anuli conſecrato Epiſcopo, qua expreſſim dicitur, anulum ipſum eſſe fidei ſignaculum: cuius ſcilicet myſteria ſenſibus humanis occulta, Epiſcopus in Dei digito reuelat dignis, obſignat & abſcondit indignis. qua de re Rabanus Maurus tit. de inſtitut. Clericorum cap. 4. &c. Cæterùm manu indicari ſilentium non modò apud Hebræos (quibus hoc proprium fuiſſe ſanctus Chryſoſtomus arbitratur, in cap. 19. Actorum) ſed & apud Græcos eruditiſſim. Budæus in commentariis linguæ Græcæ, in Xenophonte obſeruauit. Porrò Ioſephus Stephanus lib. de oſculat. pedum Romani Pontificis cap. 16. Græcos Epiſcopos ſolitos eſſe aſſerit, populo ſilentium indicere digitis duobus in iotam erectis, tertiô, pollice compreſsô. Sed Latinis hunc conſtat non eſſe morem receptum: quos indice pridem geſtaſſe anulum, non ſolùm vt ſilentium ſubiecto ſibi populo, hoc nutu præciperent, ſed ob maioris momenti rationem, quam ſequenti capite, loco proprio explicamus.

CAPVT VIII.

De mystica anuli episcopalis significatione.

COROLLARII vice, titulus iste hîc accedit, tametsi ex præmissis facile colligere sit mysticos significatus, qui in anulo pontificali (quantum spectat ad eius materiam, formam, ornatum, vsúmque legitimum) reconditi sunt. Hîc igitur solùm ij sunt enucleandi, qui anulum ipsum, absolutè in se consideratum, comitantur.

Sanè beatus Bernardus, vel quiuis alius apud eum contemporaneus auctor primi sermonis in Cœna Domini, in insignibus Episcopi (quorum inferiori loco reponi non debet anulus) delitescere mysticas significationes, cùm ipsa insignia non modò ornatus sint, sed & signa, rectè ac prudenter arbitratur. *Multa siquidem* (ait) *fiunt propter se tantùm: alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa & sunt. vt enim de vsualibus sumatur exemplum, datur anulus absolutè propter anulum & nulla est significatio; datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua, & signum est, itaut iam dicere poßit, qui accepit, tenere se hæreditatem quam quærebat.* Et infrà, *sicut enim* (subiungit) *in exterioribus diuersa sunt signa, vt cœpto immoremur exemplo, variæ sunt inuestituræ secundùm ea de quibus inuestimur: verbi gratia inuestitur canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & anulum simul.*

I. Anulus igitur inuestituræ signum est, etiam ex iuris canonici dispositione. Hinc cap. *ex ore*, de iis quæ fiunt à maiori parte cap. Decret. lib. 3. titul. 11. legere est, *in signum inuestituræ, anulo aureo destinato*; consonat & gloss. *signum* in cap. *ad nostram* de consuetudinibus. Decret. tit. 4. vbi habes, *sic anulus est signum inuestituræ, & inuestitura est signum traditæ poßeßionis*. Sicut è contrà restitutio, vel ablatio eius iuridica, est signum renuntiationis, seu depositionis,

cap. *ſanè* de renunciat. & cap. *cùm pridem* de Pactis, &c. conueniunt his & leges ciuiles, citatæ cum aliis iuris ſacri ſyntagmatibus, eadem gloſſ. *ſignum*, præcitata. Vtque exemplum legibus vtriſque accedat, ſic in Concilio Nemauſenſi anno 886. in depoſitionis canonicæ indicium, Seluæ & Ermerimo intruſis per fraudem Epiſcopis, *anuli cum dedecore à digitis auulſi fuerunt*, &c.

II. Eſt & anulus *ſignum matrimonij*, ead. gloſſ. *ſignum*, & cap. illud de præſumpt. ac can. *noſtrates*, & can. *fœminæ* 30. quæſt. 5. Accipit igitur Epiſcopus ſacrum anulum in ſignum nuptialis fœderis, quo ei commiſſa Eccleſia copulatur. Sponſus enim eſt propriæ Eccleſiæ, quemadmodum fusè oſtendimus toto libro de *Epiſcopali Monogamia & vnitate Eccleſiaſtica, præſertim verò cauſa* 4. 6. *&* 8. *ſecundæ partis.* In huius ſpiritualis coniugij ſignum, quò intelligat qui ordinatur Epiſcopus anulum ſibi dari, ſic ipſum compellat conſecrator Pontifex. *Accipe anulum, fidei ſcilicet ſignaculum, quatenus ſponſam Dei, ſanctam videlicet Eccleſiam, intemerata fide ornatus illibatè cuſtodias.* Quibus verbis etſi Epiſcopus non tam ſponſus eſſe quàm ſponſæ cuſtos conſtitutus pro Domino videatur, tamen quia Domini ipſius locum & vicem obtinet, præſidet enim creditæ Eccleſiæ (ait glorioſus Martyr Ignatius epiſt. ad Magneſianos) εἰς τόπον θεοῦ, *in locum Dei.* Vnde eius etiam imago eſt, vt idem beatus Ignatius inſinuat. quin & docet Concilium Nicænum, dicens Epiſcopum ferre τὸν τύπον τοῦ χριστοῦ, *imaginem ipſius Domini* *, non ſolùm quatenus (vt ipſe ſanctus Ignatius cenſuiſſe videtur) Epiſcopus ſacrificat, ſeu ſacerdotio fungitur: ſed etiam prout vice Chriſti gregem in vnum conſociat, quem regit, paſcit & protegit: ſed Eccleſiam quoque ſibi copulatam myſtica prole fœcundat. Eſt enim eodem iure modóque, Eccleſiæ ſuæ ſponſus ac fidelium Pater, quos ex ea Chriſto progenerat incorruptibili ſemine Euangelicæ veritatis, ac vitæ recreat lauacro; chriſmatéque ſalutis confirmat, & pabulo nutrit ac reficit diuinæ alimoniæ.

Impios qui Galdricũ Epiſcopũ Laudunenſé, virum ſummæ virtutis interfecerunt, ei digitum truncaſſe cũ pontificali anulo, qui ſignaculum eſt cõnubij ſpiritualis Epiſcopi cũ Eccleſia: cædis huius nefãdæ nuncius Ludouico Regi Francorum cognomine Groſſo, lugubri effatu ſignificat, apud Sugeriũ lib. de vita eiuſdẽ Ludouici Regis.

* *Apud Gelaſ. Cyzic. c. 30. §. 3. Serm. de Diatypoſibus Eccl.*

At-

Atque vt de cæteris Sacramentis taceamus, certum eſt cognationem ſpiritualem contrahi in Baptiſmo, inter baptizantem & baptizatum * cap. 1. de cognatione ſpirituali in VI. & Concil. Trident. ſeſſione 24. de reformatione matrim. cap. 2. Oritur autem ex paternitate ſpirituali, de qua Apoſtolus, *etſi decem millia habeatis Pædagogorum in Chriſto, ſed non multos Patres, nam in Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui*, 1. Corinth. 4. 15. Ponderat quidem ſanctus Chryſoſtomus hanc particulam, *in Chriſto Ieſu: id eſt* (inquit) *non mihi hoc imputo. Nam vos eſtis ſignaculum Apoſtolatus mei. Alibi ego plantaui: hîc ego vos genui. vſus nominibus naturæ, vnum enim fuit hoc ei ſtudium, vt oſtenderet, quam in eos habet dilectionem*, hom. 13. in 1. ad Cor. cap. 4. Paterna ſanè dilectio maxima eſt, quam citato loco Apoſtolus commendat, quámque quilibet Epiſcopus iure ipſo dignitatis (quia Apoſtolis ſuccedit) erga ſuos omnes diœceſanos, non ſecus ac eorum parens naturalis, tenetur exhibere. Nam gemino ſacramentali nexu, hanc circa eos contrahit cognationem, nempe baptiſmo & confirmatione, *cap. per catechiſmum de cognatione ſpirituali lib. 6.* Nec porrò refert quod Epiſcopus, vt plurimùm, per ſe non baptizet. Satis eſt enim quòd eminenter ius illud habeat: qui verò eo miniſterio funguntur Preſbyteri, Diaconi, &c. eius obeunt vicem. vnde Tertullianus lib. de Baptiſmo c. 17. *Dandi* (inquit Baptiſmi) *habet ius ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Preſbyteri, & diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quô ſaluo, ſalua pax eſt.* Et infrà cùm laïcis quoque in neceſſitate, ſed abſente Epiſcopo, Preſbytero vel diacono, &c. fas eſſe hoc impertire myſterium aſſeruiſſet: excipit confeſtim, *ne ſibi aſſumant ducatum Epiſcopi, officium Epiſcopatus*. Igitur Baptiſmi collatio, Epiſcopatus primarium munus eſt. Quod ſi proximus Preſbyterorum ordo, vel ſubſequens diaconorum aliquando exequitur, non tam iure ſuo, quàm Epiſcopi vice, hoc in officio vti, exiſtimari debet. Notandum verò quod ſignatim addit Tertullianus *propter Eccleſiæ honorem*. Ne ſcilicet vna

* *Vide gloſſ. quod autem, in ſumma 30. q. 3.*

Tom. 4.

plures ſponſos habere videatur. *Adulterari* (ait ſuffragator Tertulliani B. Cyprianus*) *non poteſt ſponſa Chriſti, vnam domum nouit, vnius cubilis ſanctitatem caſto pudore cuſtodit.* Nec itidem refert, quòd Chriſtus vnus hic ipſe ſponſus eſt. Nam *vnus quoque eſt Magiſter noſter Chriſtus*, & vnus itidem vnius gregis ipſe vniuerſalis paſtor. Sicut enim de ſe ait, *ego ſum lux mundi.* Apoſtolis quoque *vos eſtis lux mundi.* Ita vnus *ipſe omnium doctor*, de quo Pater ait *ipſum audite:* ſuos Apoſtolos quibus Epiſcopi ſuffecti ſunt, ſui vice conſtituit, ſuæ Eccleſiæ doctores, ait etenim. *Ite docete omnes gentes. ſicut miſit me Pater & ego mitto vos.* Vnde non immeritò vas electionis gloriatur. *In quo* (inquit) *poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus* (veritatem dico non mentior) *doctor gentium, in fide & veritate.* Sic paſtor eſt Chriſtus. *Ego ſum* (inquit) *paſtor bonus.* Sed hoc etiam honore Apoſtolos donauit, *quos operis ſui vicarios eidem contulit præeſſe paſtores.* Quamobrem à primate Apoſtolorum, Chriſtus non vnicus paſtor, ſed paſtorum Princeps conuenientiſſimo eminentiæ titulo appellatur. *Forma eſtote* (inquit) *gregis ex animò. Et cùm apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam*, 1. Petr. 5. Pari profectò modo Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ. Vnde Ioannes Baptiſta. *Non ſum ego Chriſtus, qui habet ſponſam ſponſus eſt* (nempe Chriſtus:) *amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum* (ſicut ego ſcilicet Chriſtum) *gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt*, &c. Ita & ipſe Dominus amicos ſponſi (hoc eſt ſui ipſius) Apoſtolos appellabat. *Quanto tempore habent ſecum ſponſum non poſſunt ieiunare. Venient autem dies cùm auferetur ſponſus ab eis, & tunc ieiunabunt*, Marc. 2. Quo obtentu Paulus Apoſtolus ad Epheſios ſcribit, *viri diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis*, Epheſ. 5. Verùm quod Leo Magnus de Petro nomen participante dicebat, *Ego ſum petra & tu quoque petra es, qui mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi ſunt tibi poteſtate propria, tibi ſint*

* Lib. de vnit. Eccl.

Matt. 23.

Ioan. 8.

Matt. 5.

Matt. 28.

Ioan. 21.

1. Timoth. 2.

Ioan. 1.

mecum participatione communia : etiam in ſponſi nuncupatione locum habet. Certè inter titulos ſummi Pontificis, quibus eius primatum aſtruunt polemici Theologi ; ſponſi nomen, vniuerſalis Eccleſiæ reſpectu, à Cardinale Bellarmino, ex Concilio Lugdunenſi (vt habetur capite, *vbi periculum*, in VI.) Papæ vt Chriſti vicario vindicatur. tamen hoc cum diſcrimine, quòd Chriſtus ita ſit proprio iure Eccleſiæ ſponſus, vt ipſe ſolus eam ſuo fœcundet ſpiritu, & eius ſolius ſemine (quod eſt verbum Dei) naſcantur filij, qui Chriſti ipſius proprij ſunt. At verò Pontifex ſponſus dicitur, quia cooperatur extrinſecus, in generatione filiorum, tanquam præcipuus verbi & ſacramentorum miniſter, Eccleſiæque œcumenicus rector & cuſtos. Nemo autem prudens ac ſciens eſt Eccleſiaſtici ordinis, qui abnuat Epiſcopos ita eſſe particularium Eccleſiarum paſtores ac patres, vt ſummus Pontifex, Catholicæ Eccleſiæ pater eſt ac paſtor. Proinde ſicut ipſe ſponſus eſt vniuerſalis Eccleſiæ: ita cæteros Epiſcopos (qui fratres eius & coepiſcopi appellantur, vt pote vocati in partem ſolicitudinis, quamuis non in plenitudinem poteſtatis) creditarum ſibi Eccleſiarum ſponſos quoque eſſe. Diſertè etenim hoc ipſum vas electionis Paulus, ſuum ad Timotheum ſcribens, de Epiſcopi dotibus, inſinuat, dum ait, *Oportet Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum, filióſque habeat ſubditos cum omni caſtitate. Si enim domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit.* Vbi meridiana luce clarius eſt, Apoſtolum aſſerere ſic Eccleſiæ Epiſcopum eſſe præfectum, ac vxori virum : ideóque eius eſſe ſponſum æque ac fidelium patrem, quos Apoſtolus ipſe docet ab eo, tanquam filios à parente, inſtituendos in omni caſtitate & pietate. Pulchrè ſuper hunc locum ſanctus Chryſoſtomus*. *Eſt enim Eccleſia* (inquit) *velut domus quædam. ac ſicut in domo vxor eſt, & filij, ac ſerui, omniúmque cura ac regimen incumbit viro : ita fermè & in Eccleſia videas.* Hinc igitur eſt iam quò ad baptiſmi myſterium redeamus, per cuius cum Eccefia ſponſa ſua,

Lib. 2. de Rom. Pontif. c. 31. §. Decimum tertiũ eſt, &c.

1. Epiſt. 3.

* ἔστιν ἡ ἐκκλησία ὥσπερ μικρὰ οἰκία. καὶ ὥσπερ ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰσὶ παῖδες, γυνὴ, οἰκέται, καὶ πάντων ὁ ἀνὴρ ἀνάρχηται τὴν ἀρχὴν, οὕτω καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ οὐδὲν ἄλλο ἢ τοῦτό ἐστι.

commercium, Episcopus fit Christianorum pater, vt illa mater. Meritò igitur vt sponsus fert anulum, de cuius (hoc in munere) sacratissimo arcano, hîc operæ pretium fore reor, aliqua subiicere obseruatione perdigna.

Certè Baptismus à sancto Dionysio Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. appellabatur *signum Christi : mysticum signum*, à beato Basilio exhortat. ad Baptism. à Tertulliano autem lib. 1. de Pœnitentia, Gregorio Nazianzeno orat. 11. & 40. & ipso S. Basilio lib. 3. contra Eunomium *obsignatio* dicitur. Quin ab Elia Cretensi in orat. 40. præfati sancti Nazianzeni, *sigillum* nuncupatur, eo quòd baptizati non solùm fide ac crucis signo muniantur per Baptismum, contra dæmonum impetus : verùm etiam suscepto charactere Domini sui, Christi scilicet seruatoris, eius se adictos imperio profiteantur. Dato verò quòd Baptismus sit, vt Patres citati docent, tessera, signum, obsignatio, sigillum: primogeno iure id certè ab Episcopo imprimitur. vnde cœlestis regni anulum gerit, quo imaginem illam suscipientium animis informet inserátque, de qua Apostolus ait ad Corinthios scribens 1. epist. cap. 15. *Primus homo de terra terrenus : secundus homo de cœlo cœlestis. qualis terrenus tales & terreni, & qualis cœlestis tales & cœlestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis*, Christi scilicet, quem in archetypum nobis datum sciens sanctus Ambrosius, concione de Basilicis non tradendis versus finem, doctè ac appositè ait, *Sed in Ecclesia vnam imaginem noui, hoc est imaginem Dei inuisibilis, de qua dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Illam imaginem de qua scriptum est, quia Christus splendor est gloriæ & figura substantiæ eius. In hac imagine Patrem cerno, sicut dixit ipse Dominus Iesus, qui me videt videt & Patrem. Non enim hæc imago à Patre est separata, quæ vnitatem me docuit Trinitatis, dicens, ego & Pater vnum sumus*, &c. *omnia quæcunque habet pater mea sunt. Et de Spiritu sancto dicens, quia spiritus Christi sit &*

de ipſo accipit, ſicut ſcriptum eſt, ille de meo accipiet & annunciabit vobis.

Quod igitur ſignaculi huius cuſtos ſit ac impreſſor Antiſtes: ideò anulum geſtat, in dexteræ manus anulari digito. Húcque ſpectabat mos ille antiquus, vt ipſum baptiſterium hoc Epiſcopali anulo obſignaretur. Oſtium enim baptiſterij quamuis toto anno diligenti cuſtodia clauſum eſſet, tamen initiò ſex hebdomadarum, quæ anniuerſariam Chriſti morientis, reuiuiſcentiſque memoriam præcurrunt, à Pontifice propriæ Eccleſiæ, anulo conſignatum, ſolenni cæremonia clauderetur, Feria V. in Cœna Domini, reſerandum. Vt Epiſcopi ſignaculô (niſi grauis neceſſitas obueniſſet) his diebus ſignificaretur, nullibi ſacris Baptiſmalibus initiari fas eſſe: & rurſus ab eodem, fonte reſerato, argumentum eſſet, iam Dominicæ reſurrectionis myſterium nobis patere. Propterea in Concilio XVII. Toletano, de regulis fid. can. 2. ita decretum eſt. *Licèt in initio Quadrageſimæ baptizandi generaliter claudatur myſterium, tamen ſicut Eccleſiaſticæ conſuetudinis ordo depoſcit, neceſſe eſt, vt oſtia baptiſterij in eodem die Pontificali manu, anulo aſsignata claudantur, & vſque in cœnæ Domini ſolennitate nullatenus reſerentur. ob id videlicet, vt per ſignaculum Pontificum (excepto grauiſsimo neceſsitatis obuentu) in his diebus monſtretur, per totum orbem, non licere fieri Baptiſmum & ſanctificationem. Iterum Epiſcopali ad eum obſeruatione reſerata, ſignetur Dominicæ patere myſterium reſurrectionis, in quo ad vitam factus eſt aditus homini: vt quia per Baptiſmum conſepultus eſt in morte Chriſti, reſurgat cum gloria Dei. Quòd quia in aliquibus Eccleſiis minimè hæc ſancta conſuetudo ab Epiſcopis cuſtoditur, atque peragitur: ideò per hanc noſtram ſententiam ſancimus atque decernimus, vt ita ab omnibus Hiſpaniæ & Galliarum Pontificibus cuſtodiatur, quatenus in prædicto die, initij videlicet Quadrageſimæ, & oſtia ſancti Baptiſterij cum laudum conſummatione claudantur, & ab Epiſcopis* SVO SIGNACVLO *obſignentur, ita vt niſi in Cœnæ Domini celebritate, quando more ſolito altaria debent deueſtiri,*

eadem debeant oſtia reſerari. Inconueniens enim res eſt, vt illic in præmemoratis Quadrageſimæ diebus, cunctis aditus pateat adeundi, vbi non licet debitum myſterium exerceri. Hæc Toletana XVII. Synodus, ſedente Sergio Pontifice, anno ſal. 694. celebrata. In qua non eſt quòd mireris Patres ſacri illius conuentus, qui in Hiſpania conſedit, legem præſcribere Galliarum quoque Epiſcopis : nam hoc in Concilium non modò Hiſpaniæ Præſules, ſed Galliarum quoque nonnulli Epiſcopi (vt in exordio legitur) ſponte ſua conuenerunt, non ſine (vt veriſimile eſt) ſuorum collegarum aſſenſu. Atque hactenus de ſigno myſtici coniugij quo Epiſcopus Eccleſiæ ſibi creditæ, vt ſponſus ſponſæ propriæ copulatur. Cæterùm in vita à coætaneo auctore conſcripta ſancti Auſtregeſilli Archiepiſcopi Bituricenſis, qui ante mille annos præfuit, illuſtrem, de eius futura, cum Eccleſia (quam poſtea ſacro fœdere ſibi deuinctam ſuſcepit) deſponſatione viſionem legere eſt, cuius ſeriem, ne prolixior hæc digreſſio videretur, ſatius fore cenſui hîc prætermittere.

Sed Epiſcopus non ſolùm Eccleſiæ ſponſus eſt ſuæ : & animas, quas vt caſtas filias ex ea ſuſcipit, cœleſti Regi deſponſat. Verùm tanti eſt momenti hoc arcanum, vt non inane operæpretium fore exiſtimem eidem explicando, paulò attentiùs immorari. Memor officij vas electionis Paulus, crediti muneris Apoſtolici & Epiſcopalis proprium opus eſſe profitetur, animas Chriſto deſponſare, atque tanquam pudiciſſimas virgines filio Virginis, virginúmque ſponſo copulare, charitatis fœdere ſempiterno. *Æmulor enim vos* (ait) *Dei æmulatione. deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*; 2. Corinth. 11. Quaſi diceret : non ambio mihi animarum veſtrarum connubium, ſed Chriſto, ſed Deo vos coniungere fœdere nuptiali geſtio, non meæ gloriæ, lucris, commodis, omnia hæc adorno : Chriſtus enim ſponſus eſt, ego tantùm ſponſæ ductor & paranymphus. Quemadmodum ſentire etiam de ſe Eugenium Chriſti ſummum Vicarium, ſignatim admonitum, legimus à beato Bernardo epiſt. 237. Cæterùm in præ-

citato loco Apostoli vbi vulgata habet, *despondi vos vni viro*, sanctus Ambrosius exscribit *paraui**, sanctus Augustinus *aptaui***. Quo vtroque verbo insinuatur, Apostolorum ac Episcoporum munus, hoc exigere, vt Christo animas in sponsas acquirant & concilient: sed hæ gratæ illi non esse possunt, nisi eiusdem placitis coaptentur, & puritati configurentur, ac amori reciproca dilectione succinant. Hoc igitur opus est *ministerij sanctificationis*, quod præcipuè obeundum Episcopis incumbit, qui Apostolis in Ecclesia successerunt.

* *ad hunc locũ*

** *Lib. 1. de Genesi contra Manich.*

Quamobrem etsi Presbyteris multa sint cum ipsis Episcopis communia. prærogatiua tamen illis adimitur conferendi (ordinario munere) sacramentum Confirmationis. Hæc enim solis Episcopis solito more conuenit, ex demandato diuinitus officio. Ratio à Theologis duplex huius attributionis assignatur. Prior est quòd Confirmatio sit complementum & perfectio Baptismi, proinde conueniat vt à primario ministro conferatur. Altera, quòd in Confirmatione adscribamur ad Christi militiam: adscribere verò ad militiam proprium sit ducum & Imperatorum. Sed tertia quæ mihi potior videtur, ex his verbis sancti Cypriani resultat lib. 1. epist. vltima. *Vngi quoque necesse est eum qui baptiZatus est, vt accepto chrismate, vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.* Nam cùm exploratum sit, per Baptismum infundi gratiam gratum facientem, qua homo regeneratus filius Dei constituitur. Certè aliud sibi vult S. Cyprianus, dum ait, post Baptismum necessariam esse Confirmationem, vt homo qui iam iustificatus est, habere in se gratiam possit. Puto igitur per gratiam istam intelligere coniugalem amorem, & beneuolentiam qua Christus animam prosequitur, sibi per sacramentum Confirmationis, quasi sponso obsignatam. Per hoc enim mysterium, anima Christo desponsatur, initiatúrque nuptiale fœdus, quod in vita æterna consummatur, iuxta illud Apostoli 2. Cor. 1. *qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiri-*

tus in cordibus nostris. Habet enim sacramentum confirmationis quatuor potissimum effectus. Primus est augmentum fidei, quo firmamur in Christo, & corroboramur in assertione Euangelicæ veritatis. Secundus est accrementum charitatis & gratiæ, qua copiosè vngimur, & perfundimur supernorum donorum charismatibus. Tertius est pignus spiritus, id est arrha futuræ gloriæ à spiritu amoris promissæ & conferendæ, iuxta illud Apostoli Ephes. 1. *In Christo credentes signati estis, spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Quartus effectus est sigillum seu obsignatio, qua Spiritus ipse sanctæ dilectionis, animas in Christo desponsat, atque vt verbis sanctæ Agnetis iterum hæreamus, *quasi anulo fidei* coniugalis subarrhat.

Ministerium verò designationis huius, Apostolicum esse, suprà nos beatus Paulus edocuit. Quamobrem solis competit Episcopis, qui Apostolorum vicem in Ecclesia, longè excellentiùs, quàm Presbyteri sortiti sunt. Nec enim decebat vt perfectionis Christianæ sacramentum, ab aliis impertiretur, quàm iis qui perfecti sacerdotij apice in Ecclesia præcellunt, & per quos ipse Spiritus sanctus, præsertim sua dona vniuersum in Ecclesiæ corpus diffundit. *Episcopus* (ait S. Hieronymus) *est Christi omnipotentiæ organum*, & gratiæ Dei præcipuum instrumentum. Congruum erat igitur vt per hunc præstantiorem internuncium ac administrum, fœdus illud supremum amoris, quo Spiritus gratiæ animas Christo copulat, celebraretur, sponsæque ipsæ consignarentur charactere mystico assimilationis, qua sponso queant magis exactè complacere. Quæ ratio profectò est, cur Episcopus dum chrismatis mysterium persequitur, animam quam Christo consecrat sic affatur. *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Signat siquidem signaculo similitudinis, quo grata magis & accepta sponso animarum imprimitur, harum cum illo conformitas, passionis scilicet æmulatio & amoris. Anulum ideo Episcopus quasi regni cœlestis cancellarius, proprio ex officio insignique

præ-

prærogatiua gerit, vt ſponſarum Regis gloriæ ductor & paranymphus, illi eas perfecta configuratione obſignet atque deſponſet, inſeparabili nexu amoris & honoris, æterno in regno copulandas. Per metaphoram enim anuli ſeu ſignaculi ſemper Patres denotant arcanum huius ſacræ confœderationis, quæ ab operanti Epiſcopo in ſacramenti Confirmationis celebratione dedicatur, vt eorum ex monimentis planè perſpectum eſt. Hinc ſignari à Pontifice inungente recèns baptizatum, ſanctus Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. par. 2. meminit. *Deifico* (inquit) *prorſus vnguento eum ſignat*, &c. Sic Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 3. hiſtor. refert cap. 17. iuuenem à beato Ioanne Apoſtolo, Epiſcopo cuidam commendatum, *qui eum* (inquit) *Baptiſmi ſacramento illuminauit, poſtea verò ſigillo Domini, tanquam perfecta & tuta animæ eius cuſtodia, obſignauit.* Sic vetuſtiſſimus Latinorum Patrum Tertullianus lib. de reſurrectione carnis, ritus huius ſacramenti compendioſè deſcribens: *caro* (inquit) *vngitur vt anima conſecretur*, CARO SIGNATVR *vt anima muniatur, caro manus impoſitione adumbratur, vt Spiritu ſancto illuminetur.* Sic & beatus Cyprianus ait in epiſtola ad Iubaianum, ſacro tinctos lauacro *Spiritum ſanctum, per manus præpoſitorum Eccleſiæ conſequi &* SIGNACVLO DOMINICO *conſummari.* Gregorius Nazianzenus orat. in ſanctum lauacrum dicit, in myſterio chriſmatis, *animum & corpus vnctione & ſpiritu conſignari.* Canit verò Prudentius in ψυχομαχίᾳ, vbi pugnam luxuriæ & ſobrietatis deſcribit,

Poſt inſculpta oleo frontis ſignacula per quæ
Vnguentum regale datum eſt, & chriſma perenne.*

Sanctus Ambroſius eidem Prudentio coætaneus lib. 3. de Sacramentis, per excellentiam hoc ſacramentum appellat *ſpirituale ſignaculum. Sequitur* (inquit) *ſpirituale ſignaculum, quia poſt fontem ſequitur vt perfectio fiat, quando ad inuocationem ſacerdotis Spiritus ſanctus infunditur.* Et lib. 2. de iis qui myſteriis initiantur. *Accepiſti* (ait) *ſignaculum ſpirituale:* Et paulo infrà, *ſi-*

* Eleganter & planè Theologicè: quia nũquam deletur. Nam imprimit characterẽ hoc ſacramentum inuiolabilem.

gnauit te DEVS PATER, *confirmauit te* CHRISTVS DOMINVS. Sanctus Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. hoc ipsum sacramentum appellat sacrosanctum signaculum. Theodoretus in comment. super Cant. ad cap. 1. *Initiati Baptismo* (inquit) *veluti signô ac notâ regiâ, spiritualis vnguenti chrismate inuncti, sub ea visibilis vnguenti specie, inuisibilem sancti Spiritus gratiam percipiunt.* Pacianus ideò ad Episcopos spectare munus, sic consignandi fideles, expressè asseuerat in epistol. 1. ad Sympronianum. *Chrismatis* (inquit) *potestas, maiorum longè charismatum, ad Episcopos inde, ex Apostolorum forma descendit.* Quemadmodum igitur vas electionis beatus Paulus, scribens ad Romanos ait, *Principem non sine causa gladium portare, quia iræ Dei vindex,* eô bonos defendit, plectit verò improbos. Sic profectò adæquè dici potest: Episcopum, anulum in digito non sine causa gerere, quo scilicet gratiæ Dei summus minister, consignat electos, animásque fidei integritate præstantes, tanquam puras virgines, Christo castarum mentium amatori, sancto fœdere desponsat.

Cæterùm Demetrius Bulgariæ Archiepiscopus, in responsionibus ad Constantinum Cabasilam, *de anulis Episcoporum,* illorum vsum ad prædictum mysterium reuocat. *Apud Latinos* (inquit) *anulum ferre, iis quidem qui secundùm spiritum ambulant, spiritualiter accipitur. Quemadmodum enim Ecclesiæ mundarum & virginearum animarum nominatur sponsus,* (Christus Dominus) *sic qui vbique sunt sanctarum Ecclesiarum Præsules, sponsi appellantur, anulo accepto vt spiritus sigillo;* quod & Saluator *in Dei digito,* id est sancto Spiritu, se dæmonia eiicere incredulis dicebat Iudæis, qui eum iniusto conuitio, quasi Beelzebuth haberet, insectabantur: & prodigum filium reuersum anulo mysticus paterfamilias exornauit. Eodem sensu accipit Stephanus Æduensis *opusculo de Sacramento altaris,* anuli in digito Episcopi ornamentum. *Anulus* (inquit) *in digito, Ecclesiam cuius minister est, sponso Christo associat, & ful-*

gore suo dona Spiritus sancti demonstrat. Hæc verò maximè Episcopo conuenit fidelibus impertiri, vt idoneos efficiat sacrosanctæ cum Christo animarum sponso, confœderationis. Hinc antiquo iure anulos gerere solis Episcopis competebat: quò respiciens Innocentius III. *cap. Clerici de vita & honest. Clericor.* expressè decreuit, sacro approbante Concilio: *ne anulum quispiam gereret, nisi quibus competeret ex officio dignitatis.*

III. At anulus militiæ etiam insigne est. Nam apud veteres Romanos (vti iam suprà meminimus) hic ornatus, equestris ordinis seu dignitatis indicium erat. Vnde liquet, à Tacito, *equestri dignitate donare, & anulis honorare* promiscuè vsurpari, lib. 18. Annalium. Aliæ suprà (vbi de materia anuli actum) auctoritates, Lampridij & Suetonij scilicet adductæ sunt, quæ dignitatis equestris anulum esse indicium perspicuè testantur. Singularis tamen hîc Suetonij locus in Galba cap. 10. prætermitti non debet. *Delegit equestris ordinis iuuenes, qui manente aureorum anulorum vsu, euocati appellarentur excubiásque vice militum agerent.* Hinc enim palam fit, equestris ordinis insigne, fuisse iam aureum anulum: quem postea à Seuero etiam militibus concessum Herodianus commemorat. *Militibus multa indulsit priùs negata; & aureis anulis vti permisit.* cùm antea scilicet ferreos tantùm gestare iisdem liceret. Seuerus iste fuit, cuius in vexillis, ad exercitum scriptum hoc monitum erat, *Militemus.* alij dicunt etiam in signis vocem hanc vsurpasse, *Laboremus.* Quò vnico verbo milites officij admoneret, adscriptos exercitui non huc venisse ad ludendum aut lasciuiendum, sed ad strenuè laborandum ac certandum pro imperij accremento, ac Romani nominis immortali gloria.

Episcopus sanè dux est militiæ Christianæ, qui ideò in Confirmationis sacramento, Christi signis, pugiles spiritales adscribit. Hunc igitur, vt intrepidè iis præeat, fortiter eorum in acie decertet, ac suis ad pugnam strenuis eosdem prouocet exemplis, sic Aposto-

lus in suo Timotheo adhortatur. *Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Iesu: & quæ audisti à me,* &c. *hæc commenda fidelibus,* &c. *labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit,* 2. epist. 2. Et 1. ad eundem cap. 1. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee,* &c. *vt milites bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.* Per fidem enim sancti vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones: per bonæ conscientiæ testimonium, fideles ea securitate armantur, qua impauidi fiunt ad pericula, aptissimi ad trophæa. *Nam gloria nostra hæc est* (ait idem Apostolus 2. Corinth. 2.) *testimonium conscientiæ nostræ.* Arma huius militiæ, quibus victoria animosè pugnantibus ac corona parari potest: idem Apostolus, vt iis dux spiritualis instruatur, suósque pugnatores induat, non manufacta esse, proinde nec fragilia, his verbis ostendit. *In carne quidem ambulantes* (ait 2. Corinth. 10.) *non secundùm carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei: & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Quæ autem sint arma huius militiæ alibi idem vas electionis demonstrat. *Propterea* (inquit Ephes. 6.) *accipite armaturam Dei, vt poßitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo poßitis omnia tela nequißimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore, in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia.* Inuictus certè foret Christianus exercitus, qui ita instructus ad spiritualem pugnam, eo quo decet animo ac virtute, decertaret. Vinceret verò ac triumpharet, si præmia, quæ strenuis pu-

gilibus proposita sunt à cœlesti Imperatore, apprehendere niteretur. Dignum at verò obseruatu est, quod illa Christus Episcopis per Angelum suum Ioanni dilecto suo manifestauit, expressítque. *Angelo* (inquit) *Ephesi scribe*, &c. *vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei. Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe, qui vicerit non lædetur à morte secunda. Et Angelo Pergami Ecclesiæ scribe, vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit.* Cætera ibidem præmia Angelis Ecclesiarum, hoc est Episcopis, Thyatiræ & Sardis & Philadelphiæ & Laodiceæ declarantur: non alia certè de causa, quàm quòd ducum sit exercitus præmia militibus suis proponere (ad pugnam illos vt horum donatiuorum pollicitatione alacriùs permoueant:) emeritísque eadem impertiri, quibus eorum spectata in prælio virtus, longè abundantiùs etiam quàm labor exigat, remuneretur. Ideò anulum gestat Episcopus, vt se non modò ducem diuinæ militiæ esse memoretur, sed dispensatorem quoque diuinorum, non modò mysteriorum, sed & munerum, sese Christianis pugilibus exhibeat. Appositè huc facit quod animaduertit Iacobus Cardinalis à Vitriaco, Episcopus Tusculanus serm. in Dominica quarta Quadragesimæ, quæ *Lætare Hierusalem*, à Missæ introitu vocitatur. *Consuetudo est* (inquit) *summi Pontificis in ciuitate Romana, vt hodie rosam auream cum musco & balsamo, vniuerso populo ostendat, laboris sui præmium eidem ad consolationem, ante oculos ponendo, id est Christum: qui per florem rosæ, cum auro diuinitatis, & musco corporis, & balsamo animæ rationalis designatur.* Ipse enim laboris nostri est præmium. At Christus etiam per anulum significatur, vt in huius opusculi exordio, ac eo capite, quo de gemma in auro posita disseruimus, perspectum fecimus. Eadem ratione hunc igitur quasi præmium repromissum, suo sub ductu victoribus, Episcopus ostentat. Quamobrem etsi reciperet in digito manus dextræ anulari, in indice tamen ipsum pridem gerebat, vt hoc scilicet certanti-

bus, in obiectum exponeret remunerationis: ipséque hoc sibi proposito brauio, agonem suum alacriùs excurrere, in omnium oculis eluctaretur; quemadmodum fecisse sese meminit Apostolus, vbi ait. *Ego igitur sic curro non quasi in incertum: sic pugno, quasi non aërem verberans*, 1. Corinth. 9. *Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. ob quam etiam causam hæc patior, sed non confundor*, 2. Tim. 1.

IV. Ex Romanorum more superiùs memorato, quo anulus ferreus, *signum erat seruitutis*, aureus autem *libertatis*, innotescit aliud, quod sub anulo episcopali latet mysticum documentum. Apostoli certè multis honorum titulis in diuinæ Scripturæ codicibus insigniuntur: sunt enim *Dei adiutores*, 1. Corinth. 3. eiúsque *mysteriorum dispensatores*, ibidem 4. 1. *lumina mundi*, Matth. 5. *testes & præcones Christi*, Luc. 24. *eiúsque assessores*, Matth. 19. *Doctores*, Matthæi 28. *Principes*, Psalm. 44. *& iudices mundi*, 1. Corinth. 6. Nihilominus his non se attollunt præcelsis dignitatum elogiis: at hoc solo nomine, quòd Christi serui sint gloriantur. Sic Apostolorum Princeps Petrus, sese vt præcipuo dignitatis honore in epistolarum limine consignat, *Simon Petrus, seruus & Apostolus Iesu Christi*, 2. ep. 1. Ita & Iacobus, quem cum fratre Christi prædilecto, ipse Dominus tonitrui filium nuncupauerat, sese simpliciter eius seruum inscribit. *Iacobus* (inquit) *Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus*, cap. 1. Sic & vas electionis Paulus, suas epistolas exorditur, *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus*, Rom. 1. Apostoli nomen quasi oscitanter referens, seruique titulo postponens, ceu illustriori. Nec mirum. Nam si verum est, vt nemo sapiens inficias ierit, celebre hoc Tertulliani dictum, *dignitas est seruum esse potentis*: quanto magis seruum esse omnipotentis, honorificum debet existimari? Vetus est hactenúsque probata omnibus sententia. *Seruire Deo regnare est.* quamobrem sapientissimè inclyta Christi athleta & virgo Agatha, Quintiano Siciliæ Præ-

tori, improperanti ei quam ipsius habitus humilitate profitebatur, Christi seruitutem. *Nonne* (dicenti) *te pudet nobili genere natam, humilem & seruilem Christianorum vitam agere?* Respondit: *multo præstantior est Christiana humilitas, Regum opibus & superbia.* Quapropter scitè sanctus Hieronymus in cap. 1. epistolæ ad Titum obseruat, Paulum cùm se seruum Christi vel Apostolum inscripsit, longè sibi insigniores titulos vendicasse, quàm si præfectum Prætorio Augusti Cæsaris, vel magistrum exercitus Tiberij, sese suis in scriptis prænotasset. Nec excidere hîc mihi verba patior quæ ibidem subnectit. *Vt enim* (inquit) *iudices sæculi huius, quo nobiliores esse videantur, ex regibus quibus seruiunt, & ex dignitate qua intumescunt vocabula sortiuntur. Ita & Apostolus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolum se Christi* (& seruum) *titulo prænotauit, vt ex ipsa nominis auctoritate lecturos terreret, indicans, omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subiectos.*

Tres olim erant seruorum gradus. Primi & vilissimi erant mancipia: secundi mediastimi, vt iam sunt famuli ciuium & nobilium: tertij honorarij, vt actores, dispensatores, œconomi, vicarij, qui Hebræis *Mescaretim*, id est ministri dicuntur: cùm primi *Abadim*, hoc est serui, communiter vocitentur. Porrò ex infima sorte, ad hanc non mediam sed supremam, Christus suos Apostolos euexit: quibus in procinctu suæ passionis ait. *Ego iam vos non dicam seruos, sed amicos*, Ioan. 15. quos & fratres post suam resurrectionem, summo dignatus honore nuncupauit, Matt. 28. Vnde ipse beatus Paulus ad Hebræos, *Non confunditur fratres eos vocare*, c. 2.

Quemadmodum igitur pridem apud Romanos, cùm serui libertate donarentur, ferreum anulum deponebant, aureum assumebant, non argenteum vt Isidorus censuit. *Anulum aureum* (inquit) *neque seruus, neque libertinus gestabat in publico.* Sed anulo aureo liberi vtebantur, libertini argenteo, serui ferreo.

Quo loco à Lipſio reprehenditur lib. 2. *Electorum* cap. 8. vbi monet nec aureum liberis permiſſum libero iure, niſi quibus equeſtris dignitatis aut Senatoriæ decus eſſet. Tametſi ipſe ſubinde fateatur aureos anulos non equitibus modò, non tantùm tribunis militum, quibus antè id honoris collatum fuerat: ſed militibus quibuſque fuiſſe indultum à principe, non ad ſuum vt ait nomen, SEVERO. Quin & libertinis etiam ius hoc communicatum publico more ac vſu, Imperatori probato. Tum enim demum euenit vt ſeruitute liberati cenſerentur, cùm ius anulorum aureorum impetraſſent. Tunc enim (vt Pancirollus doctè & ſolerter animaduertit) pro ingenuis, ſaluo tamen patronatus iure, habebantur, & equeſtrem dignitatem, vel beneficium equeſtri dignitati compar, exiſtimabantur adepti. Nam cùm hos geſtare, nulli quàm equeſtris ordinis hominibus fas olim eſſet (quippe qui his pro inſigni vtebantur) quo à plebe dignoſci poſſent: meritò conceſſa anulorum aureorum vſurpatione, ipſam quoque ordinis dignitatem, Princeps conceſſiſſe videbatur, prout ex text. reſultat *l. falſa demonſtr.* 33. §. *Sed ſi cui ff. de condit. & demonſtr.* quo loco ſi quis anulos à Principe acceperit, honorem eius augeri reſpondet Iuriſconſultus. Libertinis igitur dato iure anulorum aureorum, equeſtris dignitas collata cenſebatur: quæ res effecit vt in multis iuris partibus, donati anulis, libertini, habeantur pro ingenuis. Sic igitur in ſignum excuſſæ ſeruitutis, datæ libertatis, & aucti honoris, Chriſtus ſeruis ſuis Apoſtolis, imò libertinis, quin & domeſticis & amicis, & quod longè dignius eſt, fratribus, ius anulorum aureorum conceſſit, quod per ſucceſſionis vices in Epiſcopos (qui in Eccleſia Apoſtolorum gradum tenent) perenni gloriæ priuilegio liberaliter tranſmiſit. Cæterùm inſigni Chriſtianæ nobilitatis, non ſolùm illuſtrauit ipſos Pontifices: at per eos ad ſimile ingenuitatis decus, & regni æterni commercium, ſuperna in gloria obtinendum; quotquot Epiſcopali miniſterio purgantur, illuminantur,

per-

perficiuntur, Rex ipſe gloriæ euocauit. Ignoſcat lector pius, quod ad regni æterni commercium electos à cœleſti Imperatore dixi euectos iri. Veniâ at, vt verius dicam, non eſt opus. Orat Eccleſia in officio ſancti Ludouici, vt pater miſericordiarum eius interuentu, *Regis regum Ieſu Chriſti nos conſortes efficiat*, iis nimirum conſimiles, quos gloriæ cœleſtis ſpeculator, in circuitu throni ſedilia habere vidit, & coronas aureas geſtare in capitibus ſuis, quas dum diuinæ præcones gloriæ, laudem & benedictionem ſummo Regi pangerent, ipſi eum adorantes mittebant ſpontanei ante thronum, Apoc. 4.

V. Sed & poteſtatis ſupparis ſupremæ, anulum eſſe ſignaculum, literæ ſacræ inſinuant, 1. Geneſ. 41. *Dixit Rex Ægypti ad Ioſeph. Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti. Tulítque anulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuítque illum ſtola byſſina, & collo torquem aureum circumpoſuit, fecítque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſa terra Ægypti.* Præambula hæc fuit figura Epiſcopalis honoris. *Quis enim putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* nisi Eccleſiæ cuiuſque proprius Antiſtes, cui Dominus diſpenſationem domus ſuæ credidit, poteſtatémque contulit ſacroſanctæ adminiſtrationis? Auctor eſt Dio Caſſius, Auguſtum promiſcuè ſigillum credidiſſe Mœcenati & Agrippæ, & tantùm tribuiſſe ambobus, vt literas ad Senatum ſcriptas, vel aliò, impunè relegerent & immutarent, lib. 51. Mœcenate mortuo conſtat eundem Auguſtum ægrotantem, in vndecimo Conſulatu, deplorata ſalute (vt credebat) poſtquam de republica multa grauiter diſſeruiſſet, Calphurnio Piſoni Conſuli collegæ dediſſe libellum, in quo ſcriptæ erant copiæ & reditus ciuitatis: traditô Agrippæ anulô, tanquam ipſi obſignandorum reſcriptorum & libellorum curam iniungeret, & iuſtitiæ ſollicitum præ cæteris iudicaret *: adeo magnum ha-

Matt. 24. 45.

* *Xiphilinus in Auguſto.*

Pp

bebatur Principis custodire anulum: id est post eum in publica gubernatione præstare, quo nihil potest esse sublimius. Ideóque Assuerus Rex infensus proteruo Aman ademit ipsi anulum, transferens in Mardochæum Esther coniugis suæ patruum, antea tantopere ipsi Aman inuisum & despicatum **. Sicque Antiochus cùm filij sui tutelam & curam Philippo fidelissimo suo ministro demandaret, inter cætera potestatis insignia, anulum ei commisit, 1. Machab. 6. *Vocauit Philippum vnum de amicis suis, & præposuit eum super vniuersum regnum suum, & dedit ei diadema, & stolam suam, & anulum*, &c.

** *Esther c. 8.*

Sic suo loco apud fidei suæ cultores, Christus eos esse voluit, *quos posuit Episcopos regere Ecclesiam quam acquisiuit sanguine suo.* Mitram seu coronam sacerdotalem illorum apicibus imposuit, sacra stola eos induit. vnde Ioannes 1. Apocal. 13. *Vidi similem filio hominis vestitum podere.* Anulum eorum manibus indidit signatorium. Potestatem tradidit, *Sicut misit me Pater* (ait) *& ego mitto vos. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Et alibi, *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo*, Matthæi 18. *Qui vos spernit me spernit*, Luc 10. 16. *Qui vos audit me audit*, ibidem. Hos etiam super omnia bona constituit, quibus etiam commisit *mysteriorum suorum ac munerum dispensationem*, 1. Corinth. 4. 1. Scitè eò mysticum anuli significatum reflectens Innocentius III. lib. 1. de mysteriis Missæ cap. 46. *Anulus digiti* (inquit) *donum Spiritus sancti significat. Digitus enim articulatus atque distinctus, Spiritum sanctum insinuat secundùm illud, Digitus Dei est hic. Et alibi: si in digito Dei eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Anulus aureus & rotundus perfectionem donorum eius significat, quæ sine mensura Christus accepit. Quoniam in eo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Nam qui de cœlo venit super omnes est. Cui Deus non de-*

Act. 20.

Ioan. vlt.

dit spiritum ad mensuram. Super quem videns spiritum inquit, descendentem & manentem, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Nam requiescit super eum spiritus sapientiæ & intellectus, &c. *Ipse verò de plenitudine sua secundùm differentes donationes distribuit: alij secundùm Apostolum dans sermonem scientiæ, alij gratiam sanitatum, alij operationem virtutum*, &c. *quod & visibilis Pontifex imitatur, alios in Ecclesia constituens sacerdotes, alios diaconos, alios subdiaconos*, &c.

VI. Significatio myſtica quæ anulo epiſcopali denotatur, ex verbis Apoſtoli elici poteſt. *Filioli quos* Gal. 4. 19. *iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* In hoc enim Epiſcopale munus totum ſpectat, vt quia vult Deus, *nos conformes fieri imaginis filij sui*, Rom. 8. Epiſcopus pro virili intendat mentibus fidelium Chriſti imaginem imprimere: hóſque ipſius conformare monitis & exemplis. Præclarè Hugo à ſancto Victore. *Prælati* (inquit) *quasi anuli obsignare studeant fideles imagine Christi. Nam requiret ipse Dominus animas de manu eorum.* Túmque petet ab eis, cuius eſt imago? Si malo exemplo obſignent animas imagine dæmonis (quam Ioannes vocat *characterem bestiæ*, Apocalypſis 16. & 19.) ipſi cum iis quos ad exitialem hanc figuram efformauerint, à Chriſto repudiabuntur. Nec eſt quòd propter doctrinam ſanam iis traditam, ſe putent iri excuſatos. *Nam quos perdet vita, non potest saluare doctrina.* Quæ cauſa eſt cur Apoſtolorum Princeps ſummúſque Chriſti vicarius Petrus, paſtores his verbis de rectè informando grege, non verbo tantùm, ſed exemplo quoque cohortatur. *Forma efficiamini gregis ex animo*; hoc eſt, non tantùm ore, ſed etiam opere: non externa tantùm ſpecie, ſed interna veritate; non ſolo officij actu, ſed conſtanti virtutis ſtudio, & ſyncero pietatis affectu.

VII. Ex his Apoſtoli Pauli verbis deducitur. *Dicite Archippo, vide ministerium tuum, quod accepisti in Domino, vt illud impleas*, Col. 4. Subſannatum iri

enim in Euangelio insinuat Dominus illum hominem, *qui cœpit ædificare, & non potuit perficere*, Luc. 14. Et verò proprium Episcoporum est perficere, sicut Presbyterorum illuminare, diaconorum purgare. Si hoc non præstent, proprio excidunt actu, ideóque nomen habent, cuius carent officio. Nec enim satis est, vt ex parte officium suum exequantur: necesse est, *vt impleant ministerium,* alioquin ad eos iure pertinebit Angeli lugenda illa expostulatio, quæ in actis extat sancti Fursæi: vbi eum de Ecclesiæ calamitatibus instruens cœlestis ille nuntius, *Maximè* (inquit) *super Doctores Ecclesiæ ac Principes, furor Domini iratus est, viri enim dimidij operis sunt.* Dominus autem imperfecta odit, perfecta diligit, & ab Episcopis, quos cæteris dedit in exemplum, exigit perfectionis Christianæ complementum, *Estote perfecti* clamat in Euangelio ad Apostolos Dominus, Matt. 5. Et Apostolus Paulus ad Episcopos, quos in vno informat. *Perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*, 2. Tim. 3. *In omnibus teipsum prabe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate*, Tit. 2. *Esto exemplum fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*, 1. Tim. 4. *Oportet enim Episcopum esse irreprehensibilem*, 2. Tim. 3. *Sollicitè itaque cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. Sectare ergo iustitiam, fidem, spem, charitatem, & pacem*, 2. Timoth. 2. Anulus non est linea recta, nec dimidia, sed circularis quæ in gyrum se vertens, ac in se suo flexu recurrens, gemmam suo circuitu connectit. Eò tendere debet Episcopus vt inueniat sibique acquirat, quam spiritualis mercator quærit pretiosam margaritam, prout suo Timotheo suadebat vas electionis Paulus. *Tu autem homo Dei,* &c. *sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, apprehende vitam æternam in qua vocatus es*, tanquam ad brauium exercitationis tuæ. Præcipuum enim studium Episcopi esse debet animam suam saluare. Tametsi nec eam saluare potest, nisi sollicitum

1. Tim. 6.

ſe præbuerit de animarum ſibi commiſſarum ſalute. Non ſatis eſt, quòd acceperit miniſterium ſanctificationis: tenetur (vt verbis iterum vtar Apoſtoli) *perficere ſanctificationem in timore Dei*, 2. Cor. 7. cui ſcilicet de iis quorum curam ſuſcepit, *redditurus eſt rationem*, Hebr. 13. Nihil igitur prætermittere debet, quo tam arduo & multiplici officio, debitóque tam grandi defungatur, ſed pro virili contendere, vt vndequaque munus tantum impleat atque perficiat, ſibi hoc imputans quod præfatus B. Paulus ſæpedicto ſcribit Timotheo, propriè ac perſonaliter eſſe dictum. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* quaſi diceret: perfice circulum tuum, ſicut ego conſummaui curſum meum; vt idem quod iam propè aſſequor præmium, tandem mecum quoque promerearis. *Ego enim bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo* (pro fideliter geſtato Domini mei regali anulo, creditæ diſpenſationis ſcilicet miniſterio accuratiùs impleto) *repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui* (ſicut tu) *diligunt aduentum eius.* Quo nimirum die, magnus ille circulus perficietur: *cùm ſubiecta fuerint illi omnia, eritque Deus omnia in omnibus*, 1. Cor. 15. 2. Timoth. 6. *Cui honor ſit & imperium ſempiternum.* Amen.

1. Tim. 4. 5.

2. Tim. 4. 7.

FINIS.

PANOPLIAE EPISCOPALIS

LIBER IV.

De Episcopali cruce pectorali.

INNOCENTIVS ſerie tertius, ac nec primo, nec ſecundo impar, tam doctrinæ & pietatis ſpectatiſſimæ titulis, quàm ipſo Pontificatus ſummi faſtigio: aggredienti mihi tractatulum de Epiſcopali cruce pectorali, viſus eſt remoram aliquam inieciſſe, cùm hoc inſigne, proprium eſſe doceat Pontificis maximi. Libro primo ſiquidem myſteriorum Miſſæ cap. 53. prænotato, *Quare Romanus Pontifex, albam, orale & poſt-orale, crucem aſſumat?* Hæc ad verbum ait. *Romanus Pontifex poſt albam, & cingulum aſſumit orale, quod circa caput inuoluit & replicat ſuper humeros, legalis Pontificis ordinem ſequens, qui poſt lineam ſtrictam & zonam induebatur Ephod, id eſt ſuperhumerale, cuius locum modo tenet amictus. Et quia ſigno crucis auri lamina ceſſit, pro lamina quam Pontifex ille gerebat in fronte, Pontifex iſte crucem gerit in pectore. nam myſterium quod in quatuor literis, auri lamina continebat in quatuor partibus crucis forma explicuit. Iuxta quod inquit Apoſtolus: vt comprendatis*

Eph. 5.

cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, & sublimitas & profundum. Ideóque Romanus Pontifex crucem quandam insertam catenulis è collo suspensam sibi statuit ante pectus, vt sacramentum quod ille præferebat in fronte, hic recondat in pectore. Nam corde creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem. Hactenus Innocentius Papa, qui certè cùm crucis pectoralis ornamentum, adscribat pro speciali insigni summo Pontifici: cæteris Episcopis idipsum haud concessum, vel sanè huc vsque cùm hæc scribebat, non adhuc vsitatum satis perspicuè innuit. Nihilominus crux pectoralis (quam, encolpium, à sinu Orientales vocitant) inter Pontificalis dignitatis insignia numeratur, in Ecclesiastica formula consecrationis Episcopalis. Sic enim in præliminari rubrica huius ritus legitur in Pontificali Romano iussu Clementis VIII. edito & restituto, ad veteris instituti amussim. *Item paramenta omnia Pontificalia coloris tempori & officio conuenientis, videlicet sandalia, amictus, alba, cingulum,* CRVX PECTORALIS, *stola, tunicella, dalmatica,* &c. Et infrà, expleto examine & Missa vsque ad Euangelium perducta. *Episcopi aßistentes ducunt electum ad capellam suam, & ibi deposito pluuiali, Acolythi induunt eum sandalia, ipso Psalmos & orationes consuetas legente,* &c. *Tum accipit crucem pectoralem; & stola ei aptatur vt ab humeris dependeat,* &c.

Tametsi autem in veteri Romano ordine sub ipso titulo, *qualiter Episcopus in Ecclesia Romana ordinetur,* vbi etiam eius referuntur ornatus, nihil de cruce pectorali expressum sit legere: vti neque apud Alcuinum, *l. de diuinis Officiis,* cùm capite, *de singulis vestibus,* tum eo quo explicatur, *quid significant vestimenta.* Et Amularium Fortunatum, lib. 5. *de officiis Ecclesiasticis,* vbi etiam agit de vestibus sacrorum ducum à cap. 15. ad c. 26. & mysticos ipsorum vestimentorum significatus exponit. Sed nec apud Rabanum lib. 1. *de Clericorum institutione,* vbi ex professo de sacris ipsis vestibus tractat, scilicet à cap. 14. ad 24. inclusiuè. Walfridus Stra-

bus lib. vnico de exordiis & incrementis rerum Ecclesiasticarum cap. 24. *de vasis* disserit *& vestibus sacris*. At nec ibi vllum verbulum de cruce pectorali. De qua nec extat vestigium apud Bernonem Abbatem Augiensem, qui *de rebus nonnullis* scripsit *ad Missam spectantibus*. nihil quoque de hac legitur in Micrologo, *de Ecclesiasticis obseruationibus*. Iuo Carnotensis sermones edidit varios *de Ecclesiasticis Sacramentis & Officiis*, in quibus proprius est, *de significationibus indumentorum sacerdotalium*. Vbi nec quicquam aduertere est, de cruce illa Episcopali memoratum, etiam vbi docet laminam auream præsignasse signum crucis, *quod olim in lamina monstrabatur* (inquit) *nunc in signo crucis ostenditur*. Quemadmodum nec Honorius Augustodunensis, *in gemma animæ, de antiquo Missæ ritu*, libro 1. vbi scilicet à capite 209. ad 221. disserit de *vestibus* Episcopi, nempe *sandaliis, dalmatica & eius significatu, de rationali, de mitra Pontificali, de chirothecis, de anulo, de baculo episcopali. Item de virga & baculo Episcopi, de genere baculi & spherula*. Mirum at verò mihi visum est, cur capite sequenti de ornatu Archiepiscopi disserens, nullam super pectore eius agnoscit crucem, præter eam quæ è pallij linea, à parte anteriori, defluenti super pectus ipsius Archipræsulis, descendit. *In duabus quippe* (inquit) *lineis pallij ante & retro est purpureum crucis signaculum: quia Pontifex ex vtraque lege debet proferre Christi passionis testimonium. Duæ enim lineæ propendentes, sunt duæ leges, Christi passionem proferentes*. Quid quòd idem auctor cap. 213. eiusdem libri de rationali verba faciens, quod supra pectus Pontificis reponit, nullam crucis super id à sinu pendentis, prorsus elicit mentionem. *Rationale* (ait) *Pontifex in pectore ob recordationem populi portabat, hoc in nostris vestibus præfert per ornatum qui auro & gemmis summis casulis in pectore affigitur*. Mirum hîc de cruce pectorali silentium, quæ auro & gemmis Pontificiæ casulæ (si eiusmodi crucem tunc gerendi mos fuisset) superimponi modis omnibus debuerat.

Quam-

Quamuis, inquam, hæc ita ſint, vt citatos auctores perluſtranti fiet primo obtutu perſpectum : nihilominus aſſerere non vereor antiquiſſimum Epiſcopis ritum eſſe, gerendæ pectoralis crucis, quæ ideo iure annumeratur in Romano Pontificali recognito, inter ſpectatiſſima horum ſacræ dignitatis inſignia.

A Græcis videtur mihi mos ille manâſſe, à quibus crux illa à ſinu pendula σταυρὸς ἐγκόλπιος, vnica voce à ſinu vocitatur, quam ſe geſtaſſe ipſe meminit ſanctus Gregorius Nazianzenus eo carmine * quo à ſe dæmonem abigit. Ita ſiquidem tetrum hunc hoſtem adoritur,

Est 21. inter varia carmina tom. 2. eius operum edit. Pariſ. p. 94.

*——** diffuge iamiam*
Ne cruce quam metuunt omnia, te feriam:
Namque crucem in membris, medio in corpore geſto,
Inque viis, &c.

** —ἀλλ' ὑπείκε· Μή σε βάλω σταυρῷ τῷ πάντ' ὑποτρεμέει, Σταυρὸν ἐμοῖς μελέεσσι φέρω, σταυρὸν δὲ πορείῃ Σταυρὸν δὲ κραδίῃ.

Quo loco cùm perſpicuum ſit illum non loqui de ſpirituali tantùm cruce, at etiam de materiali, inde etiam apparet crucem illius pectori impendiſſe, quæ etiam in veſtibus eius ſacris paſſim conſperſa rutilabat: Græco ſcilicet more, eóque antiquiſſimo. quemadmodum vetuſtiſſimis ſanctorum Patrum Orientalis Ecclèſiæ iconiſmis, qui ex priſcis authenticíſque exemplaribus genuinè expreſſi, paſſim operibus editis eorumdem præfixi ſunt, licet conſpicere. Citat Gretſerus prælibatum S. Gregorij Nazianzeni locum eodem intellectu quo expoſuimus, de cruce pectorali, híſque verbis expromit*. *Cede ne te cruce, ad quam omnia contremiſcunt, feriam. Crucem enim in membris meis fero, crucem in inceſſu, crucem in pectore ; in cruce demum omnis mea gloria ſita eſt. Vbi etiam* (ſubnectit Gretſerus) *meritò credi poteſt inſinuare encolpium, id eſt crucem pectoralem.* Accedit huic fulciendæ acceptioni, quod cùm Nazianzenus hoc carmen edidit, Epiſcopus erat iampridem : nam & ſenex erat, eodem vt carmine deprædicat: ait enimuerò,

Tom. 1. de ſancta Cruce.

** Non mihi ceſſabis laqueos ſcelerate parare?*
Non Sodomam, & præceps conſpiciéſque atheos
(Qui malè non dubitant, diuinum ſcindere numen)

* Οὐ λήξεις λοχόων με κακόσχολε, οὐκ ἐπὶ χηραμοῖς Οὐ Σόδομα βλέψεις, οὐκ ἀθέων ἀγέλας; Οἳ μεγάλην θεότητα διατμήξαντες ἔλαυσαν,

Ἀλλ' ἐπ' ἐμὴν πολιὴν, ἀλλ' ἐπ' ἐμὴν κραδίην.

. . . .

. . . .

Οὗτος καὶ τριάδος νόος ἔπλετο ἠχέτα κήρυξ.

Sed pectúsque meum canitiémque meam

. . . .

. . . .

Præco fui sanctæ Triadis.

Vt videre sit eum non vt plebeium hominem, nec vulgarem Clericum aut monachum, sed vt Episcopum veteranum, ac doctorem emeritum loqui. Nimirum cui sacræ dignitatis iure, insignia quæ sunt Episcopis propria conuenirent.

Verùm omissis conjecturis, placet iam ad solidas progredi auctoritates. Sanè luculentum de cruce pectorali ac perlucidum testimonium extat Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani in eius epist. ad Leonem III. Pontificem Romanum, qua in pignus amoris ac venerationis crucem collo appendendam illi dono mittit. *Symbolum* (inquit) *mediatricis, internæ dilectionis, misimus fraternæ vestræ beatitudini, encolpium aureum, cuius vna facies crystallum inclusum, altera picta nigello encausto, in quo sunt partes honorandi ligni in figura crucis positæ: tunicam candidam & penulam castaneam, inconsutilem stolam,* &c. *Et hæc suscipiens, Deo prosperante & saluante benignè excipias, hæc in linteamine ingeniosè inuoluta, præcepimus plumbeo signaculo obsignari.* Hæc Nicephorus Patriarcha: ex cuius verbis etiam obseruare iuuat, sigillum plumbeum sedis ipsius Constantinopolitanæ Hierarchis fuisse tunc in vsu. fortassis ex summorum Apostolicæ Sedis Pontificum imitatione, seu etiam æmulatione, aut denique indulgentia. Cæterùm præcitata epistola, qua munuscula sacra præsignata Nicephorus Bisantinus præantistes Leoni Papæ transmittit, à Peltano edita est, cum actis Concilij Ephesini tom. 5. c. 22. quam & vetusta ex translatione verbatim recitat Baronius tom. 9. sub annum Domini 811.

Eodem porrò sæculo celebrata fuit VIII. Synodus Oecumenica (quæ quarta Constantinopolitana etiam vocitatur) in qua (si Augustino Piuizanto lib. 2. de ritu præferendi crucem Romano Pontifici cap. 7. credimus) illustre imprimis extat actione octaua de

ipſa cruce pectorali, Epiſcopis pro inſigni data ſeu potiùs reddita, monimentum. Quo ſcilicet deiectos gradu ſuo Epiſcopos, loco reſtitutos comperimus encolpij ſeu crucis quæ à ſinu ſuper pectus dependet, publica receptione: ſic enim refert Synodum elocutam. *Encolpium accipiebant, vt dignitate Epiſcopali potirentur.* Verùm illa actione nihil tale in edito Concilio VIII. apud Binium legitur. Sed ex actione quinta citat Baronius tom. 9. ſub annum præſignatum 811. hæc verba pro pectoralis crucis antiquitate. *Impoſuit ſuper capita noſtra encolpium.* Quæ ab Helia Presbytero ac Syncello throni Hieroſolymorum, dicta ſunt, referente factum, non alicuius Epiſcopi vel Patriarchæ, ſed Baſilij Imperatoris. *Nobis autem* (inquit) *peruenientibus & degentibus hîc per duos circiter annos, anticipantibus ſanctiſſimos vicarios ſenioris Romæ, impoſuit ſuper capita noſtra encolpium ſuum, & dixit: Ecce iudicium Eccleſiæ exiget Deus à ceruicibus veſtris, in die iudicij, vt nihil faciatis per fauorem.* Vbi à Latino cenſore, adiuncta additiuncula ſic habet, *encolpium eſt, quod in ſinu portatur. colpos enim Græcè, ſinus Latinè dicitur. Moris enim Græcorum eſt, crucem cum pretioſo ligno, vel cum reliquiis ſanctorum ante pectus portare ſuſpenſam ad collum, & hoc eſt quod vocant encolpium.* Ita ibi. Sed quid hæc faciant ad illuſtrandam crucem Epiſcoporum pectoralem, ingenuè vt fatear, non video: ſed tamen magnus Annaliſta Baronius ex citatis actionis quintæ Oecumenicæ VIII. Synodi conciſioribus verbis, continuò elicit: *iis pariter declarari encolpium fuiſſe inſigne Epiſcoporum, per cuius appenſionem ſacerdotij dignitas ablata antea, redderetur. In eo verò lignum ſanctiſſimæ crucis ſiue ſanctorum reliquiæ* (vt & nunc) *includi ſolebant.*

Verùm aliquis fortè percontabitur, vnde ſequelam eiuſmodi Baronius deduxerit, cuius, ex his Heliæ Hieroſolymitani vicarij verbis, principium ſumi non poſſe videtur: *Impoſuit ſuper capita noſtra encolpium ſuum:* cùm manifeſtè in iis de Imperatore ſermo ſit, de Epiſcopis verò eo loci, nihil quoad hoc inſigne dignitatis

expreſſum appareat; tantùm abeſt vt per huius appenſionem, ablata antè ſacerdotij dignitas reſtitui ſolita perhibeatur. Addi poteſt ex annotatione ſuper hanc vocem, *encolpium*, ad textum illum actionis quintæ VIII. Concilij, apud Binium, adhibita; crucem appenſam collo gerere, non fuiſſe Epiſcopis proprium, ſed vſum communem Græcorum tam Laïcorum quàm Clericorum. Quæ obſeruatio quàm vera ſit, ex Orientalis hiſtoriæ monimentis, adeóque Patrum & veterum auctorum teſtimoniis fieri exploratum. Gregorius ſiquidem Niſſenus in vita ſororis ſuæ ſanctæ Macrinæ teſtis eſt, eam conſueuiſſe crucem vitali inſtructam ligno, gerere collo appenſam. Sanctus Chryſoſtomus homilia, *quòd Chriſtus Deus ſit*, etiam commemorat ſuo tempore fideles incluſam Dominicæ crucis particulam auro ſolitos fuiſſe circumgerere, ac inde ſe valde ornari ac communiri meritò arbitratos. Idem elicitur ex ſancto Paulino epiſt. 12. ad Seuerum. Paulo diacono lib. 18. rerum Romanorum, & additionibus ad Eutropium lib. 11.

Morem eundem apud Latinos etiam propagatum peritus vel parumper nemo eſt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, qui neſciat. Locus hic non eſt de eo ritu ex inſtituto generaliter inquirere. Sufficiat ſancti Gregorij auctoritas. Hic ſiquidem lib. 7. epiſt. 126. eo fine inſinuat ſe crucis particulam vt eximium munus miſiſſe ad Recharedum Wiſigothorum Regem, praxíſque illa, his adhuc poſtremis temporibus perdurat, cuius exempla paſſim domeſtica ſuppetunt. Ego certè in muſeolo, inter auita maiorum monimenta poſſideo depictam ann. 1574. auunculi matris meæ, Cæſaris Poirier, Canonici pridem Ducalis Eccleſiæ ſancti Georgij Nanceicenſis, necnon Caroli & Henrici Lotharingiæ Ducum primi Eleemoſynarij, atque Præpoſiti Eccleſiæ ſancti Gengulphi Tullenſis: viri ſumma pietate conſpicui, & literarum etiam Hebraicarum ſcientia præſtantis, genuinam effigiem, qua eum expreſſum videre eſt, ſiniſtrâ Hebraicis exaratum characteribus codicem tenentem, deſuper appoſito dexteræ manus, quaſi ad innuen-

dum quod oretenus doceat, indice. Crucem verò à collo dependentem ſuper pectus gerit, ex auro confectam, cui ſalutaris ligni ſpectabilis portiuncula inſita conſpicitur. Ex parte fui ipſius proauunculi mei hæres: at pignus tam pretioſum meam in partem non ceſſit. Venit verò in manus meas vetus numiſma argenteum, Hebraica ab vna parte inſcriptione inſignitum, altera verò calicis perferens figuram: è quo ſacer cruor recens infuſus, ac quaſi adhuc ebulliens, fumum è fundo ſurſum emittit. Sed hoc πάρεργον.

Ad rem vt redeamus potiſſimùm pertractandam, dico hæc aliáque ſimilia exempla neutiquam obſtare, quominus pectoralis crux, à me aſſerenda, proprium Epiſcoporum inſigne ſit. Nec enim ſequitur ex eo quod alij crucem à ſinu pendulam geſtant, hanc ex numero debere Epiſcopalium ornatuum ſubmoueri. Anulos paſſim alij ferunt quàm Epiſcopi: chirothecas etiam, ſed non eodem ritu ac forma, neque pari iure aut honore. Macrina ſancti Gregorij Niſſeni ſoror crucem ferebat, at ferream (non argenteam vt quidam auctor cæteroqui accuratiſſimus ſcripto prodidit*.) Inſuper illam non ſpectabilem geſſit, ſed in ſinu caſtiſſimo reconditam. Quo more etiam qui auream gerunt, illo vti ſalutari pignore conſuetos, hodierna etiam experientia docet. Et verò meus proauunculus cuius ſuprà memini, etſi cùm depingeretur curarit encolpium eiuſmodi quod ferebat, propatulò exponi: modeſtiæ tamen gratia illud intra interiorem veſtem more ordinario recondebat, adeout oculis ſe inſpicientium non pateret, niſi torulus quo crux ipſa à collo ſuper pectus exteriori operta veſte, defluebat; quemadmodum ipſe anno 1616. Lutetiâ Nanceium, viſitandi eum gratia profectus, propriis obtutibus obſeruaui. Nec ignarus porrò ſum eò luxum erupiſſe, vt locupletiores in Gallia fœminæ, crucem patulam paſſim circumferant à ſinu ſuſpenſam: verùm non tam myſterij redemptionis recolendi, quàm ornamenti ex auro & gemmis, quibus crux eiuſmodi rutilat, ſibi conciliandi cauſâ. Cruces ſanè illæ ab Epiſcopali encolpio multùm differunt, non ſo-

*Bell. l. de Sanctorum imaginibus c. 26.

lùm forma ſcilicet, ſed & fine ac intentione vtentium.

Porrò quod de encolpio Baſilij Imperatoris ſuprà notatum eſt, nihil omnino Epiſcopali encolpio derogat, at potiùs fauet: quum doctos minimè fugiat, Orientalium paſſim Cæſarum circa res ſacras ſacerdotaliáque ac Pontificia iura (quæ ſibi intolerabili in Chriſtianis Principibus præſumptione arrogarunt) quàm fuerint luctuoſi auſus, quin turpes ac ſacrilegi exceſſus. Tametſi non è ſola Imperatorum ambitione prodierint, ſed ex adulatorum eorundem ſuggeſtione, ac præſulum quoque Græcorum infami inertia aut conuenientia. Imprimis ethnicum morem illi Cæſares (tametſi Chriſtiani) quem exciſum ire funditus ab initio debuerant, in hoc retinuerunt, quòd Pontifices maximos ſeſe plerique paſſi ſint appellari. Amictum etiam profanum nonnulli ſuſceperint huius Pontificatus, ſibi à gentium ſacrificulis oblatum. Primus eum reſpuit Gratianus, cùm ipſo Pontificali nomine, proteſtatus nefas videri, Chriſtianum eo habitu ac illo titulo vti. Valentinianus & Martianus tamen in imperiali edicto, quod extat Calchedonenſis Concilij act. 3. Pontifices ſeſe inclytos poſtea inſcripſerunt, eóque torrente abrepti ſunt in acclamationibus Græci Patres, vt inter laudandum Martianum, non modò Imperatorem pium, orthodoxum, ſed & Pontificem vocitarent. Quem titulum ſibi poſtea iterum vſurpauit Anaſtaſius imperator, ſcribens ad Anaſtaſium Papam. Nec hoc nomine (tametſi in laïco homine execrabili) contenti Græci poſteri Imperatores, vſque ad Pontificij iuris ac honoris apertam inuaſionem proſilierunt. Magnus Conſtantinus Epiſcopos vt veros Chriſtianæ religionis Pontifices agnouerat atque coluerat: profeſſus ſe extremæ duntaxat politiæ eſſe ſpeculatorem. Eius at plerique ſucceſſores internam ſibi inſuper arrogauerunt Reipublicæ Chriſtianæ adminiſtrationem. Pudenda Demetrij Chomaleni Archiepiſcopi Bulgariæ eſt certè adulatio, à quo in reſponſis ad Theophilum Cabaſilam Archiepiſcopum & Metropolitem Dyrrachenum iuris Græco-Ro-

mani lib. 5. ſeu reſponſorum lib. 1. Imperator Bizantinus inſcribitur ἐπιστατημοναρχης, Præſes & Monarcha communis Eccleſiarum : cuius priuilegia recenſens, ſubnectit eundem propter quod Pontificalibus etiam decoretur gratiis , Eccleſiaſticos ordines componere , legem dare vitæ politiæque eorum qui altari ſeruiunt ; de Iudiciorum Eccleſiaſticorum norma & vſu decernere ; præſcribere iuſtitiæ modum , & formam vitæ Epiſcopis & clericis : transferre Epiſcopos : ab Epiſcopatu ad Archiepiſcopatum euehere : vacantibus Eccleſiis prouidere. Vtque paucis cætera (quæ longè multa ſunt) complecti liceat , ſolo ſacrificandi excepto miniſterio , reliqua Pontificalia munera ac iura ab illo legitimè poſſideri ac exerceri. Hauſerat has putidas nænias Demetrius ille, ex fœtidis Balſamonis, eo paulò antiquioris commentis, quæ hîc accuratiùs expendere me pudet. Nemo fortè ſibi facilè perſuadebit , omnia Pontificalia (ſola vt diximus excepta Dominica Synaxi) officia Græcos ſuis Imperatoribus attribuiſſe. ſed tamen aiunt ei non ſolùm licere cum Clero ſelectiori conſiſtere intra cancellos , ſed ad altare quoque accedere , & intra ipſa templi adyta ingredi , & (quod omnem credulitatem ſuperat) ſuffitum etiam * dare : hoc eſt , ad altare offerre Deo incenſum. Quod ſcelus dudum ab Ozia rege præſumptum , lepræ ſupplicio quo diuinitus percuſſus fuit, vt in exemplum cederet futuris principibus qui ſacra ſibi nefario auſu vſurparent , legere eſt in ſacra ſcriptura vindicatum, 2. Paral. 26.

* Fusè de eiuſmodi præſumptionibus diſſerit doctiſſimus Fillesac in opere de Sacra Epiſcoporum auctoritate c. 7. § 7.

Nec in munera ſacra duntaxat irruerunt Bizantini illi Cæſares , ſeu proiecta Græculorum ſuorum illecti adulatione , ſeu inſanæ pruritu cupiditatis abrepti : inſignia etiam arripuere ſibi Pontificia. Sigilla ceræ imprimere Epiſcoporum tantùm iuris antè fuerat. Hoc quoque traduxit ad ſe Imperator. Patriarchæ etiam hic honos delatus , vt ſicut Papa plumbeo ſigillo vteretur, in quo vna parte imago ſanctæ Dei genitricis expreſſa cernebatur : altera autem nomen & conditio Patriarchæ : decus hoc ſibi etiam Imperator attribuit. Quid mirum igitur , ſi pectoralem crucem , quam patenter per-

ferre olim ſolis Epiſcopis fas erat; Græcanicus ille Cæſar ſibi vſurparit, adeóque Baſilius imponere ceruicibus legatorum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ in ſacræ auctoritatis indicium præſumpſerit? Certè Conſtantinus Magnus, referente Euſebio, lib. 1. de eius vita, poſt deuictum Maxentium ſibi voluit erigi ſtatuam, vt crucis trophæum ipſa perferret. Siquidem in manu eiuſdem dextera crucem apponi iuſſit cum his verbis: *Hoc vno veræ fortitudinis ſigno vrbem veſtram* (*Romam* ſcilicet) *liberaui.* Narrat etiam Socrates, ipſum Conſtantinum particulam crucis ſtatuæ ſuæ inſeruiſſe, quam Conſtantinopoli collocauit, piè confidens fore tutam eo patrocinio vrbem ab omni infortunio, lib. 1. cap. 13. hinc mos ortus videtur, qui elucet in poſteriorum Imperatorum numiſmatibus, præſertim Theodoſij Magni [a], Honorij [b], Valentiniani iunioris [c], & Maioriani [d], Iuſtini ſenioris & Iuſtiniani [e], Mauricij quoque ac Phocæ, & Heraclij [f], qui veterem inſuper morem renouauit, figendæ ſcilicet crucis in ſui & filij diadematis faſtigio. At non fuit ſatis eorum ſucceſſoribus duplici fulgere inſigni ſanctæ crucis, ſcilicet in vertice & in manu. Pro innata ſibi Pontificalia vindicandi contentione, encolpium etiam ſibi vſurpauerunt, pendulæ crucis ſuper pectus trophæum Epiſcopali ſibi more aſſumentes, ſicut plerique eorum Euangeliorum codicem etiam erecta manu pertulêre, quo inſtructi ſacro ornatu (qui cum pallio, Patriarcharum tantùm olim proprius fuit, vt ex reſponſione patet Abbatis Sergij in Prato ſpirituali c. 139.) expreſſi conſpiciuntur, in pleriſque numiſmatibus, quæ cum prænotatis doctiſſimus Gretſerus in ſuis *de Sancta Cruce*, eruditiſſimis commentariis, antiqua ex ſupellectili ſelectiſſima, graphicè excuſa vulgauit. Sed ſatis hactenus de encolpio Epiſcopali à Græcis Imperatoribus iam ante annos fere octingentos vſurpato.

[a] *Extat apud Gretſerum tom. 2. de ſancta Cruce lib. 1. c. 14. p. 52.*
[b] *Apud eundẽ eodem c.*
[c] *Item apud eundẽ cap. 16.*
[d] *cap. 17.*
[e] *c. 19. & 20. ac 21.*
[f] *cap. 22.*

Apud Latinos vſus huius Pontificij ornamenti hanc longè notam exuperat. Tametſi mos ille adæquè vetus non videatur, vt ſolùm ex auro crucem pectoralem Epiſcopi gererent. Metallum ſanè fuit in perferentis ſacrum

crum hoc insigne libero delectu. Nam in vita sancti Birini Episcopi Dorcetriensis in Anglia, quò propugnandæ causâ fidei, ab Honorio I. summo Pontifice ablegatus fuit circa annum salutis 630. notaui exertè proditum, gessisse illum crucem, sed plumbeam, quæ in corporis eius inuentione, super pectus eius posita, reperta est. Sic enim ibi legitur. *Apertum est sepulchrum, inuentáque sunt ossa omnia naturali situ & ordine collocata, sed carne in cineres redactâ: inuentus quoque est anulus, itémque crux plumbea quædam super pectus eius, calix paruus*, &c. *duæ stolæ*, &c. Non exprimit auctor huius recensionis, an in cruce illa inclusa esset aliqua portio Dominicæ crucis. Sed tametsi reperta intus posita fuisset, ob vasculi materiæ vilitatem, non est quòd arbitreris tam pretiosum ac venerabile pignus fuisse à gestatore indecenter conditum. Aureus erat totus in oculis Dei vir ille sanctus, qui tantum thesaurum in plumbo non neglectus causa, sed humilitatis studio at ingenti cum pietate perferebat; illique ea in re suppar de quo, cum immortali spectatæ sanctimoniæ elogio, scripsit pridem S. Heronymus ep. 4. ad Rusticum* *Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente ieiuniis fame torquetur aliena. Omnémque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Affine his est, celebre dictum Bonifacij Episcopi & Martyris. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur. c. Vasa de Consecrat.* dist. 7. Verùm etiam aurei Sacerdotes ac Episcopi, aureis vsi sunt calicibus & crucibus, vt peritis sacræ antiquitatis patet; atque quoniam hîc de crucibus est suscepta tractatio, insuper addere licet, frequentiorem vsum, apud Patres fuisse gerendæ aureæ crucis, quàm ex alio inferiori metallo conflata.

Apud Surium 4. Decembris.

* *Tom. 1.*

Memoriæ proditum legimus, à Marco presbytero in actis sancti Ephysij Martyris Caralitani sub Diocletiano passi; feruente diri illius Imperatoris persecutione, sub necis interminatione vetitum fuisse aurifabris cruces con-

ficere quas Chriſtiani perferre, ex more auito, etiam cum vitæ diſcrimine, non ceſſabant. Cruce autem ab Ephyſio Duce militiæ, tum adhuc Ethnico, in aëre ſpectatâ, cum audita voce, quâ Chriſtus ſeipſum illi reuelauerat, atque ſuam ad fidem & cultum inuitauerat: *Proxima inde nocte Caietam cum copiis peruenit, eámque vt primùm eſt ingreſſus, conuocatos omnes ciuitatis aurifabros interrogat, ſciréntne an poſſent vas aureum, quo plurimùm ſe indigere aiebat, quantocitiùs conficere. Ad quod ſinguli verentes ne crucem intelligeret, neſcire ſe præſto reſponderunt vnanimes. Quibus ideo dimiſsis, alium quendam quem ea in arte peritiſsimum perceperat nomine Ioannem accerſiuit, eique oſtensâ cruce quam dextra ipſe gerebat, ſimilem ſibi ex auro argentóque ſtudioſè ac diligenter elaborandam cælandámque commiſit. Verùm hic pariter ob hoc inde eſt commotus, quod & ſciret Galilæos Chriſtianóſve illud ſalutis ſignum credere, & Diocletianum * eo vtentes omnino variis tormentorum generibus, cogi ab ipſo deſiſtere, vel tandem interfici præcepiſſe. Ideo etiam ampliùs ſibi metuens, quod deſperaret ſe tale opus vti neceſſarium eſſet, ad vitandas laboris ſui pœnas, in abſcondito adeo poſſe perficere, vt nemo vel ſciret, vel referret. Cuius quidem timoris cauſa aperta, Ephyſius Ioannem in ſecretum ac abditum locum pertraxit, vbi per certam loci ſolitudinem promiſſúmque ipſi ſecretum, adeo vt nequaquam id reſciret Imperator, hominem obteſtatur vt depoſito penitus timore, eius annueret petitioni, aurúmque & argentum quantum ad id ſufficeret offerens, ac multos ſe illi honores largiturum promittens, ad extremum pro minis negat, eum infecto quod poſtulabat opere, ab ſe vllo pacto dimiſſum iri. His igitur perſuaſus Ioannes Ephyſio annuens, tandem petitam ab eo crucem, ex commiſſo auro argentóque pretioſiſsimam, miro artificio elaborat.* Hæc Marcus preſbyter, qui pergendo ſubiungit, confectæ cruci, diuino deinde opere, abſque aurifabri manu, additum in ipſo faſtigio, ſeu, vt ait, crucis titulo nomen Emmanuel, in dextro cornu Michaël, Gabriel in læua. Portatilem verò fuiſſe hanc crucem, vt quæ paſſim dicitur pectoralis, licet ex iis quæ ſubdit idem auctor eli-

* Sub eodem Diocletiano (vt legitur in actis ſanctorũ Martyrum Euſtathij & ſociorum apud Suriũ die 23. Decemb.) cùm Oreſtes miles Chriſtianus miſſilibus faciẽdis ad ſcopũ ſeſe cum ſuis comilitonibus exerceret, præſente Lyciâ duce, agitatione corporis accidit, vt crux aurea quam ferebat, in pectore appareret, ita vt ab omnibus, etiam ab ipſo videretur Lycia. Quo interrogante cur hoc ſignum geſtaret, & an Chriſtianus eſſet? ſum inquit, ſeruus crucifixi Domini mei, & geſto hoc ſignum ad

cere de victoria per huius crucis adorationem ab Ephysio relata. *Per id tempus*, inquit, *Romani imperij hostes nonnullas eiusdem in Italia terras inuaserant*, &c. *quo nuntio ad Ephysium delato, is ægrè id ferens, continuò se cum copiis itineri prælióque accingit, ac sanctissimæ crucis vexillum potissimum secum gerens, apud se toto itinere proponit*, &c. in cuius adoratione à Christo animatus, cúmque hostibus strenuè congressus, victoriam reportauit, quæ scilicet æternam ei peperit coronam. Nam beneficiorum Christi memor post susceptum summa pietate baptismum, publicam paulò pòst edidit confessionem: ob quam extremum ad certamen rapitur, ac diris excruciatus tormentis, agone fideliter consummato, ad palmam in cœlum euolauit*. Strictiori verborum nexu hanc historiam minimè coarctandam existimaui: sed hoc non admodum prolixo tamen contextu, referendam esse ob eius notabilem singularitatem, qua & Diocletianæ persecutionis atrocitas, Christique in benedictionibus dulcedinis animas præuenientis misericordia, crucisque cultus ac virtus, tam illustri exemplo magis ac magis propalaretur; simúlque primorum fidelium in crucem amor & reuerentia, mósque piissimus iam frequens cruces aureas perferendi, pro diuini patrocinij pignore, piis tam acceptus ac vsitatus, quàm impiis inuisus; adeo insigni rei gestæ monimento, quibusque libellum hunc de cruce pectorali legentibus, testatus fieret.

omnia mala auertenda quæ mihi ingruunt. His dictis in vincula coniicitur, & paulò pòst glorioso agone inito pro Christi fide coronatus est. Aliud exéplum haud minùs illustre narratur à Nicephoro li. 7. hist. Eccl. c. 15. de Procopio martyre, cuius acta extant apud Surium, die 8. Iulij, & citantur in Concilio VII. generali act. 4.

* Vide Mart. Rom. XVIII. Kal. Februarij.

Extinctis igitur persecutionum incendiis, haud mirum si mos hic ipse Christianorum, perferendi vbique salutiferum memoriale Christi mortis, qui inter enses & ignes perdurauerat, nec ipsius Diocletiani atrocissima aduersus signi huius gerulos furendi insania ac immanitate, reprimi potuerat: pace fidelibus tandem diuino munere data, virentiori perseuerauerit in vsu. Sanctus Chrysostomus homilia, *quòd Christus Deus sit*, testis est, eos qui poterant aliqua crucis Dominicæ particula potiri, solitos eam auro includere, ac inde credere se valde ornari, nec minori frui aduersus quosuis infaustos casus aut hostiles impetus custodia. Sanctus

Paulinus ep. 12. iam citata, ad Seuerum ſcribit ſe ei mittere particulam crucis auro incluſam, quam Melania Hieroſolymis dono Epiſcopi acceptam, cum Thereſia vxore ipſius Paulini diuiſerat. Hæc verò Baſulæ portiunculam eiuſdem tranſmiſerat, communi ſuo ſcilicet & Paulini beneficio, qui participationem Seuero voluit ab ipſa Baſula tanti muneris impertiri : vnde ſic eum compellat, *Accipite ergo ab vnanimis fratribus, in omni bono veſtrum conſortium cupientibus ; accipite magnum in modico munus & in ſegmento penè atomo haſtulæ breuis, ſumite munimentum præſentis & pignus æternæ ſalutis.* Et infrà, *miſimus vobis in Domino ligni ſalutaris donum, vt crucem & corpore poſſideatis, quam tenetis ſpiritu, & propoſiti virtute portatis.* Gerebat verò ipſe Paulinus Nolæ ſanctiſſimus Epiſcopus crucem, cuius oſtenſione (vt enarrat natali 10. ſancti Felicis) immane incendium reſtrinxit, quod nulla alia vi nec artè extingui potuerat. Forte conſimilis crucis appoſitione hominem à dæmone ſuffocatum, vitæ reſtituit ſanctus Melanius Epiſcopus Rhedonenſis, in cuius ita geſtis legitur. *Oratione fuſa ad Dominum poſuit crucem ſuper pectus mortui & ſtatim reuixit. Stupefactus omnis populus (Venetenſis ſcilicet) tali miraculo clamauit dicens : ſufficit, nunc credimus cuncti Deo, quem prædicat beatus Melanius. Ac deinde conſtituto à beato Melanio die & loco, vix aliquis remanſit, qui non baptiſmatis gratia recepta, fidei Catholicæ iungeretur.* Hæc ibi.

Epiſcopos ſiquidem, ſignatim in Gallia, ſolitos geſtare ſuper pectus pendentem à collo crucem, vitalis ligni inſignitam venerabili pignore, poteſt illuſtri exemplo, quanquam mediæ ætatis, demonſtrari. Ex libello ſcilicet appellationis ſeu publicæ proclamationis factæ in Synodo Romana, ad Nicolaum I. Pontificem Maximum, per Rothadum Sueſſionenſem Antiſtitem, illegitimè ab Hincmaro ardentis animi Metropolita Remēſi, aliquótque eius coëpiſcopis (licèt aliis refragantibus) depoſitum, de illata ſibi non modò at ſummæ ſedi, ad quam canonicè prouocauerat, iniuria patenti, non ſine luctu conquerentem. technas enim quibus deluſus eſt, atque nefa-

rios in se admissos ausus atque impetus referendo, sic ait. *Nouissimè verò industriosè persuadebant, suam offerentes fidem, nihil incommodi (me) perpessurum: aut saltem Domino Regi proximo loco Synodi locuturus occurrerem. Quod etiam mihi nostri fratres Ecclesiæ nostræ filij, iam suadere cœperunt, vt pio Principi meæ paruitatis exhiberem præsentiam. Annui ergo, & ad locum quò me ducebant transiui, Sacerdotalibus indutus vestimentis, sanctum Euangelium, & lignum sanctæ crucis circa mea pectora gerens.* Ita ille, qui sanè se tum instructum (ad conciliandam sibi reuerentiam & auertendam violentiam, quam non fallaci augurio sibi illatam iri, Hincmari dolo ac seueritate præsagiebat) Episcopali habitu ac ornatu satis euidenter ostendit.

Nec obstat quod diu postea Innocentius III. loco in limine huius opusculi designato, pectoralem crucem vsui esse proprio solius summi Pontificis insinuare videatur. Italicum enim morem videtur duntaxat attendisse. Nam res iam longo vsu seruata, hodiéque in praxi viget, quòd præsente summo Pontifice Episcopi, atque Cardinales, encolpio seu pectorali cruce neutiquam appareant insigniti. sicque obseruatum in Ferrariensi ac Florentino Concilio Eugenio IV. sedente in Pontificio apparatu, ex eo satis liquet, quod Latinorum Patrum, Cardinalium scilicet, Patriarcharum ac Antistitum quorumcunque, huic sacro sancto Senatui assidentium, dum sacer describitur ornatus, de mitra quidem expressa fiat mentio, déque reliquo, qui actioni conueniebat habitu. At de cruce quæ è sinu pendula deflueret, merum mirúmque extet prorsus silentium. Cùm è contrà, vbi Græcorum Patrum describitur apparatus, notanter crux illa recenseatur, quam pectori admotam, sanctorúmque decoratam reliquiis, illorum quique, sacro isto in consessu Catholicæ Ecclesiæ, in ipsius Pontificis præsidentis conspectu, pro suæ gentis more, vbique ab iis seruato, hactenus perferebant. Sic enim memoratum reperi, in collatione prima, descripta cum cæteris per modum dialogi ab Andrea de sancta Cruce Patricio Romano &

Apoſtolici conſiſtorij aduocato, quæ extat inſerta actis eiuſdem Oecumenici Concilij Florentini Romæ editis anno 1638. parte 2. Ludovicus * (inquirit) *Quis habitus Patriarchæ, aliorúmve Archiepiſcoporum fuerat?* And. (reſpondet) *Patriarchæ, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum habitum ibidem vidimus nigrum **: tegmen capiti appoſitum Monachorum more, cappa cœleſtini coloris, rigis albis purpureiſve per tranſuerſum à ſummo vſque deorſum variata: ſacrarium quoddam, crucis venerabilis ſignum, certáſque Sanctorum reliquias continens, in pectore medio gerentium.*

* Pontanus.

** Id ex eo procedit quòd omnes Græcorum Epiſcopi, ipſéque Patriarcha ſint aſcetæ ordinis ſancti Baſilij.

At ex dictis non elicias tamen (oro) Epiſcopos nuſquam pręſente Pontifice encolpio vti. Quando enim aliquis Prælatus, ſiue Cardinalis, ſiue quiuis Antiſtes coram Papa in Pontificalibus celebrat, ea omnia ornamenta habet, quibus cùm conſecratus fuit inſignitus eſt. At verò crux pectoralis in iis numeratur ipſo in Pontificali Romano. Ex cuius præſcripto, celebraturus Epiſcopus crucem ipſam aſſumit. Nec enim ſine inſigni crucis, memoriale mortis Domini celebrare Epiſcopus (at nedum ſacerdos) conuenienter poteſt. Sic enim in Concilio Bracarenſi ſancitum fuit can. 3. *Cùm ſacerdos ad miſſarum ſolemnia accedit, aut per ſacrificia oblaturus, aut Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, non aliter quàm orario vtroque humero circumſeptus, ſicut & tempore ordinationis ſuæ dignoſcitur conſecratus: ita vt de vno eodémque orario ceruicem pariter & vtrumque humerum premens, ſignum in ſuo pectore præparet crucis.*

Vt verò congruum diſcrimen inter Epiſcopum & presbyterum, hoc eſt inter ſacerdotem maiorem & minorem appareat: cùm preſbyter ad Epiſcopatum promouetur, liber Pontificalis diſertè decernit órarium eius eſſe ab humero infrà, recta vtrinque linea, ſine vlla ante pectus cancellatione, ſeu reflexione demittendum: túmque appendendam illi à collo crucem, quæ defluat ſuper pectus eius. procedente Conſecratore in Miſſa (ſcilicet poſt eius ad altare primum aſcenſum, eiúſque oſculationem & thurificationem) *Epiſcopi aſ-*

ſiſtentes ducunt electum ad capellam ſuam, & ibi depoſito pluuiali, Acolythi induunt ſandalia (ipſo pſalmos & orationes conſuetas legente) ſi priùs illa non accepit. Tum accipit crucem pectoralem, & Stola ei aptatur vt ab humeris dependeat. Deinde tunicâ, dalmaticâ, caſulâ, & manipulo induitur, &c.

Mauritius de Alzedo anxiè diſquirit, & miro modo philoſophatur, cur Epiſcopus hanc perferat crucem (quam vnâ voce pectorale vocat) ex more iampridem vſitato: part. 1. c. 11. *de priſca veneratione Epiſcoporum* c. 13. *De præeminentia ac prælatione ipſorum Epiſcoporum*. Primum igitur pro fundamento ponit, pridem Epiſcopis eundem fere honorem habitum ac Papæ, cuius titulis ſic inſignirentur, vt etiam ornamentis ac cultu & veneratione pollerent. Tunc (inquit) venerationis cauſâ ſicut hodie fit cum Papa, Epiſcoporum pedes fideles deoſculabantur (teſte ſancto Hieronymo in Epiſtola aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani) quin eos adorabant, ſed alio cultu quàm qui ſolius Dei proprius. Hinc illâ formulâ (προσκυνῶ σε) *Adoro te*, vtebatur fidelis quiſque obuium haberet Epiſcopum. *Iſidorus Peluſiot*. ep. 490. lib. 1. Hanc porro obſeruationem ſyllabatim ex Fileſaco deſcriptam Alzedo refert *. Deinde aliam eodem c. 13. n. 47. ſubiungit. Epiſcopos olim non ſolitos abſque ſacris ſymbolis (quæ Florentinum Concilium aptiùs *diuina munera* nominat) in publicum procedere, & crucem quidem ante pectus appenſam geſtare. Quem ritum confirmat quidem Fileſacus ex epiſtola Rotaldi præcitata ad Nicolaum I. Papam: at morem illum præferendi ante Epiſcopos in publicum prodeuntes, ſacra, vt ait, ſymbola, vnde didicerit nullatenus indicat; cui ſanè antiqua Eccleſiæ politia repugnat, in qua, vt ex Patrum liquet documentis, minimè licebat diuinam Euchariſtiam peruiis omnium præſertim infidelium ac profanorum obtutibus, exponere; quam vix fidelibus cernere Patres permittebant, idque in Eccleſia, tremendâ duntaxat horâ immolationis, quâ populo, vt ſanctus Baſilius lib. de Spiritu ſancto c. 27. exertè dicit, panis ipſe cœleſtis, nimirum Euchariſtia,

* Fileſac. de ſac. Epiſcoporũ auctoritate cap. 1. §. 2.

ostendebatur. Hoc tamen non considerato districtiore ritu, quem certè Filesacus non nesciuit, at forte Mauritium de Alzedo (inter modernos Casuistas duntaxat versatum) latuit; Mauritius ipse adiungit, ex auctorum sibi familiarium scitis. *Deinde assumit Episcopus crucem auream sanctorum reliquiis imbutam, catenulis aureis insertam, quam ante pectus è collo suspensam ponit (& vulgo dicitur pectoral) succesit enim loco lamina, quam veteris legis Pontifex gerebat in fronte, & mysterium quod in quatuor literis aureis ibi continebatur, in quatuor partibus crucis hîc explicatur, Innocentius c. 5. 2. Durant. c. de succinctoriis & rorali *. vbi ponit significationem. Lancellotus in templo l. 2. c. 5. Casaneus in Catal. part. 1. Cons. 5. Diuus Thomas vbi supra n. 40.* (vbi ne verbulum de eo quidem) *Liber Pontificalis de consec. electi in Episcopum Caremon. Episcoporum l. 2. c. 8. col. 8. Petrus de Vergamo in tabula aurea diui Thomæ, verbo Episcopus n. 13. Missale Rom. in Rub. de Ritibus celebrandi* §. 1.

* rectiùs, orali.

At verò (pergit post vmbratilem ferè illam recensionem) *auctores allegati loquuntur de cruce & eius significatione, & magis ex eorum verbis colligitur esse indumentum solius Papæ, quàm Episcoporum. Sed in contrarium extat antiquissima Ecclesiæ consuetudo, quæ semper permisit Dominis Episcopis pectorali vti, & aliqui ex suprà allegatis, licèt Episcoporum esse dicant, non tamen declarant vtrum ab Ecclesia illis fuisset concessum; an verò ab ipsis vsurpatum: & sic dicendum iudicaui, quod post aliquam speculationem, certum esse existimo.* Hæc dissertator ille. Qui meo iudicio dum Reuerendissimis Episcopis militare videtur, honorem illorum non leuiter lædit. Parum est revera, quod concessum fuisse ab Ecclesia passim Episcopis pectoralis vsum hæsitanter quidem insinuat: sed dissimulare nequeo, mihi videri iniuriosum nonnihil esse Episcoporum sanctitati, quòd ab his vsurpatum sacri pectoralis decus demum asserit, idque (vt ait) *post aliquam speculationem certum esse existimat.* Vnde enim id collegerit, sicut non innuit, sic non temerè quispiam contra eum retorqueret, id

vel

vel ab ipso confictum esse, vel sanè assertum sine vllo penitus certitudinis fundamento, at nedum verisimilitudinis vllius aliquantula specie.

Sed fortè quisquam eo versatior in antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, auctoritatem, quam in huius opusculi exordio protuli, Innocentij tertij Papæ obiiciet: qua nimirum innuere videtur pectoralem crucem, esse proprium insigne summi Pontificis. Verùm præterquam longè antiquiorem eius esse vsum, etiam Episcopis communem, ætate Innocentij III. (qui tantùm ineunte sæculo XIII. Ecclesiæ præfuit) plerisque auctoritatibus & exemplis suprà fecimus exploratum: Sanè nemo vel leuiter imbutus Chronologiæ notitia, abnuerit Innocentio III. Papa, Rupertum Abbatem Tuitiensem annis ferè centum anteriorem esse. Atqui iste lib. 1. de diuinis Officiis, quo enumerat sacros Ecclesiæ ministeriorum ornatus: nimirum postquam disseruit c. 19. de amictu, c. 20. de alba, c. 21. de stola, c. 22. de casula, c. 23. de tunica, c. 24. de sandaliis, cap. 25. de anulo: continuo verborum nexu, scilicet c. 26. *de cruce* tractat: quam cessisse ipso in titulo prænotat aureæ laminæ, quam super frontem, veteris legis Pontifex, mitra insuper redimitus præferebat. *Crux*, inquit, *est Sacerdotum gloria. Crux aureâ laminâ sacratius ornamentum.* Móxque solerter anteuertens obiectioni, quam sibi, ex communi apud fideles tam Laicos * quàm Clericos crucis è collo pendentis gestatione, fieri posse præsentiscebat. *Nec statim* (inquit) *quispiam occurrat, decus hoc non ideo esse Pontificis* (proprium videlicet) *quia cum illo toti quoque commune est plebi. Nam illa dignitas* (*Episcopalis nimirum*) *habet in hoc aliquid, quod nec inferioris ordinis Sacerdotibus commune sit.* Nempe quod signare frontes fidelium signo crucis cum chrismate, solius sit Episcopi munus. *Sic enim* (ait) *in fronte sua, christicolarum signifer, hoc vexillum baiulat, vt in subiectæ plebis frontibus, soli sibi sacro chrismate pingere liceat. Sicut Apostolorum erat baptizatus imponere manum, vt acciperent Spiritum Sanctum. Et hoc ad idem ** valens, proprium est Episcoporum.* Hactenus Rupertus; acutè scilicet nec minus appositè

* Damianus Goes & alij Indicarum rerum historici, ex gentis huius moribus spectatis commemorant, quélibet Abyssinorum (seu vt alij vocitant Abassinorum) crucem, è collo pendentem gestare. Monachi eorum insuper in manu perferre solent.

**Mendosè in editione legitur *ad diem valens.*

ſubindicans, ab Epiſcopo crucem portatilem geſtari conſueuiſſe longè maiori conuenientiæ iure, ac honoris inſigniori titulo & ſignificationis myſterio, quàm à cæteris fidelibus, ipſiſque non tantùm minoribus Clericis, at etiam ſacerdotibus ipſis perferri ſoleat. Cùm ſolus Epiſcopus ſit ſignifer commiſſæ ſibi Eccleſiæ: crucémque ideo perferat, non modò à ſinu pendulam, at detectam, & eius intuentiúmque oculis ſpectabilem; quod ipſi ſoli competat fidelem ſibi ſubiectum populum ſacro chriſmate confirmare, & ſalutifero ſigillo Dominicæ crucis in aperta fronte conſignare. Qua ex theoria planum fit, ætate Ruperti crucis eiuſmodi vſum non fuiſſe Papæ ſpecialem, at communem etiam cæteris Epiſcopis, tam ipſa ſacri ſignificatione miniſterij, quàm vſus recepti auctoritate. Quapropter ſicut anulum, ita crucem hanc Rupertus inter ornamenta Epiſcopalis ordinis, iam ſtato ex iure ac more recenſet. Quam ſi poſtea Innocentius III. (qui myſterium laminæ aureæ per crucem impletum, videtur ex Ruperto delibaſſe, cuius & verba ex parte mutuatur) Pontifici Romano: quaſi vſu propriam attribuit: certè ita intelligi non debet quaſi docere intenderit, ſacratiſſimo hoc inſigni nemini fas eſſe frui præterquam Papæ; ſed quòd cenſuerit duntaxat in conſpectu ipſius ſummi Pontificis (extra altaris officium) nulli licere hoc ornatu potiri. Vel fortè crux qua Papa pro pectorali vtebatur, inſignior eſſet tam formæ amplitudine, quàm ornatus decore, iuréque ipſo illam vbique, & ſemper, & coram omnibus, ſingulari quadam prærogatiua perferendi.

Sicque etiam intelligendus Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, in ſuo rationali diuinorum officiorum lib. 3. c. 2. vbi Innocentij ita amplectitur ſenſus, vt & verba ſequatur. Tametſi (quoad myſticam ſignificationem) aliqua ſuo ex genio ſuperaddat. Deſierat Innocentius in illis verbis: *Ideóque Romanus Pontifex crucem quandam inſertam catenulis à collo ſuſpenſam, ſibi ſtatuit ante pectus* (quo loquendi modo hanc à cæterorum præſulum pectorali cruce diſtinguere, de induſtria voluiſſe, videtur) *vt ſacramentum quod ille* (Mo-

ſaicus Pontifex) *præferebat in fronte, hic reconderet in pectore. Nam corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeßio fit ad ſalutem.* his inquam verbis Innocentij, hæc continuo Durandus ſtylo ſubnectit: *& ſecundum Hieronymum, auro legis, ſanguis Euangelij pretioſior eſt. Crucem quoque ſibi ſtatuit ante pectus, ad deſignandum quod ait Apoſtolus, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Imponendo autem crucem & deponendo, illam oſculatur, ad denotandum quod Chriſti paßionem, quæ per illam ſignificatur, credit & confitetur, ad quam repræſentandam in officio Miſſæ ſe parat.*

Hæc Durandus, longè feliciori ſcilicet acumine, quàm Mauricius de Alzedo, qui alium longè in ſenſum digreditur: dúmque Epiſcoporum ſtudet gloriæ patrocinari, minuit parum conſideratè, laudabilem quæ debet prædicari apud omnes virtutis eorum æſtimationem. *At verò*, inquit, *poſtquam in diuerſis Conciliis, in denſis portari, & ſacris ſymbolis, & reliquiis Sanctorum à collo ſuſpenſis, vti, prohibitum fuit.* Sed vir bonus & ſolers, annotare profectò debuerat Concilia illa diuerſa, in quibus Epiſcopis, quaſi plus æquo ſe erigentibus, factæ hæ prohibitiones comperiantur. Vnum duntaxat proferri poteſt Concilium Bracarenſe tertium, in quo de Epiſcoporum geſtatione aliquid definitum, legere ſit, canone ſcilicet quinto, hoc conſerto tenore. *In feſtis quibuſque diebus, crucem Domini cum reliquiis, non Epiſcopi, ſed Leuitæ in humeris geſtent: quibus & in veteri lege onus idem impoſitum* * *nouimus eſſe præceptum: Quòd ſi Epiſcopus per ſe reliquias* * 1. Paral. 15. *deportare elegerit, non ipſe à diaconibus in ſella vehatur, ſed potiùs pedeſtri, vnà cum populis progreßione procedente ad Eccleſias, per eundem ſanctæ Dei reliquiæ portabuntur.* Hæc Synodus Bracarenſis tertia, canon. 5. cuius titulus eſt, *A quibus & quomodo geſtandæ Martyrum reliquiæ?* vbi tantum abeſt vt prohibeatur Epiſcopus ſacrarum reliquiarum geſtatione, quin potiùs admonetur, vt ſi eaſdem portare velit in proceſſione, eo munere decenter ſtudeat perfungi: nempe cum humilitate & deuotione, quatenus exemplo ipſe ſuo, Clero

populóque præluceat. At verò non arguuntur hoc canone Antiſtites, quaſi typho ſuperbiæ, ſeſe fecerint, prætextu venerationis reliquiarum ſanctarum quas gerebant, in ſcrinio pectorali, à Diaconis (ſuccollantibus geſtatoriæ cui inſidebant ſellæ) deportari; at duntaxat commonefiunt, ne hoc fieri patiantur. Qua in re ſi qui peccauerant, culpa paucorum qui à prouinciali quadam Hiſpaniæ ſynodo ideo ſugillantur, non poteſt niſi temerè, & cum graui iniuria ad omnes extendi, quibus indiſcriminatim Mauritius de Alzedo, fuiſſe ait, pleriſque à Conciliis, factum tam inſolens & priſcis inauditum Epiſcopis, diſtrictè vetitum. Cæterùm perperam ab eodem (quod cum bona eius venia dixerim) inſimulantur ſacri Antiſtites, admiſſæ in diuina munera irreuerentiæ: quaſi triuiali vſu iidem abuſi fuerint illorum prægeſtatione, dum in publicum prodirent. *Vtebantur namque ſacris ſymbolis* (ait) *& ante ſe reliquias Sanctorum geſtabant.* Ex quo exceſſu meruerint (ſi illi credimus) ſuperbo hoc apparatu interdici. Nequaquam enim probabit (vt iam præmiſimus) Epiſcopos tam vulgariter diuinam Euchariſtiam tractaſſe, vt progrediendo quocunque pergerent, faſtus cauſâ, fecerint tremenda ipſa myſteria patenter ſibi anteferri. Non neſcius equidem ſum antiquæ illius conſuetudinis Romanorum Pontificum, qui apud Euſebium * à ſancto Irenæo (epiſtola ad Victorem Papam) memorantur, Euchariſtiam, ſacræ conteſſerationis indiciô ad Epiſcopos orthodoxæ fidei profeſſores, (quamuis in quibuſdam ritibus à ſe diuerſos) ſummo munere (vt maius non erat) tranſmiſiſſe. Sed nec itidem ignoro, ſaluâ, ita factum, cœleſtis pignoris reuerentiâ. Nempè cum ſecreta, eóque præſertim tempore, religioſiori delatione. Quamobrem nec Polycarpo Apoſtolorum virorum principi, Romam aduentanti miſiſſe obuiam ſacratiſſimum hoc munus Anicetus Pontifex ipſo ab Irenæo (qui ipſius Polycarpi diſcipulus fuerat) perhibetur: ſed duntaxat poſt diuerſum cum eo habitum de Eccleſiaſticis rebus colloquium, idem admiſiſſe proditur ipſum Polycarpum intra Eccleſiam, ad

* *Lib. 5. hiſt. Eccleſiaſt. c. 25.*

participationem diuinæ Euchariſtiæ. Et quum iſta ſic « haberent (ſcribit Irenæus ad Victorem) communio- « nem inter ſe habuerunt. Et in Eccleſia Polycarpo Ani- « cetus Euchariſtiam, propter reuerentiam videlicet « conceſſit, atque ita cum pace, à ſe inuicem diſceſſe- « runt. Nihil certè hoc affine habet cum commentitio « illo ritu, quo Mauritius de Alzedo parum, vt videtur, Eccleſiaſticę hiſtoriæ gnarus, paſſim delatam ante ſe vbique ab Epiſcopis Euchariſtiam ſacratiſſimam fabulatur. Quæ dicta quidem ſint, non ad Romæ receptum morem vllo modo impetendum, quo procedenti ſacro in apparatu ſummo Pontifici, diuinum ipſum myſterium præferri conſueuit. Quo ex ritu dudum Eugenius IV. memoratur in Concilio Florentino, Græcis ſpectantibus celebraturus ipſum generale Concilium, ante ſe diuina munera feciſſe ſacra cum pompa geſtari. Et non ita diu Clemens VIII. Ferrariam progrediens, in ſui itineris præſidium fecit ſibi idem religioſiſſimo cum apparatu præportari: & quidem cum feliciſſimo fidei ſuæ ac deuotionis ſucceſſu. Scitum illud Iuriſperitorum eſt, *Quod arbitrio iudicis fit, rectè fit*. Magis verò quod ſummi Pontificis (qui Chriſti oraculum eſt) nutu atque iudicio. Sed aliud eſt quod raró facit Papa ipſe, dum ſolenni inceſſu progreditur in apparatu ſacro: aliud quod olim à quibuſque Epiſcopis actitatum, de Alzedo ſuo ex cerebro ſomniauit. qui tamen parumper expergefactus ſubnectit. *Sic vti cùm prohibitum fuiſſet, & nihilominus eadem reuerentia, cultu & adoratione venerarentur, pio & ſanctiſsimo zelo aſſueuerunt crucem auream reliquiis Sanctorum imbutam, ante pectus geſtare vt adoratio cruci non ſibi facta videretur, vt videre eſt in Pontifice Romano, qui ob id in pede dextro crucem habet.* At etiam in ſiniſtro, quin & ipſo in pectore, ſicut ex præmiſſis conſtat.

Conciliare quidem tam Papæ, quàm Epiſcopis, crucis Chriſti ſignaculum eximiam reuerentiam lubenter admitto. *Crux nempe* (vt piè ac eleganter ait Rupertus, agens de cruce illa Pontificali) *inæſtimabile ſignum eſt, admirabilis virtus eſt. Crux ſpes Chriſtiano-*

rum, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, claudorum baculus, destructio superborum, consolatio pauperum, sustentatio inopum, spes desperatorum. Crux, Regum magnificentia, sacerdotum gloria.

In ea ideo Apostolus præcipuum decus suum reponebat. *Mihi autem*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, Gal. 6. 14. *Poterat* (subiungit solito acumine sanctus Augustinus de verbis Apostoli *) *gloriari in sapientia Christi, & verum diceret, poterat in maiestate, poterat in potestate, & verum diceret: sed dixit in cruce, vbi mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo: vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita; si vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere.* Et tractat. 36. super Ioannem tom. 9. *Nihil erat tunc in carne cruce intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius.* Neque itidem in pectore suauius, pulchrius, illustrius, salutarius aliquid esse potest.

* Serm. 27. inter fragmenta to. 10. Citatur autem hic sermo à Beda in epist. ad Gal. 6.

Præclarè sanctus Chrysostomus in locum Apostoli præcitatum, sese Episcopum sola in cruce dicebat cum eodem Apostolo gloriari. Quia in ea patet magnitudo peccati nostri, & immensus Domini in nos amor. In cruce enim vulnera nostra Christus curauit, vbi sua pertulit. Ibi à morte sempiterna nos seruauit, vbi temporaliter mori dignatus est. Sanctus Augustinus serm. seu tract. 3. in Ioannem. Quo die crux fixa est, mundus sanctificatus est. Crux vicit, & mors victa est. Per crucem diabolus vinctus, homo solutus, & Deus glorificatus est. Crux enim est destructio inferni, perditio diaboli, clauis paradisi, victoria Christi, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ, & signum salutis perpetuæ. In hoc igitur signo, Dei elucet misericordia, manifestatur iustitia, amplificatur gloria. Ex quo nostra oritur fides, exurgit spes, ac charitas inflammatur, omnísque nostra profluit felicitas. Nam crux Christi peccatores saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptisat, fideles iustifi-

cat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, Martyres coronat, virgines, viduas & coniugales caſto pectore conſeruat, Clericos ordinat, Sacerdotes conſecrat, Sacramenta ſanctificat: electos denique aſſociat Angelis, & cum eis æternæ hæreditatis efficit beatos conſortes.

In hoc igitur ſalutari ſignaculo, diuina beneficia quaſi in ſpeculo ſplendidiſſimo Epiſcopus intuetur. Nec enim ſuſpenſam è ſinu crucem poteſt pectori ſuo impoſitam cernere, quin myſteriorum omnium (ſi bene attendat) recordetur, quæ Chriſtus in ea, pro genere humano, ſalutarem oppetendo mortem, dignatus eſt operari. In rationali ſuo veteris legis Pontifex, plures quidem habebat inſertos pretioſos lapides, & in iis inſcripta ferebat nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël, iuxta mandatum Domini Exod. 28. *Portabitque Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali iudicij ſuper pectus ſuum*, quando ingreditur ſanctuarium, memoriale coram Domino in internum.* Non tam laminæ aureæ quàm huic rationali, crux pectoralis (quam noui æternique fœderis Pontifices ſacris operaturi pendulam à collo gerunt) re vera ſucceſſit. In hac ſiquidem figura ſalutari, includuntur omnium beneficiorum inſignia atque monimenta, quæ Chriſtus, in ipſa cruce, pro nobis, cum ſanguinis ſui profluuio miſericorditer effudit. Hoc igitur ſignaculum oculis Epiſcopi obiicitur, vt huius intuitu memorialis excitetur ad Chriſti dolorum participationem, amoris in eum reciprocationem, necnon tanti pretij erga animas ſibi commiſſas fidelem diſpenſationem, ac ſedulam applicationem. Pulchrè ſanctus Bernardus ep. 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum. *Hoc agens*, inquit, *Pontifex, implebit non ſolùm Pontificis officium, ſed & etymologiam nominis, pontem ſeipſum faciens inter Deum & proximum. Pertingit pons iſte vſque ad Deum ea fiducia, quæ non ſuam, ſed Dei gloriam quærit. Pertingit vſque ad proximum, quia ipſi non ſibi prodeſſe deſiderat.* Crux verò eſt quaſi arcus cœleſtis, quo ſuperna ſimul & terrena amiciſſimo nexu coniunguntur: & pacata diuina in

* Seu vt ex Hebræo ad verbũ vertitur, *ſuper cor ſuum.*

nos ira indicatur: ac misericordia, pax, salus & felicitas æterno Christi solis iustitiæ est merito ac virtute quæsita; iuxta illud Col. 1. *Pacificans per sanguinem crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt.* Hoc igitur insigni congruè ornatus Pontifex, diuinæ in maiestatis apparet conspectu, vt vice Christi redemptoris, medius inter Deum & homines existens, nobis quidem diuinam misericordiam ipsius Christi merito conciliet, mysteriúmque reconciliationis ministerialiter operetur, vicissimque Deo per ipsum Christum Dominum debitam rependat, & referri à nobis procuret, gloriam & honorem. Portare se stigmata Christi vas electionis suo in corpore gloriatur. De cætero ait Gal. 6. nemo mihi molestus sit: stigmata Domini mei in corpore meo porto. *Non dixit habeo* (ait Chrysostomus *) *sed porto tanquam aliquis de trophæis glorians signisque regalibus.* &c. *Nam ne quis diceret recto quidem animo mutatus est, verùm non persistit in eodem animo, testes allegat se etiam perstitisse* (*in fide Domini sui*) *nimirum tentationes, pericula, plagas. Non tamen exigit, vt quisquis sibi cæterisque Apostolis in Ecclesia successurus esset* (sicut nobis Apostolorum loco sunt Episcopi) *stigmata perferre consimilia obstringeretur. Habet pax Christiana flores incruentos,* (*quibus Christi milites, ipsique militiæ duces coronentur. Sic & sine vulnere corporis, media quibus Christi ferant insignia.* Appositè sic Paulinus Nolanus ad Seuerum, (cui gerendas super se in munimentum virtutis particulas crucis Dominicæ mittebat) religioséque prorsus eloquitur *. *Et ideo non* (tam) *ad fidei firmamentum,* (*quia visionem fide præuenistis*) *sed propter meritum fidei quam auditu receptam factu probatis, misimus vobis in Domino ligni salutaris donum, vt crucem & corpore possideretis, quam tenetis spiritu, & propositi virtute portatis.* Falleret sanè & falleretur admodum Pontifex, qui corpore crucem Christi portaret, spiritu abiiceret; & super pectus gereret exterius, quam non teneret in corde **.

Certè non mihi excidere hîc patior, æterna dignum memoria serenissimæ ac piissimæ Heroinæ Mariæ Stuartiæ,

* *In Com. super epistolam ad Gal. c. 6. in fine tom. 4.* Οὐκ εἶπεν, ἔχω, ἀλλὰ βαστάζω, ὥσπερ τις ἐπὶ τροπαίοις μέγα φρονῶν, ἢ σημείοις βασιλικοῖς. ἵνα μή τις λέγῃ, ὅτι μετέστη μὲν ἀπὸ διανοίας ὀρθῆς, οὐκ ἔμεινε δὲ ἐπὶ τῆς αὐτῆς θεραπείας, ὅτι καὶ ἔμεινε μάρτυρας παράγει τοὺς πόνους, τοὺς κινδύνους, τὰς πληγάς.

* *ep. 11. inter initium & medium.*

** Huc referri potest, & hinc commodè intelligi, dictum S. Hieronymi in cap. 23. Matthæi, ad illa verba, *dilatant phylacteria sua &c.* vide & responsa Nicolai Papæ c. 7. ad consulta Bulgarorum perquirentium num crucem ex collo gestare & osculis venerari licitum sit, siue quis probam vitã, siue improbam agat?

tiæ, Reginæ Scotorum, Francisci II. Christianissimi Regis viduæ, & quod longè augustius regali omni titulo decus est, Martyris præclarissimæ documentum. Cùm odio potissimùm fidei Catholicæ, quam ineluctabili constantia profitebatur, indignissimæ neci adicta, ferale in theatrum perducta esset, extremum supplicium, imò gloriosum martyrium perpessura: teneretque in dextera sua crucifixi redemptoris adorandam imaginem, quam sæpesæpiùs deosculabatur: hæreticis circunstantibus ægrè ferentibus tantæ pietatis exemplum, vnus ex Comitibus Regni, qui cæteros inter aderat, cohibere impij sui animi motum (quem humanitatis fuco obduxerat) minimè potuit. *Tibi*, inquit, *Domina non modicum indoleo! non tam quòd mortem in præsentiarum subitura es dedecoram, quàm quòd te conspiciam papisticis, etiam in hoc extremo vitæ momento, ita miserè implicitam superstitionibus. Christi enim crux cordi infigenda est, non manu ferenda.* Cui religiosissima Regina (quæ etiamnum vti totâ vitâ fecerat, crucem super regium pectus è sinu pendulam perferebat) dignissimum Catholica Christianissimáque Principe hoc responsum dedit. *Sed longè magis Domine Comes tui misereor, qui nescias, vix fieri posse, vt quis reuerenter hoc salutare lignum manu gerat, qui mente non colat ac adoret. Teneo equidem manu, sed toto cordis affectu, eum veneror ac amplector, qui pro me totóque genere humano cruentam mortem, in ipsa crucis ara (cuius cerno imaginem) pati dignatus est.* O Reginæ laurea æternitatis perdignæ, ac iam cœlorum regni candidatæ, nulla vnquam delendum obliuione responsum! O Martyris, Christo animitus confixæ, mundóque iamdudum crucifixæ, cœlóque toto animo hærentis, ac sola diuina spirantis dignissimum monimentũ! Vtinam id omnium memoriæ altè infigatur, qui salutiferum hoc signum, suo collo appendunt pectorique imponunt, ceu insigne gloriosum. Narrat Constantinus presbyter in vita sancti Germani Autissiodorensis, quam (vt ex epistolis præliminaribus constat) sanctis Episcopis Patienti Lugdunensi, & Censurio Autissiodorensi dedicauit, quòd cùm

vir ille Apoſtolicus, vnà cum beato Lupo Trecenſi Antiſtite, maiorem in Britanniam, ad profligandam Pelagianam hæreſim proficiſcens, Namtodori prope Lutetiam ſubſtitiſſet (vbi prophetico ſpiritu, ſanctam Genouefam tum puellam tenellæ adhuc ætatis, à Deo electam virginem eius parentibus prænuntiauit) quemadmodum iam ipſam, vt vas diuinæ gratiæ chriſmatibus præparatum magno præconio dilaudans, perpetuo ſacræ virginitatis fœdere Chriſto Domino deſponſauerit: túmque teſſeram diuino nutu illi aſſignârit, qua ſacri propoſiti inuiolabili cuſtodia muniretur. *Móxque æreum nummum diuina, vt credo* (inquit Conſtantinus præfatus vitæ ſancti Germani deſcriptor) *allatum ſententia, impreſſione crucis inſculptum inſpexit, inſpectúmque protinus à terra collegit. Quem loco muneris Genouefæ tradidit, húncque ſemper collo ſuſpenſum, ob ſui memoriam ferre præcepit. Hoc, inquit, me recedente pignus mei amoris præ oculis iugiter geſtare memento. Cæterùm vniuerſa alia mundialis pulchritudinis ornamenta, auri gemmarúmve compacta fulgoribus nunquam tuis vel collo, vel digitis inſeri patiaris. Habeant hæc quæ ſæculo militant. Tu quæ ſponſa Chriſto adſcripta es, ornamenta ſpiritualia conſpice.* quæ cruce nimirum Saluatoris continentur, non ſolùm collo pro inſigni dignitatis appendenda, & pectori ad ornatum imponenda, ſed affigenda cordi, ad perpetuæ in Chriſtum deuotionis excitandum affectum *. Ideo Exodi 28. vbi ex vulgata editione Pontifex rationale perferre iubetur ſuper pectus, ex Hebræo alij vertunt *ſuper cor ſuum*. Neque enim vt ſolùm niteret Pontifex rationalis ſplendore, hoc illi fuerat diuino aptatum iuſſu: at vt tam lucido ornatu inſignitus, beneficiorum Dei reminiſceretur, ſuæque infirmitatis conſcius, ac populi memor, cor purum ingrediens in ſancta Deo offerret, eiúſque clementiam, pro ſe & populo ſuo, ſtuderet, ex intimo animi affectu deprecari. Exemplis ſcilicet duodecim Patriarcharum excitatus, quorum nomina lapidibus duodecim pretioſis ipſi rationali inſertis, erant inſculpta: ad innuendum ſcilicet illos Deo puritate cordis potiſſimùm com-

* Ad præſidiũ quoque & tutelam aduerſus quæcumque pericula. Quãobrem primi Chriſtiani amuletorum locô, quæ abiecerant fide ſuſcepta, geſtabãt è collo crucem. videndus Euagrius lib. 6. c.20. de Sira Choſrois Perſarum Regis vxore.

placuisse; quæ auri munditia & gemmarum nitore significabatur. At habet in vna Christi crucifixi imagine Christianus quisque Pontifex, virtutum non modò omnium Sanctorum micantia suis in oculis insignia, quæ omnia ex Christi cruce, vt è vitali fonte riuuli dimanarunt: sed insuper speculum verbi abbreuiati præclarissimum, in quo scilicet conspicere possit, si sedula attentione meditetur, ad quid mysticum illud pectorale gerit; *quæ sit latitudo, longitudo & sublimitas, & profundum supereminentis scientiæ Christi*, Eph. 4. 3. Mira sanè est hæc philosophia, sed tamen quæ omnium Sanctorum (vt ibidem Apostolus insinuat) vna soláque scientia fuit. quam & theodidactus Bernardus *lib. 5. de considerat. in fine*, locum hunc solerti libramine perpendens, breui at eleganti suauissimóque hoc documento complexus est. *Diuina essentia, res vna cùm sit, est tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam. Hæc quadriga Dei. Comprehendimus eam duobus brachiis timoris & amoris. Timor sublimi & profundo, amor longo latóque respondet. Vel quatuor virtutibus. Longitudinem enim tenemus & comprehendimus perseuerantiâ, latitudinem charitate, altitudinis maiestatem veneratione & adoratione, sapientiam & abyssum iudiciorum timore & humilitate.* (quâ, vt ait, nulla splendidior gemma esse potest, in omni ornatu Pontificis, lib. 2. de consid. c. 6. in fine). Addit porro loco præcitato mysticis dimensionibus, quatuor alias correlationes. *His etiam* (inquit) *quatuor contemplationis species respondent. Longitudinem enim comprehendit meditatio promissorum; latitudinem recordatio beneficiorum; sublimitatem contemplatio maiestatis; profundum iudiciorum inspectio.* Quadrangulum sanè Leuitici Pontificis, rationale erat: pectorale quoque Euangelici Pontificis, quatuor angulos habere debet, nempè quatuor cornua crucis, quæ mysticis totidem gemmis virtutum, quas Christus patiendo exhibuit, eximiè decorantur. Etenim eluxit Christi in cruce insuperabilis obedientia, singularis patientia, admirabi- *Exod. 28.*

lis humilitas, ac charitas inæſtimabilis. Crucis igitur Chriſti rectè ac congruenter Epiſcopus, inſigne ſi geſtare cupit, has quatuor virtutes (quas in paſſione ſua potiſſimum docuit Saluator) tota intentione imitetur. Fruſtrà enim cruce gemmea ac aurea, à ſinu dependenti ſuper pectus eius coruſcabit, niſi cordi ſuo impreſſam Chriſti crucifixi gerat memoriam, ac ſeipſum illi configurare ſtudeat, ſedulo conformitatis affectu.

Nec ſatis eſt quòd crucem perferat pro ornatu, dare inſuper operam debet vt illi ſit etiam pro cruciatu: quem à ſe ſuiſque ſimilibus, ſanctus Anſelmus Cantuarienſis præantiſtes, in libello *de menſuratione crucis*, aptè ac conuenienter his prorſus aureis verbis exigebat. *Crux*, inquit, *eſt cruciatus cordis, quòd Deo non meliùs ſeruiamus. Debemus ergo habere cruciatum, quòd non tantùm humiliamur, ô Domine, quantum debemus, & hoc eſt profundum crucis. Quòd non tantùm laudamus & amamus te, quantum tua bonitas exigit, & hæc eſt ſublimitas. Quòd non ſumus tam fideles, vt alios ad laudem tuam trahamus, & hæc eſt latitudo. Quòd non ſemper continuamus, nec laudem tuam copioſè extollimus, & hæc eſt longitudo. Ferenda eſt igitur* (præſertim à paſtore, qui forma gregis debet eſſe ex animo) *crux Chriſti, humiliter, fideliter, ardenter & perſeueranter.* Hoc modo ſi geſtauerit & perferendam docuerit, ſicut verè particeps erit Dominicæ Paſſionis, ita ſocius erit glo-
Rom. 8. rificationis, dicente Apoſtolo, *quoniam ſi compatimur, ita & conglorificabimur.*

Surius in vita Henrici Suſonis ſanctiſſimi viri & planè Apoſtolici, ex Prædicatorum Ordine, ſignatim denarrat, illum occultè geſtaſſe aſperrimam crucem inter
* c. 18. ſcapulas *, aliam ſtylo exaraſſe ferreo ſuper pectus. Sed Deum, hunc, cum filio ſuo vnigenito patiendi ſtudioſum ac pium affectum, inſigni compenſaſſe remunerationis præmio. *Quodam tempore* (ait auctor) *poſt preces matutinas ab oratione ſua reuerſus, in cubiculo reſidebat in ſede ſua, capitique ceruicalis loco ſuppoſuit librum qui*
* vitæ *vitas * Patrum inſcribitur. Paſſus eſt autem mentis exceſſum, videbatúrque ipſi quippiam luminis ex ipſius cor-*

*de emergere, respiciénsque vidit in suo corde crucem auream multis gemmis intertextam, in quibus miro decore nomen Iesu luculenter apparebat. Mox cucullo cor suum operiens, splendorem illum mirificum premere nitebatur, ne quis eum conspiceret. Tum verò feruentes illi radij mirum in modum flagrabant, adeo vt nulla ratione efficacissimam illorum vim & splendorem celare posset**. Hactenus Surius c. 5.

* Migrauit ad Dominum 25. Ianuarij anno 1365. quo die notatur à Molano hoc indice: *Eodem die obiit Henricus Suso qui fuit eximiæ sanctitatis.* Vlmæ scilicet in Germania.

Sed de cruce pectorali iam satis pro instituto, hîc à nobis dissertatum videtur. Nam de sublimi, aliàs copiosè scripsimus, libro scilicet prolixo satis, Vrbano VIII. summo Pontifici dedicato, cuius programma est: *De Sacro ritu præferendi crucem maioribus prælatis Ecclesiæ*, &c. *Parisiis excuso typis Roberti Stephani anno* 1628. Quamobrem minus necessarium etiam quibusdam videbatur, nos hîc de minori cruce Episcoporum tractatum inire. Verùm ne Panopliæ Episcopali hic ornatus, nostrâ culpâ, deesset: satius duximus speciale opusculum de eo etiam contexere. qui sanè ornatus inter pontificia insignia suo debebat ordine recenseri. Sed insuper tanto necessariùs de hoc disserendum existimaui, quanto maius apud Ecclesiasticarum rerum tractatores, deprehendi, hac de materia subesse silentium.

MANTISSA.

An passim vti pectorali cruce, Abbatibus, Episcopali more liceat?

EX 8. Concilio generali, seu quarto Constantinopolitano, Cardinalis Baronius elicit, encolpium ita Episcopis proprium esse, vt qui depositi fuissent Episcopi, huius sacri insignis solenni receptione, Pontificio gradui restituti censerentur. Nihilominus Abbates hoc ipso encolpio vsos in Ecclesia Latina, indicio sunt, quæ a Radero tom. 2. Bauariæ sanctæ referuntur de sanctæ conuersationis Abbate anonymo in Boica, qui apud Ludouicum Boiorum Principem hospitio rece-

ptus,funeſto caſu, igne è lychno in denſam ſtipulam delapſo,hincque flamma erumpente in ingens incendium, æſtu fumóque afflatus, ac cùm euadendi nulla via pateret, exanimatus repertus eſt, ferrea catena medio corpore,ad carnis ſpontaneam macerationem,reuinctus, & è collo pendulam gerens crucem ſacris reliquiis inſtructam. Quibus indiciis, quæ ipſo viuente cucullo tecta fuerat, tam mira auſteritas, atque in Chriſti crucifixi memoriam ſingularis deuotio, piúſque in ſanctos affectus quos ſpeciali culto proſequebatur, præfato Principi Ludouico aulicisque eius apparuit: tantámque de ipſo æſtimationem excitauit, vt poſtquam eiuſdem Principis iuſſu Ratiſponæ, ſummam in ædem, ſolenni funere, illius exuuiæ illatæ fuiſſent, ac honorifico ſepulchro conditæ (erumpentibus inde etiam virtutis radiis) cultus eidem, velut vni è cœlitibus cœperit adhiberi. Porro virum tantæ ſanctitatis, ſibi præter ius vſurpaſſe inſigne pectoralis crucis, quod ſolis Epiſcopis gerere liceret: non ſinit beatitudinis eius huc vſque perſeuerans exiſtimatio præſumere. Datô enim quòd ornamentum illud pertulerit, & ſine culpa hoc fecerit, exemplum certè non leuis momenti inde Abbatibus ſuppetit, quòd eodem vti poſſint ornatú,ſine labe temeritatis.

At nihilominus ab oppoſita opinione mihi ſtandum eſſe reor: nimirum quòd pectoralis crucis ornamentum ſibi aſſumere Abbates regulares (nam commendatarios vt nulla iuriſdictio comitatur, ſic nec dignitas in iure canonico approbata) non poſſint abſque noxa manifeſtæ præſumptionis. Nam primò ex iure communi id eis non competit. 2. Apoſtolica priuilegia quæ quibuſdam Abbatibus inferioribúſque Prælatis inſignia Epiſcopalia concedunt, ea ſic vtplurimùm enumerant, vt crucem ipſam pectoralem, inter ea quæ conceduntur nunquam ſoleant recenſere. Sanè antiquioris notæ quæ extant indulta duo, potiſſimum, id manifeſtum efficiunt. Prius eſt, quo Alexander II. anno 1063. apicem ſeu Mitram Epiſcopalem Egelſino Abbati ſancti Auguſtini Cantuarienſis peculiari & adhuc

insolita Sedis Apostolicæ munificentia impertiendo, vnà cæteros ornatus etiámque sandalia ei & successoribus concessit. Verùm ne verbum quidem de cruce pectorali, in iis suis expressit codicillis. Alterum Vrbani II. est, quo sancto Hugoni Cluniacensi Cœnobiarchæ contulit eadem insignia, *ad eius* (vt signanter ait) *deuotionis euidentiam & peculiaris suæ erga ipsum dilectionis ostensionem*. At crucis inter hæc, nullatenus meminit. Datum est autem diploma istud Apostolicum Romæ anno incarnationis Domini 1088. Pontificatus eiusdem Vrbani primo. Extendit ipse postmodum Vrbanus idem priuilegium ad eiusdem Hugonis successores, munificis tabulis Placentiæ exaratis, anno salutis 1095. Sed idem de pectorali cruce, in iis Pontifex seruari voluit altum silentium: quô scilicet innotesceret posteris suæ intentionis non fuisse, vt tametsi tam insigni beneficio, Abbates inclyti illius Monasterij (quod Ordinis totius caput est) Episcopalibus ornamentis pollerent, mitra, dalmatica, compagis, chirothecis, &c. cruce tamen nec sublimi, vt Archiepiscopi, nec pectorali vt Episcopi, illis liceret vti. Nec enim ea quæ iuris sunt, ad philosophiæ amussim sunt exæquanda. Non valet certè in dialecticis argumentum merè negatiuum: at in iure valet. Nam vbi quædam expressim conceduntur, alia reticentur: exceptio illa cætera non comprehensa, prorsus excludit. Regula enim iuris pernota est: *Exceptionem in cæteris ius* (commune) *firmare*. 3. Oraculum est Apostoli, *neminem sibi debere sumere honorem*. Heb. 5. Atqui ille sumit qui sibi arrogat, quod nec datum, nec debitum est. Crux verò pectoralis Abbati, etiam infulato, nec dari consueuit, ex primordiali Ecclesiæ theoria, in eius solenni benedictione (vt ex ipsius formula benedictionis apparet, quæ in antiquis Pontificalibus extat:) nec debetur, nam hoc insigne illi non competit, nec ex iure communi, neque ex vllo generali Abbatum priuilegio, imò neque ex prisca consuetudine, illi accidere potest. Etenim cùm nihil aliud sit consuetudo legitima, quàm vsus cum iure: abusus profectò id esse conuincitur, quo vsus

ſine iure procedit, imò quo contra ius aliquid præſumptum eſt. Porrò ex magni Cardinalis Baronij ſententia, crux pectoralis ſolis competit Epiſcopis: quibus ita propria apud Patres octaui Concilij generalis habita eſt, vt illo ſolo inſigni, Epiſcopi qui depoſiti erant, fuerint in integrum decus reſtituti Pontificiæ ſuæ dignitatis. Vnde ei arctiore nexu inhærere, quàm mitram & cætera inſignia, conſequitur. Quæ & ratio eſt, cur ſummi Pontifices illorum vſum, quibuſdam Abbatibus, aliiſque nonnullis inferioribus Prælatis concedendo, de ipſa cruce ſuis ſemper in indultis omnino conticuerint. Contra ius omne igitur agunt Abbates, quicumque hoc inſigne ſacri pectoralis ſibi arrogant vtendum: niſi ſpeciali inſolitóque Sedis Apoſtolicę priuilegio potiantur: quibus ideo ſolis ex noui Pontificalis formula, dum benedicuntur ſolenni more, encolpium communicari poteſt. Nec vlla conſuetudine alij excuſari valent, quæ potiùs corruptela dici debet, quum nullo nitatur iure, at omni potiùs iuri & rationi refragetur. Cæterùm nec itidem hos iuuat exemplum ſuprà adductum ex Radero, cùm pius ille Abbas cuius meminit, non geſſerit collo ſuſpenſam crucem ad ornatum, vel indicium dignitatis; ſed ſolùm ad ſtimulum deuotionis, vt catenam ſuper lumbos ferream gerebat, ad religioſæ mortificationis exercitationem. Quapropter tam crucem reliquiis ſacris imbutam, quàm catenam ferreis conſertam anulis, ſub cucullum abſcondebat; quæ poſt eius mortem intactæ inter medios ignes, exuſtis carnibus repertæ ſunt. Vnde de eo quidam nõ inſcitè ait,

Viuentis latuit virtus, velata cucullo,
Non timet Autolici condita gemma picem,
Poſtquam flamma vorax corpus nudauit amictu,
Neſcia virtutis prodidit exuuias.

Cæterùm cuiquam non modò Abbati, at etiam laico, quin & fœminæ, licet crucem perferre, eodem fine & modo quo dictum eſt. Nempè ſubtus veſtes, non ad ambiendum honoris inde indicium, ſed ad excitamentum pietatis, & pignus diuinæ cuſtodiæ. Quemadmodum ſanctæ Virgines Tecla & Macrina crucem geſ-

ſiſſe

ſiſſe ſuper caſtum pectus memorantur, non ad ornatum, ſed ad præſidium. Vnde eam abditam perferebant, & ferream quidem, non auream, nec gemmeam. Quanquam crux nunquam ſine auro & gemma perferri poſſit : quæ omni auro longè pretioſior, gemmáque inæſtimabilis eſt : quamobrem in eius triumphali feſto, Eccleſia has in laudes lætabunda erumpit. *O quàm pretioſum lignum! quàm pretioſa gemma quæ Chriſtum meruit ſuſtinere!* ipſimet cruci ſcilicet in forma ſerui inſculptum, quâ deformatum hominem priſtinam in formam repararet, exutúmque forma ſerui extolleret vſque ad formam Dei, ac indelebile ſuæ bonitatis ſignaculum, & inſeparabile gloriæ ſuæ ac beatitudinis conſortium.

FINIS.

Vu

PANOPLIAE EPISCOPALIS

LIBER V.

De Chirothecis Episcoporum.

VETVS *lex noua congruit. Idipsum Moyses quod & Apostolus. Ille Sacerdotis scientiam ornat in vestibus, iste Timotheum & Titum instruit disciplinis: sed & ipse vestimentorum ordo præcipuus, quem legimus in Leuitico descriptum,* ornatum designat quo Christianus Pontifex debet in Ecclesia præfulgere. *Tanta enim debet esse scientia & eruditio Pontificis Dei, vt & gressus eius, & motus & vniuersa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu: vt quicquid agit, quidquid loquitur sit doctrina populorum, absque tintinabulis enim & diuersis coloribus, & gemmis floribúsque virtutum, nec sancta ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere.* ep. 128. tom. 3. p. 727. Hactenus sanctus Hieronymus doctè, & eleganter, piéque suo more, scribens ad Fabiolam *de veste Sacerdotali*, sub finem suæ eruditissimæ dissertationis eloquitur, subiunctim insinuans, de eadem materia quondam Tertullianum scripsisse, cuius non minimùm dolet se carere desiderato tractatu, cuius titulum se memorat

inueniſſe in magni illius auctoris operum indiculo. *Fertur* (inquit) *in indice Septimij Tertulliani liber de Aaron veſtibus: ſi à vobis* (ita Fabiolam orat) *propter celebritatem vrbis, fuerit inuentus, quæſo ne meam ſtillam illius flumini comparetis.* Et revera magnum fuiſſe flumen, neceſſe eſt exiſtimare illud Tertulliani de veſtibus Pontificis opus, ſi eius comparatione, ſancti Hieronymi de iiſdem lucubratio, pro ſtilla computanda venit. Verùm ex præcordiis inſitæ humilitatis ſtudio, hæc dicta à ſancto Hieronymo eſſe prudentum nemo eſt qui non diiudicet: ſed tamen qui ſimul cum ipſo beato Hieronymo, admodum iacturam illam non ægrè ferat, qua Tertulliani tam illuſtre opus contigit iam olim periiſſe. Hoc ſiquidem omnia de apparatu veteris Pontificis comprehendiſſe, quæ ad hiſtoricum, moralem & myſticum ſenſum ſpectare poſſunt, facile eſt, ex tanti auctoris incomparabili eruditione coniectari: ex cuius genio, nihil vnquam prodiit; niſi omni doctrina refertum, & ſolertiſſimo præſtantis mentis acumine inſignitum.

Magno igitur mihi fuiſſet ſubſidio liber ille, de Pontificio Epiſcoporum apparatu opus ex inſtituto contexenti: cùm ipſo teſte beato Hieronymo ſuper Iſaiam * ex veteri teſtamento multa tranſlata ſint ad Eccleſiæ ornamentum **, ipſéque apparatus Leuitici Pontificis, Epiſcopalem panopliam in pleriſque adumbrarit. Verùm hîc eo loco ſumus, quo theorematis huius deliquium neceſſariò patiamur. Tractaturis enim nobis de chirothecis Epiſcopalibus, nihil prorſus ſuppetit ex veteris Pontificis habitu, totáque antiqui fœderis harmonia: cùm nec ipſum chirothecæ nomen, toto veteri teſtamento vſpiam expreſſum inuenire ſit, quod neque in nouo obſeruari poſſit vſpiam exaratum, prout peritis liquet ſacræ Scripturæ.

* *Lib. 1. ad c. 3.*

** *Docet hoc ipſum Raban. de ord. Antiph. c. 14.*

Tempore tamen priſcæ legis, chirothecas apud Iudæos fuiſſe in vſu, pia traditio Belgarum perſuadet, chirothecam venerantium ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ, Audomaropoli, quam aſſerunt iamdiu religiosè aſſeruatam apud aſcetas Bertiniēſes; de quâ hæc literis prodi-

dit doctiſſimus Coluenerius Cancellarius Academiæ Duacenſis tom. 1. Kal. eiuſdem Beatiſſimæ Virginis, die 15. Iunij. *Caterùm Locrius lib. 5. c. 32. agit de eiuſdem Virginis chirotheca, qua adſeruatur Audomaropoli in ſancti Bertini Monaſterio, è tranſmarinis partibus, opera Simonis quadrageſimi quinti Abbatis, cum eiuſdem Virginis capillis eò tranſlata: idque ex Chronico ſuo Belgico 1182. vbi hac leguntur. Simon Abbas Bertinicus templum ſuum, beata Virginis Deipara chirothecâ, capillis, atque ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli reliquiis exornat. Sed praſtat vt ipſius Iperij verba ad annum iam dictum in Simone II. Abbate 45. audiamus. Eodem enim tempore* (inquit) *Dominus Abbas noſter, Simon, glorioſas reliquias, chirothecam beata Virginis Maria, cum capillis eiuſdem: reliquias ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, cum multis aliis dudum repoſitas, & nunc inuentas, miraculis atteſtantibus toti populo venerandas expoſuit. Puella ſubmerſa, ſuper altare ſancta crucis, coram pradictis reliquiis poſita, aſtante toto populo reuixit. Quidam ciuis Audomarenſis, mortifera inflatione turgidus, chirotheca beata Maria, præfatiſque reliquiis ſignatus, mox ſanus effectus eſt.* At hæc de ſanctæ Virginis chirotheca, dicta ſint per tranſennam.

Ad Epiſcopales chirothecas, vt vnde oratio ſumpſit exordium, redeamus. Mihi certè hæret aqua ex verbis auctoris libri inſcripti *Gemma anima*, ſeu de antiquo Miſſæ ritu (quem Honorium quemdam, Pamelius exiſtimat: tametſi hæſitandum non fuerat, ſed rotundè aſſerendum illum fuiſſe Honorium Auguſtodunenſem, qui tractatus huius ſe auctorem diſertè profitetur in fine libri 4. de luminaribus Eccleſiæ, ſeu de Eccleſiaſticis Scriptoribus, à Mirræo typis edito, ordine 6. Bibliothecæ Eccleſiaſticæ) ſiquidem cap. 215. eiuſdem libri prænotatum de chirothecis, hoc tenore initiat. *Chirothecarum*, inquit, *vſus ab Epiſtolis eſt traditus.* Horum enim verborum cùm ſit apertè inepta connexio, ac abſurda prorſus ſignificatio, eſſet certè quòd nonnihil miraremur, quî fieri poſsit, vt ſic edita prodiiſſent ex Melchioris Hittorpij recenſione, niſi ex Ty-

pographi oſcitantia, irrepſiſſe in hunc contextum, mendum quod neutiquam leue eſt, res ipſa paulò attentiùs conſiderata, facilè perſuaderet. Sic igitur legendum puto. *Chirothecarum vſus ab Apoſtolis eſt traditus*. Hoc enim in contextu plana ſunt omnia: quid enim in Eccleſia tam tritum, quàm traditiones ab Apoſtolis emanaſſe?

Sed emunctioris naris lectoribus, tametſi hæc, ſic reſtituta auctoris de Gemma animæ, verba, aptiùs cohærere inuicem, & menti auctoris quadrare videantur: tamen à veritate nonnihil diſſentanea, ab iiſdem non dubito exiſtimabuntur. Nec enim veriſimile vllo modo cenſebunt, chirothecarum vſum Apoſtolos per traditionem Epiſcopis aſſignaſſe. De leuiſſimis enim his rebus facilè excipient, non curaſſe Apoſtolos, qui nexibus manus pro Chriſti teſtimonio ferreis inſerere aſſueti, minimè reputandi ſunt cogitaſſe de hoc tradendo ornatu ſuis in Euangelio cooperariis, ac paſſionum Chriſti participibus, & ſacræ dignitatis ſucceſſoribus: quos potiùs ſatagebant Epiſcopalibus verè virtutibus informare, quàm externis eiuſmodi decoramentis inſignire. Ego verò vt ingenuè mentem meam aperiam; quamuis ex probatiſsimæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monimentis ſatis conſtet, Apoſtolos etiam externum decorum in ſacro miniſterio vſurpaſſe: ſignatim verò Iacobum Hieroſolymis, & Ioannem Epheſi, laminam in fronte, coronæ Sacerdotalis locô geſtaſſe auream. Podere verò inſignem ipſum Iacobum diuinis operatum. Ideóque nec ita abſurdum videri vt etiam chirothecis vſi fuerint, ad myſticos (de quibus infrà) innuendum ſignificatus. Nihilominus cùm leuiter traditiones Apoſtolicæ aſſerendæ non ſint, multúmque iis quæ veræ ſunt ponderis detrahatur; ſi quælibet obſeruationes Eccleſiaſticæ, harum in numerum, pro cuiuſlibet Scriptoris arbitrio, ſine vllo fundamento ſolidæ auctoritatis, nempe venerandæ antiquitatis ſuffragio, referantur. Ideò chirothecarum Epiſcopalium originem Apoſtolorum traditioni nequaquam exiſtimo adſcribendam eſſe: cùm apud primores Eccleſiæ Hiſtoricos,

ſanctóſque Patres, nullum extet penitus traditi ab Apoſtolis ritus huius veſtigium.

Non eſt tamen quòd in alterum extremum nos abripi patiamur: adeò nouum hunc morem exiſtimando, vt antiquiorem eius in Eccleſia vſurpationis teſtem Innocentiô III. cenſeamus nullum reperiri. Qua in opinione fuiſſe Duranti videtur (vir cæteroqui doctiſſimus, & ſcientiſsimus rituum Eccleſiæ explorator) qui lib. 2. de Eccleſiæ Catholicæ ritibus c. 9. paucis ſe expedit de huius ornamenti indagine. *Poſt indutam*, inquit, *dalmaticam, Epiſcopus manus operit chirothecis. Quid verò chirothecæ ſignificent enarrauit Innocentius III. lib. 2. Myſt. Miſſ. c. 41. & Durandus lib. 3. Ration. cap. 12.* Nec addit plura de hoc ornatu teſtimonia, neque huic aliquantulùm illuſtrando tantiſper immoratur.

Sed verò Honorium Auguſtodunenſem præinductum, nonnemo fatebitur, Innocentio III. ſeniorem: vt qui ipſomet ſignante cap. vlt. ſui operis de Eccleſiaſticis Scriptoribus, vixit ſub Henrico V. Imperatore; octoginta vt minimum annis ſcilicet priuſquam Innocentius ſedere cœpiſſet. Hic igitur Honorius Ruperto Tuitienſi ſynchronus (quem penultimum ſuo in Catalogo poſuit) cùm de ſeptem veſtibus Epiſcoporum proprio ſub programmate tractat, inter eas nominatim chirothecas recenſet. *Epiſcopus iiſdem*, inquit, *ſeptem veſtibus induitur* (quibus Preſbyter) *inſuper & aliis ſeptem redimitur, ſcilicet ſandaliis, dalmatica, rationali, mitra, chirothecis, anulo, baculo.* lib. 1. operis cuius titulus eſt, Gemma animæ c. 209. Deinde c. 215. ſpeciale ſyntagma prænotat de chirothecis, quo & de earum morali ac myſtica ſignificatione pleraque notatu digna ſubiungit, obſeruanda inferiùs, vbi de ipſa ſignificatione, ſuo erit ordine diſſerendum.

Ante Honorij porrò huius ætatem, hunc ornatum fuiſſe Epiſcopis in vſu peruium eſt oſtendere: ſi modò de nomine tantùm non moueatur controuerſia. Rem enim eandem alio vocabulo veteres denotabant, ſiquidem manicas appellabant, quas poſteri inſigniori no-

mine chirothecas nuncuparunt. Certè in Ratoldi Abbatis Corbeiensis qui obiit anno 986. rituali codice, quem optimæ notæ solertissimus eius perlustrator, eruditissimus Hugo Menardus, piæ memoriæ asceta Benedictinus Pratensis, esse censuit, *vt qui* (verba magni illius viri sunt) *correctissimus sit, pluresque habeat caremonias, dies festos, benedictiones Episcopales & præfationes, quàm alij*: vetus extat ordo Missæ descriptus in sancto die Paschatis celebrandæ. In hoc verò postquam manus Pontifex sacris operaturus abluit, recipit manicas hoc solenni ritu. *Tunc ministrentur ei manicæ*, vt suprà: dicitque,

Refert Menardus in append. ad librum Sacram. S. Greg. p. 261. & 263.

Digna manus nostras Christi custodia seruet,
Vt tractare queant nostræ monumenta salutis. Per omnia, &c. Sequitur post Euangelium. *Dicat Episcopus, Dominus vobiscum.* Resp. *& cum Spiritu tuo.* Oremus. Tunc incipiat offertorium. *Terra tremuit. Eo autem finito & oblatione recepta, cum omni processione reuertatur ad solium, & exuat manicas, lauetque manus, & sic ingrediatur propitiatorium*, &c.

Sed & in ordine Romano (quem Gallicanæ Ecclesiæ traditum fuisse rogatu Pipini Regis à Stephano Papa, doctissimus Hittorpius rectè indicat, in sua præmonitione ad Lectorem super varios libros à se editos vetustorum aliquot Ecclesiæ Patrum, ac Scriptorum Ecclesiasticorum, de diuinis Catholicæ Ecclesiæ officiis & mysteriis:) vbi ritus describitur, qualiter Episcopus debeat ordinari, dicto Euangelio & Graduali, mox formula monet, aptanda illi sandalia, ac continuò manicas, Episcopis qui illi assistunt, orationem conuenientem super eum proferentibus. *Quando induitur manicis* (oratio) *Deus vt manus famuli tui N. scilicet fratris nostri: sicut exteriùs obducuntur manicis, sic interiùs adspergantur rore tuæ benedictionis, vt quæcunque per eas sint benedicenda & consecranda, per te benedicantur & consecrentur. Qui viuis*, &c.

Tom. 10. Bibliothecæ Sanctorum Patrum hæc collectio continetur.

Iam igitur vsus ille inoleuerat, hoc est ante nongentos annos, imò diu antè. Nec enim rerum illarum antiquitas, quæ in ordine Romano memorantur, tem-

pori duntaxat illi exæquari debet, quo ipſe ordo Gallicanæ Eccleſiæ traditus fuit. Sicut nec ipſe ordo ita dimetiendus, vt tum primùm cœpiſſe cenſeatur, cùm Galliæ Eccleſiis innotuit *. Nam diu antè in Romana ſeruabatur, per cuius manus ad has peruenit. Porrò retinentiſſimam fuiſſe ſemper Romanam Eccleſiam, non modò in doctrina, ſed itidem in diſciplina, necnon tam in ritibus quàm dogmatibus, antiquitatis: porrò à nouitatum ſtudio, cùm circa res, tum circa mores ab initio abhorruiſſe, eruditorum quempiam ignorare, nec mihi licet ſuſpicari. Quamobrem huic ſuadelæ diutiùs immorari, foret meo quidem iudicio ſuperfluum, quin & ſcientibus faſtidioſum.

** Ordinem Romanum citant Ratoldus Abbas Corbeienſis feria 5. in Cœna Domin. Iſaac Lingon. Et Amalarius Fort. l. 1. de Eccleſ. officiis c. 12.*

Nec porrò chirothecarum vel manicarum Epiſcopalium (quæ in ordine illo Romano veteri, ſolenni adeò ritu benedicuntur, & in conſecratione ordinando traduntur:) antiquitati obeſſe poteſt imago illa perantiqua ſancti Gregorij (vt pote eo viuente efficta) quam Angelus Rocca expreſſam edidit ex lineamentis à Ioanne Diacono ſpeculatore vetuſtiſſimæ eiuſdem picturæ lib. 4. vitæ ipſius ſancti Gregorij c. 84. conſignatis. In qua figura licèt ſanctus Gregorius in ornatu pontificio exhibeatur, chirothecas tamen non habet, ſeu manicas, quibus præcitatus ordo Romanus iubet manus Epiſcopales operiri. Præter id enim quod ambæ manus ſancti Gregorij illo in typo nudæ non apparent: nam læua quæ codicem Euangelij ſuſtentat, eius eſt collobio contecta. Certè ſpectata eſt ratio, cur nuda dextera conſpiciatur, nempe quòd myſticum reuerenter efformat ſignaculum ſanctæ crucis, benedictionem videlicet impertiendo, erecto pollice cum indice ac medio, cæteris verò reflexis, ſeu decuſſatis digitis, ad diuinæ Trinitatis, è cuius inuocatione omnis profluit benedictio, deſignandum arcanum. Accedit quòd pictoris qui hac in tabula ſanctum Gregorium repræſentauit, ſtudium præcipuum fuit, illius effigiem accuratim & ad viuum, vt aiunt, exprimere. Quapropter tam in vultu, quàm manibus & toto corporis habitu, eum curauit quàm exactiſſima imitatione referre, ad conſpi-

cantis

cantis oculum. Itaque res artificis intento successit, vt Ioannes Diaconus, picturæ subnixus illius documento, stylo quoque potuerit genuinè describere, vsque ad formam sancti ipsius Pontificis digitorum, manúsque naturalem proportionem ac habitudinem. fuisse siquidem inde perhibet *manibus pulchris, teretibus, digitis & habilibus ad scribendum.* Cæterùm si pictor manibus sancti Gregorij indidisset chirothecas, eiusmodi tegumento formam illarum obuelasset. Nec ex effigie illa sancti Gregorij, quam perfectam cernentibus exponere pictor ipse contendebat: percipi potuisset à Ioanne Diacono, & aliis huius figuræ spectatoribus, qua forma ipse beatus Pontifex gessisset manus & digitos. Addi potest quòd si ex eo quod eâ figurâ depictus est sanctus Gregorius, nuda manu sine chirotheca, inferre liceat, tum manicarum seu chirothecarum episcopalium nondum inualuisse vsum: inde etiam elicere fas fuerit anulum tunc temporis fuisse Episcopis incognitum: nam neque hoc insigne Pontificium, in aperta manu sancti Gregorij conspicitur; quem longè antiquiorem in lucubratione de ipso anulo Pontificali euidenter ostendimus. Adeóque ipso sæculo quo ad superna migrauit sanctus Gregorius, vsu sacro celebrem, vt in Concilio Toletano (quod Honorio Pontifice consedit) exertè statuatur, deposito per iniuriam, anulum ante altare cum baculo & orario (id est stola) restituendum esse.

Nec est rursum quòd quis obiiciat, contra chirothecarum priscam vsitationem, non negari quidem posse illarum mentionem extare in ordine Romano: sed ordinem illum Romanum, tantæ non esse antiquitatis, quàm diximus. Nobis siquidem Honorium Augustodunensem, quem laudauimus suprà, apertè refragari, dum libro 4. de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus c. 12. asseuerat quendam Bernoldum, qui vixit sub Henrico IV. Imperatore, fuisse auctorem illius conscriptionis. *Bernoldus*, inquit, *Constantiensis Ecclesiæ presbyter, Romanum ordinem, sub quarto Henrico composuit.* Sed hanc obiectionem doctè & scienter diluit, accuratior etsi

recentior, Sacramentarij sancti Gregorij scholiastes, præallegatus Hugo Menardus, in sua super illud præfatione, qui verum non esse vsquequaque respondet, ordinem ipsum Romanum fuisse compositum, ab antè dicto Bernoldo (quem alij Bernaldum, alij Bertholdum vocitant) Presbytero Constantiensi. *Si quidem* (ait) *hic ordo Romanus est antiquior ipso Bernoldo, & Henrico IV. Imperatore. Etenim ordo Romanus citatur in libro Sacramentorum MSS. Ratoldi Abbatis, de quo suprà egimus in feria 5. in Cœna Domini, vbi agitur de pœnitentium reconciliatione, in hæc verba: faciátque sermonem tam populo, quàm pœnitentibus, sicut ordo præcipit Romanus. Hic autem* (Ratoldi) *liber scriptus est, ante annum nongentesimum octuagesimum sextum, nondum nato Bernoldo. Mentionem etiam illius facit Isaac Lingonensis Episcopus Can. 35. qui floruit tempore Caroli Calui Imperatoris, longè ante Bernoldum natum: Et ibi, inquit, ab Episcopo canonicè & ordinabiliter, sicut in Sacramentario & Romano ordine continetur, reconcilientur. Citatur etiam ab Amalario, qui floruit tempore Ludouici Pij Imperatoris lib. 1. de Officiis Ecclesiasticis c. 12. Restat adhuc vnum in ordine Romano, vbi præcipitur, vt à feria 5. vsque in Sabbato Sancto nudentur altaria. Quod extat in ordine Romano, feria 5. in Cœna Domini: à vespera autem huius diei nuda sint altaria vsque in mane Sabbati. Quare non propriè dici potest Bernoldus auctor ordinis Romani, sed tantùm instaurator qui illum recognouit*, &c.

Instabit forsan aliquis. Sed Menardus qui antiquiorem asserit Bernoldo Constantiensi ipsum ordinem Romanum: agnoscit etiam ab illo nonnulla ex parte mutatum, *quibusdam* (ait) *detractis & additis, iuxta vsum, quem in Ecclesia suo tempore videbat.* idque satis credibile esse ex eo colligit, quòd qui iam pridem typis editus est, non in omnibus cum priscis Sacramentorum libris conueniat, imò aliquoties citet ipsum Romanum ordinem, & ab eo recedat. Verùm pace Menardi dixerim, eo vnico quem allegat loco, non citatur nec nominatur expressè ordo Romanus. Sed tantùm de consuetudine fit mentio, quâ apud Romanos die Sabbati

ſancti nihil fieri conſueuerat de veſpertina Synaxi, neque ante Miſſam neque poſt Miſſam. Porrò non mirum ſi ordo Romanus, conſuetudinem aliquam ſpecialem Romanæ Eccleſiæ commemoret, quam conſtaret non vbique ſeruari.

Cæterùm dato quòd Bernoldus aliqua mutauerit in ordine Romano, ſeu vt ait Menardus, quædam detraxerit, quædam addiderit, iuxta vſum quem in Eccleſia ſuo tempore videbat. Hinc tamen non ſequitur, neque elici poteſt, quod ritum tradendi Epiſcopo in ordinatione ſua manicas ſeu chirothecas benedictas, háſque deinceps cùm pontificio fungitur gerendi, fuerit à Bernoldo additus: cùm mos iſte in Eccleſia vſitaretur diu antequam Bernoldus ipſe natus eſſet. Id porrò ex Sacramentorum Codice Ratoldi Abbatis, qui anno 986. exceſſit ab humanis, fit omnino exploratum: ſicut ex excerptis ex eo ſuprà latè patet, vbi ex more Eccleſiaſtico iam receptiſſimo, conſtat Epiſcopum manicas cum præſcripta orationis formula induiſſe: & poſtea cùm conſecraturus eſſet oblata, exuiſſe prout etiamnum fieri ſolet.

Accedit quòd Honorius Auguſtodunenſis, qui eodem ſæculo quo Bernoldus, vixit, ſpeciatim chirothecas inter ſeptem Epiſcopales veſtes annumeret, de iiſque proprio diſſerat ſyntagmate. Porrò ſi nuperus fuiſſet hic ornatus, Honorius non potuiſſet mero ex arbitrio, vel vnius ſynchroni auctoris priuata auctoritate, cæteris ornamentis à tota Eccleſia approbatis & frequentatis adcenſere. At verò de eo adæquè vt de cæteris agit, iamiam vbique in Eccleſia notis & vſitatis.

Et verò, quomodo recens chirothecarum ornatus, tum fuerit cùm Bernoldus ac Honorius florerent? qui eodem tempore à ſummis Pontificibus non modò inter Epiſcopalia inſignia numeratur, ſed & ſpeciali priuilegio Abbatibus communicatur? Nemo etenim negauerit Vrbanum II. ſediſſe regnante Imperatore Henrico quarto. Ipſe verò Vrbanus vſum chirothecarum ſancto Hugoni Abbati Cluniacenſi, cum cæterorum Epiſcopalium ornamentorum fruitione, authentico di-

plomate indulsit Romæ dato per manus Ioannis diaconi S.R.E. ipsius Papæ prosignatoris Kal. Nouembris Indict. XI. anno Dominicæ Incarnationis M. LXXXVIII. eiusdem Pontificatus primo. sic enim ibi legitur. *Tibi planè peculiari deuotione concedimus, vt in processionum Missarúmque solennibus mitra vtaris Episcopali, in præcipuis verò festiuitatibus, id est in quinque, quas præcipuas habetis, & in Theophania, & in Ascensione, necnon in dedicatione vestræ Ecclesiæ; dalmaticam*, CHIROTHECAS *& sandalia induaris. Et hoc ad tuæ religionis euidentiam, atque ostensionem nostræ peculiaris dilectionis, quam ex Sede Apostolica, magis meritis exigentibus promereris.* Idem Pontifex alio munifico diplomate concesso Placentiæ XVII. Kal. Aprilis Indict. III. anno Dominicæ Incarnationis M. XCV. sui Pontificatus VIII. confirmat ampliátque prædictum priuilegium, idque etiam ad Hugonis successores perpeti gratificatione extendit. *Dalmaticæ*, inquit, *compagorum* (id est sandaliorum) *chirothecarum, & mitræ vsum in festiuitatibus octo præcipuis, sicut tibi concessus est, ita tuis quoque successoribus pro tuæ religionis ampliori dilectione concedimus.* Qua in re tamen se vestigia secutum antè insinuat Gregorij septimi, qui in Synodo Romana, Apostolica auctoritate, primus Cluniacensis monasterij iura ac decora adauxerat: exemptionémque impertierat ab Archiepiscoporum & Episcoporum iurisdictione. Quam immunitatem & cæteras prærogatiuas, Vrbanus præmemoratus rursum promulgauerat in Placentino Concilio, sicut ipse posteriori quod notauimus edicto disertim memoratur. Porrò decessorum suorum Gregorij & Vrbani rata habuit rescripta hæc munifica Paschalis, qui proximè Vrbano successit, Pontificiis codicillis Romæ apud Lateranum exaratis, anno Domini MC. Pontificatus sui secundo.

His igitur prælibatis de chirothecarum in Ecclesia Occidentali vsu: (nam in Græca ornatum hunc non reperimus à Præsulibus vsurpatum) Iam inuestigatum ire est, mysticos moralésque significatus, propter quos Ecclesia, quæ nihil nisi sapienter agit, illarum gestatio-

nem ſuis Epiſcopis & Pontificibus ſolennem eſſe voluerit. Vtque res meliori ordine procedat, Myſticos quæſo auctores, per ſeriem audire non grauemur, qui hoc de inſigni Pontificio tam theoricè quàm practicè diſſertarunt.

I. Honorius Auguſtodunenſis iam ſæpe laudatus, de antiquo Miſſæ ritu lib. 1. c. 215. inſcripto de chirothecis. *Chirothecarum*, inquit, *vſus ab Apoſtolis* * *eſt traditus. per manus, operationes; per chirothecas deſignantur earum occultationes. Sicut enim aliquando manus chirothecis velantur, aliquando exactis chirothecis denudantur. Sic opera bona interdum propter arrogantiam declinandam celantur, interdum propter ædificationem proximis manifeſtantur. Chirothecæ induuntur cùm hoc impletur: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt. Chirothecæ ſunt inconſutiles, quia actiones Pontificis, debent rectæ fidei eſſe concordes.*

* Nec enim legendum vt editus typis liber hîc habet, *ab Epiſtolis*, vt ſuprà monuimus.

II. Innocentius III. lib. 1. Myſteriorum Miſſæ c. 57. *Quia verò plerique* (ait) *bonum opus quod faciunt inani fauore corrumpunt, ſtatim* (ac induit dalmaticam) *manus operit chirothecis, vt neſciat ſeneſtra ſua, quid faciat dextera. Per chirothecam ergo, congruè cautela deſignatur, quæ ſic facit opus in publico, quod intentionem continet in occulto. Nam etſi Dominus dixerit, Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt, propter quod chirotheca circulum aureum deſuper habet: ipſe tamen præcepit, Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

III. Guillelmus Durandus, aliàs Durantes, diſcipulus præcipuus Henrici de Segufio Cardinalis Oſtienſis: ipſéque ſubinde Carnotenſis Decanus, & demùm Mimatenſis Epiſcopus in Aquitania prima: lib. 3. Rationalis diuinorum officiorum, c. 12. vbi ſyllabatim quidem Innocentij ſuprà expreſſa dicta exſcripſit, mox quæ ſequuntur ex proprio ſubiungit ingenio. *Per chirothecas quoque in manibus exempla Sanctorum, quæ in operibus*

habenda ſunt intelliguntur: quæ opera ab omni inquinamento mundata ſunt, ne modicum fermenti totam maſſam corrumpat. Per ipſas verò chirothecas albas, caſtitas & munditia denotatur, vt manus, id eſt operationes, ſint mundæ & ab omni inquinamento immunes. Porro ſecundum quod capiti ſcilicet Chriſto conueniunt chirothecæ, ſunt hœdorum pelliculæ quas manibus Iacob, Rebecca mater, id eſt, Spiritus ſancti gratia: manibus veri Iacob, id eſt operibus Chriſti circumdedit, vt ſimilitudinem maioris, & prioris Adæ ſecundus exprimeret. Chriſtus enim ſimilitudinem peccati ſine peccato ſuſcepit, vt incarnationis myſterium diabolo celaretur. Nam ad ſimilitudinem peccatorum eſuriit & ſitiuit, doluit & expauit, dormiuit & laborauit. Vnde cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, ac poſtea eſuriiſſet, accedens ad eum diabolus, eum ad ſimilitudinem peccati Adæ tentare tentauit. Sed qui primum vicerat, eiſdem modis victus eſt à ſecundo. Hactenus Durandus admodum ſpeculatiuè.

Verùm cur chirothecis ornari voluerit Eccleſia Epiſcopi manus, nemo meliùs ipſâ nouit, nec ideò meliùs quàm ex eius ſcitis & intentis poſſumus ritus huius rationem cognoſcere. Intentio eius, ipſius ex verbis conſtat, quibus docet in veteri ordine Romano, cùm his tegumentis Epiſcopi aſſiſtentes, ordinati manus operiunt, ab iis coniunctis votis cum verbis, tum ſic eſſe orandum. *Immenſam clementiam tuam rogamus omnipotens & piiſsime Deus, vt manus iſtius famuli tui N. ſcilicet fratris noſtri, ſicut exteriùs obducuntur manicis iſtis, ſic interiùs aſpergantur rore tuæ benedictionis, vt quæcunque ſint benedicenda vel conſecranda, per hæc benedicantur & conſecrentur. Qui viuis,* &c. In nouo ordine Romano ſeu Pontificali, hæc precatiuncula cùm recipit benedictas chirothecas recens ordinatus Epiſcopus à conſecratore, non profertur: ſed duæ aliæ aſſignantur, hoc qui ſequitur tenore. Surgit conſecrator mitra depoſita, & chirothecas benedicit dicens. *Oremus. Omnipotens creator, qui homini ad imaginem tuam condito manus diſcretionis inſignitas, tanquam organum intelligentiæ, ad rectè operandum dediſti, quas ſer-*

uari mundas præcepisti, vt in eis anima dignè portaretur, & tua in eis dignè consecrarentur mysteria: bene† dicere & sancti† ficare digneris manuum hæc tegumenta: vt quicumque ministrorum tuorum sacrorum Pontificum, his velare manus suas cum humilitate voluerit; tam cordis quàm operis ei munditiam tua misericordia subministret. Per Dominum. Et aspergit eas aqua benedicta. Tunc extrahitur consecrato anulus Pontificalis: deinde sedet consecrator, & accepta mitra, adiuuantibus assistentibus Episcopis, imponit illas manibus consecrati, dicens: *Circunda Domine manus huius ministri tui munditia noui hominis, qui de cælo descendit: vt quemadmodum Iacob dilectus tuus, pelliculis hædorum opertis manibus, paternam benedictionem oblato Patri cibo potúque gratissimo impetrauit: sic & iste oblata per manus suas hostia salutari, gratia tua benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati, tibi pro nobis obtulit semetipsum. Amen.* Et statim ei imponit anulum Pontificalem.

Sumpta est verò hæc oratio, ex sancti Augustini de Iacob obtecto pellibus (cùm se pro Esau supposuit) insigni hac & memorabili doctrina. *Hædinis certè pellibus Iacob membra contexit. Si causam proximam requiramus, mentitum putabimus: hoc enim fecit, vt putaretur esse qui non erat: si autem hoc factum, ad illud propter quod significandum, reverà factum est, referatur: per hædinas pelles peccata, per eum verò qui eis se operuit ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portauit.* *Lib. cont. Mendac. c. 10. tom. 4.*

Petrus Blesensis ad alia ex his signis documenta, mentis aciem intendisse visus est. Qui scilicet in Episcopali Canone, seu tractatu de institutione Episcopi ad Ioannem Episcopum Wigorniensem; primò inde suggerit manibus puris Deo debere Episcopum famulari: illum porrò mundas non habere manus, cuius intentio peruersa est, contra cordis & manus immunditias Christum in supremo suo iudicio liuores & cicatrices suas, in accusationem prolaturum. 2. admonet Antistitem, vt se immunem ab auaritia & munerum corruptelis custodiat. *Cupiditas* (inquit) *dum quæ sua sunt quæ-*

rit, iudicia Dei tremenda contemnit. Tu verò manus tuas excute ab omni munere, & quod gratis accepisti da gratis. Non sis de numero illorum, qui sequuntur retributiones, nec vendas conscientiæ tuæ libertatem. Nemo possit tibi dicere: ditauimus Abraham, sed cum Samuele fideliter dicas, loquimini coram Domino & Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut equum: si quem calumniatus sum, si oppreßi aliquem, si de manu cuiuspiam munus acceperim, & contemnam illud hodie. 3. quia manus, operationum sunt organa: ex iis computandum Episcopo, quot progressus in virtutum opera fecerit, ab ingressu suo. *Reuolue*, inquit, *in animo tuo, quantum ex honoris assumptione profeceris, & ex quotidiana collatione spirituales virtutum metiri profectus. Vtrum sis insolentior aut humilior, affabilior vel austerior, mansuetior aut grauior, liberalior aut auarior. Ex quadam enim obligatione, quæ tuo est annexa officio* (vt manui hæret chirotheca) *exigitur à te spiritualium frugum mensura propensior* *: *vt sis deuotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior, parcior in sobrietate, patientior in duris, in risu rarior, suauior in conuersatione, grauior in vultu & gestu & habitu, moderatior in verbis, profusior in lachrimis, in charitate feruentior. Redde conscientiæ tuæ, de quotidianis actibus rationem*, &c. *Tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium seruum, nec tibi sed cunctis genitum te viuere credas; datum indoctis doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, & omnibus debitorum.* Manuum verò officium est debita soluere. Apostolus autem se sciebat omnibus esse debitorem. Eadem obligatio Episcopum manet. Quotidie igitur se nouerit Euangelico hoc monitu interpellari; *Redde quod debes.* tibi non modò & hominibus, sed potissimum Deo, in cuius conspectu vacuis manibus, maximè prohibetur sacerdos apparere. Exod. 23. 14. quæ fortè ratio est, cur postquam à consecratore, & coepiscopis assistentibus, in præsulis recens ordinati manus consecrator Antistes chirothecas indidit: dictâ oratione, statim imponit ei anulum Pontificalem, cùm vt coram Deo manus attollere discat puris

Genes. 14.

* rectiùs, profusior.

puris (vt aurum eſt) & ſplendidis (vt gemmæ ſunt) inſtructas muneribus: ornatas porrò præſertim virtutibus, quibus & Deo placeat, & ſponſæ quam duxit, Eccleſiæ nimirum ſibi commiſſæ, decorus appareat; exemplorum, quæ populo præſtare debet, coruſcans ſpecioſo ſplendore: vt huic efficiatur ſponſo conſimilis de quo in Canticis ait ſponſa: *manus eius tornatiles plenæ hyacintis c. 5.*

Sed hîc quæſtio non ſuperuacanea moueri poſſe videtur, cur chirotheca etiam Preſbyteris non imponuntur? Manifeſtum eſt enim, vt docent Patres, in Epiſcopo preſbyterum contineri. Eandem etenim formam habet. Vnde ab Apoſtolo nulla ei alia quàm Epiſcopo norma præſcribitur. Accedit quòd non ſolùm Epiſcopo, ſed & preſbytero inungantur manus in ſua conſecratione: adeóque cum eadem ferè deprecationis & benedictionis formula. Ita enim orat conſecrator Antiſtes in vnctione Epiſcopi. *Deus*, &c. *te chriſmate & myſticæ delibutionis liquore perfundat & ſpiritualis bene † dictionis vbertate fœcundet. Quicquid benedixeris benedicatur, & quicquid ſanctificaueris ſanctificetur*, &c. Porro in preſbyteri vnctione ita dicit, *Conſecrare & ſanctificare digneris Domine manus iſtas, per iſtam vnctionem & noſtram bene † dictionem*. Reſp. Amen. Producitque Pontifex manu dextra ſignum crucis, ſuper manus illius quem ordinat & proſequitur, *vt quæcunque benedixerint benedicantur, & quæcunque conſecrauerint conſecrentur. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen.* Si igitur chirothecæ dantur Epiſcopo, ob reuerentiam vnctionis, quam in manibus ſuſcepit: cur non etiam preſbytero, qui eadem penè forma orationis & benedictionis, in manibus quoque inunctus eſt? Quòd enim chirothecæ dentur Epiſcopo ob vnctionis ſacræ (qua ſunt eius delibutæ manus) reuerentiam, ex eo facilè colligi poteſt, quòd in Romano Pontificali, titulo *de Degradatione ab ordine Pontificali*, ablato paſtorali baculo, ei qui tanto culmine honoris deiicitur: mox ſequitur. *Deinde extractis per miniſtros chirothecis Pontifex degradator abradit degradando pollices, & ma-*

nus leuiter cum cultello aut vitro, dicens. Sic ſpiritualis benedictionis & delibutionis myſticæ gratiâ, quantum in nobis eſt, te priuamus vt ſanctificandi & benedicendi perdas officium & effectum. Igitur chirothecæ, tum auferuntur, cùm vnctionis tollitur efficacia: ſicut cùm infunditur vnctio, ipſæ chirothecæ imponuntur. Notaſſe verò non abs re fuerit, quòd ſicut Pontifex eadem ferè precis formula vtitur vnctionis, in preſbyterali ac Epiſcopali ordinatione, ſic penè eadem in degradatione. Siquidem Pontifex degradator abraſis leuiter cum cultello vel vitro vtroque pollice & indice dexteræ ac ſiniſtræ manus preſbyteri degradandi, ſic eum affatur. *Poteſtatem ſacrificandi, conſecrandi & benedicendi, quam in vnctione manuum & pollicum recepiſti, tibi tollimus hac raſura.* Ex quibus ritibus elici poſſe videtur, preſbyterum Epiſcopo ferè in vnctione æquiparari; in priuatione, pari penè modo abdicari. Vnde obiectio præſuppoſita magis confirmatur. Si enim Epiſcopis propter vnctionem chirothecæ dantur, cur non etiam preſbytero, qui vnctionis quoque ſacræ cum Epiſcopo eſt particeps? Nec ſatisfacturus adæquatè videbitur, ſi quis reſpondeat, maiorem eſſe poteſtatem, proinde & dignitatem Epiſcopi, quàm preſbyteri, vtpote qui plura Sacramenta conficiat & miniſtret, iuriſdictionémque cum ordine habeat; cùm preſbyter ſolo ordine potiatur, vi ſuæ promotionis. Inſuper quòd chriſmate Epiſcopus vngatur in manibus: Preſbyter ſolo oleo catechumenorum. Præterea duplici inunctione Epiſcopus conſecretur, nempè non ſolùm in manibus, at etiam in capite. Hæc enim omnia etſi vera ſint, nodum tamen difficultatis non diſſoluunt. Siquidem ſtante principio ineluctabili, quod communi Patrum ſuffragio & Doctorum omnium conſenſu nititur: ſcilicet quòd poteſtas ſuprema ordinis, in corporis & ſanguinis Chriſti conſecratione conſiſtat: vnde etiam fatetur Bellarminus, quòd ſi duo ſupponantur eſſe diſtincti characteres, preſbyteratus, & Epiſcopatus: hique abſtractiuè ab inuicem (ſi poſſet quod fieri nequit, Epiſcopatus à preſbyteratu diſiungi) conſiderentur: tunc

fatendum esse characterem presbyteratus, qui formaliter, & ex se continet potestatem consecrandi Eucharistiam, nobiliorem esse & digniorem Episcopali charactere solo. *Respondeo*, inquit*, *characterem Episcopalem integrum & perfectum esse maiorem presbyterali, quia illum includit, & vnum præterea alium, vt diximus. Et hoc modo comparamus Episcopos cum presbyteris, cùm dicimus alios esse superiores, alios inferiores: si tamen quis conferat characterem quem habet Episcopus, ex vltima sua ordinatione, cum charactere quem habet ex ordinatione presbyterali, tunc ille est maior intensiuè quia summa potestas est consecrare Eucharistiam. Ille est maior extensiuè, quia ad plura se extendit.* Cæterùm in recognitione huius responsionis ** nonnulla annectit notabilia, quibus presbyteratus dignitatem consideratiùs attendit. *In eodem cap.* (scilicet 5. de Sacramento Ordinis) *vbi dixi solos Episcopos posse confirmare & ordinare, & si ista inferiores attentent nihil prorsus efficere: intellexi per ordinariam potestatem. non enim eo loco negare volui, quod alibi affirmaueram, posse presbyterum ex dispensatione Apostolica confirmare. In eodem capite vbi dixi Episcopatum & presbyteratum esse vnum ordinem, sed genere, non specie: & paulo infrà, presbyteros & Episcopos esse duas species Sacerdotum; rectiùs dixissem, esse vnum ordinem, sed gradus diuersos. Nam tam Episcopus quàm presbyter, Sacerdos & dicitur & est, sed ille maior, iste minor*, &c. Hæc Bellarminus, qui sic euidenter vnum ordinem esse non genere tantùm, sed specie presbyteratum ac Episcopatum agnoscit. At verò ex hac doctrina, cùm perspectum ac indubium fiat; presbytero in ordinatione sua collatam fuisse supremam omnium potestatem, quæ in consecratione Eucharistiæ sita est: ob cuius potestatis præcipuæ excellentissimum mysterium, manus eius quæ diuinæ potentiæ in hoc actu, organa sunt, sacra vnctione delibuntur. Eapropter cùm in hac parte Episcopo non sit inferior, pari quoque iure decere (quis dixerit) illum insigniri indicio supremæ huius potestatis: ideóque ob diuini muneris reuerentiam, & cultum sacrosanctæ qua designatur vnctio-

* *Lib. 1. de Sacram. ord. c. 5. in fine.*

** *Ad calcem opusculorum quæ in fine sunt tom. 2. p. 518. D.*

nis, congruere, vt eius (ſicut Epiſcopi, cuius diuino in officio ſacrificij conſors eſt) manus benedicto integumento obuelentur. Addi poſſet, nec interponendo diſcrimini, quo nudîs manibûs preſbytero miniſtrante, ſuas ſolus Epiſcopus ornatas habere cernitur chirothecis: ſat eſſe poſſe ſuperadditam Antiſtiti in ſua promotione iuriſdictionem, quæ preſbytero non confertur, cum eo quem recipit charactere. Siquidem iuriſdictionem non recipit Epiſcopus in conſecratione ſua: ſed cùm canonicè poſt electionem prouidetur atque confirmatur. Præterea ſine iuriſdictione poſſet, de ſummi Pontificis mandato, etiam ſolo verbo expreſſo, ordinari Epiſcopus, nulla ei aſſignata diœceſi: tum enim reciperet duntaxat ordinem, ſed nullam haberet iuriſdictionem. Inſuper ex ritu ordinationis tam Epiſcopalis quàm preſbyteralis manifeſtè conſtare, vnctionem non alio intuitu manibus conſecrãdorum infundi, quàm diuinæ obtutu poteſtatis, traditæ iiſdem initiatis, per ſuam prouectionem ad presbyteralem vel Pontificium ordinem: proinde indicium eſſe ſuſcepti ſacri characteris, non traditæ iuriſdictionis. Cæterùm quod de differentia ipſius vnctionis ſuprà meminimus, non multùm iuuare ductam ex eâ reſponſionem. Siquidem etſi chriſmate manus Epiſcopi conſecrentur, presbyteri verò oleo Catechumenorum: ex præmiſſis tamen perſpicuum fit, vnum Sacerdotium vtraque conſecratione conferri, cuius etſi diuerſi gradus ſint, ſpecies tamen, vt Cardinalis Bellarminus confitetur, eſt eadem.

Sed etſi quæ ſuperiùs exponuntur vix conciliari poſſe videantur, ad ſuauis tamen harmoniæ concentum haud ita difficilè poſſunt reuocari. Vera eſt, & digna cedrinis profectò tabulis ac aureis characteribus, ſancti Hieronymi doctrina de neceſſaria, non minùs quàm legitima præeminentia Epiſcopi: *Eccleſiæ ſalus* (ait in dialogo contra Luciferianos) *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata quot ſacerdotes.* Porrò ſupereminentis huius poteſtatis (quæ non ex Eccleſiæ lege, vel vſu manauit: ſed ex

institutione diuina profecta est, ipsóque sacro ordine nititur, cuius apicem solus ipso suæ consecrationis iure, quisque Episcopus obtinet) necesse omninò fuit, aperta indicia oculis hominum exponere, tantóque sacri honoris fastigio propria tribuere insignia. Nam vt officio diuini muneris, inferioribus sacerdotibus longè præcellit, solus siquidem chrisma conficit, solus per se confirmat, solus ordinat: solus itidem ex natiuo iure sacrosanctæ dignitatis regit, iudicat, principatur: ita solus in Ecclesia thronum habet (Carthag. II. Concil. c. 8. & 9. Chrysostomus lib. de Sacerdotio, Ambrosius de dignitate Sacerd. Gregorius Nazianzenus ad Principem irascentem, &c.) insignibúsque sacri pollet imperij. Mitra (quia sacerdotij est apex) vt corona redimitur. Virga vtitur pastorali, pro sceptro. Anulo præfulget, vt vnicus sponsus creditæ sibi Ecclesiæ. Tunica, dalmatica, pluuiali, vt chlamyde regia, ac gloriæ vestimentis indutus est. Vt Pontifex mysticum rationale, encolpium scilicet, super pectus gestat. Fulgidis pedibus sandaliorum ornatu, Dei vt Angelus, *qui pedes ferebat similes aurichalco*, procedit. Rutilis serico & auro chirothecis manus extollit ornatas, illius vice, *qui stellas sua in manu portat coruscantes*. Dei enim dispensator est: eius siquidem munerum ac mysteriorum reseratio ac distributio, illi diuino competit iure, ac honore collatæ sibi cœlitus potestatis; & eius quidem potestatis, quam scitè & meritò sanctus Hieronymus proximè citato loco appellat, *exsortem & ab hominibus eminentem*.

Apoc. 1. 15. 2. 18.

Apoc. 1. 16.

Hanc si omnes presbyteri sibi vendicarent, tot schismata efficerentur in Ecclesiis quot Sacerdotes: támque exitiali diuisione, populi Christiani salus, admodum periclitaretur. At præuertit diuina prouidentia tanto discrimini, in vnaquaque Ecclesia proprium Angelum, hoc est Episcopum constituens cui vices suas suo sub supremo Vicario concessit: nec enim honore modò Episcopum prætulit cæteris Sacerdotibus, at etiam ordinis potestate, & officij dignitate. Quam vt spectabilem Ecclesia vnicuique redderet, propria insignia sacri

Apoc. 1. 2. 3.

primatus, imò principatus ipsi Episcopo assignauit, quæ cæteri Sacerdotes sibi neutiquam arrogarent.

In his verò chirothecæ numerantur. quas si quis velit applicari Episcopis, ob vnctionis solam reuerentiam: hoc etiam decus meritò sibi Episcopalis prærogatiua vindicabit, non solùm propter differentiam sacri liquoris (quandoquidem solus chrismate vngitur;) sed etiam propter ipsius sacræ delibutionis significationem. Tametsi enim æquè presbyter ac Episcopus, diuina prorsus potestate, in tremendis mysteriis corpus Christi conficiat: hoc tamen ius ab Episcopo presbyter recipit, qui solus ipse non modò vnctus est oleo lætitiæ præ participibus suis, at etiam consortes suos inungit, pluráque alia sacris manibus operatur, quàm præstare possit iure suo simplex Sacerdos.

Ne tamen neglecta videretur gratia, quam ipse Sacerdos per manuum presbyterij impositionem suscepit: prospexit piè ac prudenter Ecclesia, vt ei quoque honos haberetur debitus vnctioni, qua manus eius organum omnipotentiæ Dei effectæ sunt. Mox enim ac in ordinatione presbyteri manus ab Episcopo inunctæ sunt, sic Pontificale iubet. *Tum Episcopus claudit seu iungit manus cuiuslibet successiuè: quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram alligat: & mox vnusquisque ad ordinem suum redit, & sic clausas & alligatas manus tenet. Omnium manibus vnctis & consecratis, Pontifex pollicem mica panis tergit. Tum tradit cuilibet successiuè calicem, cum vino & aqua, & patenam superpositam cum hostia, & ipsi illam accipiunt inter indices & medios digitos, & cuppam calicis & patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente, Accipe potestatem offerre sacrificium Deo.* Et infrà: *Dum offertorium cantatur, vel etiam priùs, ordinati Sacerdotes poterunt lauare manus suas cum medula panis, & aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis quibus ligata erant, & aqua ablutionis eiusmodi proiiciatur in sacrarium.* Vbi videre est, ob reuerentiam vnctionis, manus presbyterorum mundo velamine operiri: deinde aquam ipsam,

qua lotæ ſunt, in ſacrarium effundi, vt hoc contactu abvſu quocumque prophano ſemotam. Præterea etiamſi celebranti Sacerdoti chirothecæ non imponantur: tamen manus eius, quibus diuinum hoc myſterium operatur Spiritus ſanctus, ipſo in ſacrificio, ſpeciali veneratione, etiam à ſacris miniſtris honorari, præcipit in myſticæ praxis formulis ſancta mater Eccleſia. Sic enim ſignatim habet Miſſale Romanum in ritu celebrandi Miſſam c. 6. *In Miſſa ſolenni, Subdiaconus circa finem vltimæ orationis accipit ambabus manibus librum epiſtolarum.* Et infrà: *Epiſtolâ cantatâ, Subdiaconus facta interim genuflexione altari medio, redit ad celebrantem, & genuflectens oſculatur eius manum, & ab eo benedicitur,* &c. *Et deinde lecto Euangelio per celebrantem,*&c. *delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad altare, imponit incenſum in thuribulum. Poſtea Diaconus genuflexus ante altare dicit, Munda cor meum,* &c. *Et accipiens librum Euangeliorum, de altari petit benedictionem à celebrante ſimiliter genuflexus, in ſuperiori gradu altaris, & oſculata illius manu,* &c. Et pòſt, vbi de Offertorio,&c. *Diaconus calicem detegit & dat patenam cum hoſtia celebranti, oſculando eius manum.* Et infrà. *Subdiaconus circa finem orationis Dominicæ facta iterum genuflexione reuertitur ad altare, & ſtans in cornu epiſtolæ, porrigit patenam Diacono, qui eam diſcooperit & purificatorio abſtergens, dat celebranti, illius manum oſculando,* &c. At quis quæſo non videat ſanctam Eccleſiam, per tot infixa oſcula manui Sacerdotis, in tremenda ipſa actione ſacroſanctam eius honorare vnctionem, & poteſtatem diuinam, cuius organum eſt animatum, omni cum reuerentia venerari. Manum ſiquidem Sacerdotis, quaſi Chriſti ſanctificantis manum, eo in myſterio ſuſpicit. Vnde ſanctus Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum. *Non ſunt humanæ virtutis opera, hæc quæ proponuntur: qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit,* &c. *Cùm Sacerdotem ideo videris offerentem, ne vt Sacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam.* Hinc natus mos oſculandi manum Sacerdotis, quo imbutus ſanctus

Franciſcus dictitare ſolebat, ſi quandoque obuium haberet eadem via Sacerdotem ac Angelum : priuſquam Angelo reuerentiam iret delatum, proſtraturum ſe ad pedes Sacerdotis, illiúſque ſacras manus, omni cum deuotæ venerationis, affectu deoſculaturum: túmque pia Angelo impenſurum reuerentiæ officia. Porrò nec ſe vereri, ordinem hunc religioſæ ſuæ obſeruantiæ, Angelo ingratum iri: cùm cœleſtis ipſe nuntius Sacerdoti ſolitus ſit miniſtrare celebranti, quem obire Chriſti vicem, probè ſciret diuina in actione, ſingulari ſui officij prærogatiua; quâ volente Deo, Angelos poteſtate, Sacerdos ipſe exſuperat.

Diſquirit Gueuarra in quadam aurearum epiſtolarum, vnde prodierit vulgare illud dictum, *baiſe les mains.* póſtque multam diſquiſitionem demùm concludit, ex celebri Chriſtianorum more, deoſculandi Sacerdotum manus, originem duxiſſe. Impropriam igitur eſſe locutionem magíſque abuſiuam, ſi ipſa manuum deoſculatio, aliis quàm Sacerdotibus (quorum manus ſacratæ ſunt*) à quoquam Chriſtiano tribuatur.

* Huc non ineptè retuleris illud S. Ambroſij, *oris oſculum, eſt pietatis pignus.* lib. 6. Hexam. c. 9. Nam & oſculari & adorare, plerumq; promiſcua ſunt. Etenim apud Latinos adorare, eſt ad os admouere, premeréque oſculis ex amore & reuerentia. Plinius hinc lib.28.c.2. *Inter adorandum* (ait) *dexteram ad oſculum referimus.* Vide & Minutium in Octauio. Apud Hebræos idem vſus fuit. Conſulendi ſacri Interpretes ad illud Iob. c. 31.27. *Si oſculatus ſum manum meam, ore meo,* &c.

Porrò vt de manuum Sacerdotalium ornatu, aliquid etiam non indignum memoratu ſubiiciam : teſtis eſt Petrus Bleſenſis ætate ſua ritum hunc in Romana Eccleſia viguiſſe, vt Sacerdos ordinandus à Papa, vtraque manu cereum ardentem præferret. *Inde eſt* (inquit ſerm. 40. in Synodo) *quod Dominus Papa quando aliquem ordinat Sacerdotem: qui ordinatur vtraque manu cereum ardentem offert ſuo ordinatori : præfigurans (per hæc duo lumina) quod curam ſui & ſuorum ſummo Paſtori præſentabit.* Et paulo infrà. *Nec ſine cauſa dictum reor, lucernæ ardentes ſint in manibus veſtris. Subditis ſufficit lucerna in manu ; quia pro ſe tantùm reddituri ſunt rationem Iudici cuncta cernenti. Prælatis (quo nomine etiam rectores Epiſcopo inferiores in iure paſsim deſignantur) non ſufficit, niſi in vtraque manu ferant.* Nunc verò mos ille ſeruatur non Romæ tantùm, ſed vbique, vt Sacerdos ordinanti ſe Antiſtiti candelam accenſam offerat : qua ſcilicet ordinandus ipſe officij quod ſuſcipit moneatur. Nempè quo obſtringitur lucis

exempla

exempla Christiano populo exhibere. Séque (vt discipulum suum Titum admonet Apostolus cap. 2.) *in omnibus præbere exemplum bonorum operum.* vt Domini scilicet præceptum impleat. *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est*:* ex iisque esse possit, quos præfatus Apostolus paterno instruebat affectu. *Sitis*, inquit **, *sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione, in medio nationis praua & peruersæ; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Cuius lumen proprio ex officio Sacerdotibus incumbit, vbicumque procedunt circumferre; Dei pro viribus promouendo gloriam, & suam curando populíque salutem. Genuinus certè hic est Sacerdotalium manuum ornatus, longè scilicet pretiosis queisque chirothecis pulchrior atque splendidior: quem graphicè sanctus Hieronymus describens, suo à Nepotiano exigebat. *Vis scire quales Dominus quærat ornatus? Habeto prudentiam, iustitiam, temperantiam, fortitudinem. His plagis includere. hac te quadriga, velut aurigam Christi ad metam concita ferat. Nihil hoc monili pretiosius. Nihil hac gemmarum varietate distinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris atque protegeris, & ornamento tibi sunt & tutamini, gemmæ vertuntur in scuta.*

* *Matth.* 9.15.

** *Philip.* 2.15.

De vita Clericorum ep. 2.

An quæ manicæ, quæ, qualésque chirothecæ deceant Sacerdotem.

Lutetiæ Parisiorum * pridem chirothecas etiam ad Sacerdotis ornatum pertinuisse, persuadet mos ille iam olim longo vsu receptus, vt defuncti Sacerdotis corpus aperta facie, ad sepulturam efferretur, insignitum Sacerdotali Panoplia, inditis manibus chirothecis candidis, cum sandaliis insertis pedibus, eodem colore. Interfui ego ipsemet qui hæc scribo, inter vrbicos parœcos exequiis bonæ memoriæ Ioannis Roger, Rectoris Sanctorum Innocentium, cuius funus solenni, & antiquo ritu celebratum est. In quo corpus eius videre erat Diaconorum humeris elatum, Sacerdotali apparatu decoratum, discooperta quoque facie, in manibus calicem ferens, quibus insitæ erant chirothecæ, &

* Nobilis hæc ciuitas Galliarum, sedes regia, Sãcto Bernardo l. 3. de Conf. c. 2.

pedibus ſandalia albi coloris, quo ornatu velo demum ſuper faciem impoſito, defunctus ipſe in ſuæ Eccleſiæ presbyterio, ante altare, in multa Cleri ac populi affluentia ſepultus fuit.

Sed dato quòd Sacerdotes, præſertim parœci, olim in veſtitu ſacro vſi fuerint chirothecis: differentia tamen ſemper inter illas ac Epiſcopales conſpicua interceſſit. Nam presbyterales ex corio erant, Epiſcopales ex ſerico, *aureum circulum* (teſte Innocentio III.) *deſuper habentes*. Sacerdotales erant conſutæ, Pontificiæ textiles ac inconſutiles, ad vnitatis Eccleſiæ quæ in Epiſcopo reſidet myſticum indicium. Honorius Auguſtodunenſis Gemmæ animæ (ſeu de antiquo Miſſæ ritu) lib. 1. c. 215. attamen refert hanc Epiſcopalium chirothecarum formam, fidei integritati, cuius Epiſcopus exemplar eſſe debet. *Chirothecæ*, inquit, *ſunt inconſutiles, quia actiones Pontificis debent rectæ fidei eſſe concordes.*

Porrò quòd chirotheca ſit fidei non modò ſignum, ſed & pignus, ex Gallicæ hiſtoriæ liquet memorabili monimento. In funeſta ſiquidem illa pugna Pictauienſi, qua infauſto luctuoſóque prorſus caſu, ab exiguis Eduardi Principis Walliæ copiis, Francorum potentiſſimus profligatus eſt exercitus: Rex Ioannes qui eo in prælio tantam præſtitit virtutem, vt maiorem nullus miles aut Imperator poſſet, in manus hoſtium demum tamen incidit; vbi cùm in aperto vitæ diſcrimine ſe videret, extrema neceſſitate coactus, Dionyſio de Merbeque equiti Attrebatenſi (qui ob patratum homicidium Audomaropoli, non ita diu in partes Angliæ transfugerat) ſe dedidit. *Chirothecâ dextræ ſuæ manus illi traditâ* (inquit Gillius) *orauit eum, vt quoniam ex ſua parte cerneret omnia ſus déque verſa, ſe ad cognatum ſuum Vvalliæ Principem tutò deduceret, fidei ſuæ ſcilicet hoc pignore ſubnixus.* Traditas enim res dudum ſolitas, per chirothecam, vti per anulum, per iuncum, &c. aliáque datæ fideï ſymbola, eruditiſſimus Bignonius in ſuis ad Marculphi formulas, ſelectis obſeruationibus inſinuat.

Fidei cuſtodem, myſteriorum Dei diſpenſatorem, futurorum bonorum ſponſorem, & domus Dei œconomum ac rectorem, atque cœlorum regni in terra theſaurarium eſſe Epiſcopum, tam ſacræ Scripturæ docent, quàm Canones ſacri teſtantur. Quamobrem in eius conſecratione, per oraculum Pontificis ordinantis, ita Eccleſia pro eo ſollicita, enixè diuinam maieſtatem ſolet (vt ex ritu ipſo conſecrationis elicere eſt) profuſis maternis affectibus deprecari. *Abundet in eo Domine conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis*, &c. *ad euangelizandum bona tua. Da ei Domine miniſterium reconciliationis in verbo & in factis*, &c. *Sit ſermo eius, & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Da ei Domine claues regni cœlorum, vt vtatur, non glorietur poteſtate, quam tribuis in ædificationem, & non in deſtructionem*, &c. *Sit fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituas Domine ſuper familiam tuam.* Antea conſecrator orauerat: *Spiritus tui virtus, & interiora eius repleat, & exteriora circumtegat.* Sed hactenus ſatis ſupérque de manuum Epiſcopi myſtico illo amictu.

FINIS.

PANOPLIAE EPISCOPALIS LIBER VI.

De Dalmatica & Tunicella Episcopali.

CAPVT PRIMVM.

*Quòd sacris vestibus, non modò in diuinis mysteriis, sed etiam in Synodis, Episcopi ac cæteri viri Ecclesiastici *, hactenus vsi fuerint.*

* signatim verò tunica ac dalmatica.

VESTIBVS sacris indutos, sacris non modò mysteriis solitos operari, sed & Synodis interesse iam olim Antistites, pleraque docent Ecclesiasticæ antiquitatis monimenta. Ex quibus aliquot exempli causâ, ex vtriusque Ecclesiæ * desumpta praxi, hîc referre non abs re futurum, sane mihi visum est. Etenim imprimis sanctum Cyrillum vices gerentem Celestini Papæ, præfuisse Oecumenico contra Nestorium Concilio, phrygio Pontificali ornatum, quod ei in huius prærogatiuæ indicium, præfatus Pontifex Celestinus transmiserat, Theodorus Balsamo Antiochenus Patriarcha, *in Nomo-Canonem Photij, titulo* 8. inscripto *de parochiis*, luculenter commeminit. *Huius*

* Orientalis & Latinæ.

quoque temporis (inquit) *Patriarcha Alexandrinus ex præsenti edicto ius habet, vt cum phrygio celebret. Habuit autem hanc facultatem sanctus Cyrillus Alexandrinus à Romano Papa Celestino, quando fuit Ephesina Synodus aduersus Nestorium. Cùm non posset Celestinus adesse Ephesi, & iudicare Nestorium: visum est vt sancto Cyrillo, à Celestino permitteretur huic Synodo præsidere. vt itaque constaret eum habere ius & auctoritatem Papæ, sedit cum phrygio & damnauit Nestorium. Ab eo ergo tempore cum eodem phrygio sacrificant, & procedunt Patriarchæ Alexandrini, & non verentur reprehendi. Lege etiam sancti Celestini de ea re epistolam sitam in actis septimæ Synodi.* Porrò addit Nicephorus lib. 14. hist. c. 34. insuper *mitram* Pontificiam à Celestino Papa fuisse Cyrillo transmissam, in signum communicatæ illi, (Sedis Apostolicæ vice) iudiciariæ auctoritatis, qua fretus consentiente Ephesina Synodo, Nestorium supremo iudicio damnauit. Porrò in consessu Oecumenico Ecclesiæ, verisimile non videtur Papali ornatu præeminuisse Cyrillum, cæteros verò Præsules alio quàm Episcopali comparuisse habitu. Etenim nisi mos tulisset sacros proceres in Concilio indiciis suæ dignitatis insigniri: nec Cyrillus, sacro apparatu præfulsisset*. Celebre est Marini Diaconi Cardinalis, Legatíque Sedis Apostolicæ in octaua Synodo Oecumenica, seu quarta Constantinopolitana, dictum. Cùm scilicet Photio (qui sacrum Concilium ingressus fuerat subnixus baculo) auferri illum iussit, eo quòd virga in manu gesta in Synodo præsertim, signum esset pastoralis dignitatis, cuius tum vafer impostor planè indignus erat. Cæterùm in Florentino Concilio, Græcos Antistites cum Patriarcha suo, non vulgari, at proprio suæ dignitatis accessisse instructos habitu, res est ex Synodi huius monimentis quàm explorata: quemadmodum in opusculo *de Cruce pectorali* obseruauimus, ex Collationibus inter Græcos & Latinos habitis, litteríſque proditis ab Andrea de sancta Cruce Patricio Romano, & Apostolici Consistorij Aduocato, qui non modò Patriarchæ & Metropolitarum, ac Episcoporum descri-

Ἀλλὰ καὶ ὁ κατὰ καιροὺς πατριάρχης Ἀλεξανδρείας ἀπὸ τοῦ παρόντος ἰδικοῦ δικαιοῦται μετὰ λώρου λειτουργεῖν· ἔλαβε γὰρ τὴν ἐξουσίαν ταύτην ὁ ἅγιος Κύριλλος Ἀλεξανδρείας ἀπὸ τοῦ πάπα Ῥώμης Κελεστίνου, ὅτε ἡ ἐν Ἐφέσῳ γέγονε σύνοδος κατὰ Νεστορίου. τοῦ γὰρ Κελεστίνου μὴ δυναμένου παρουσιάσαι εἰς Ἔφεσον καὶ κρῖναι τὸν Νεστόριον, συνέδοξεν ἐπιτραπῆναι τὸν ἅγιον Κύριλλον ὑπὸ τοῦ Κελεστίνου προκαθίσαι τῆς συνόδου, ἀντ' αὐτοῦ. εἰς γοῦν παράστασιν τοῦ ἔχειν αὐτὸν τὸ δίκαιον τοῦ πάπα Ῥώμης Κελεστίνου, ἐκάθισε μετὰ λώρου, καὶ κατεδίκασε τὸν Νεστόριον. ἐκ τότε οὖν μετὰ τοῦ αὐτοῦ λώρου ἱερουργοῦσι καὶ προοδεύουσιν οἱ πατριάρχαι Ἀλεξανδρείας, καὶ αἰτίασιν οὐχ ὑποπτεύουσιν. ἀνάγνωθι τὴν περὶ τούτου ἐπιστολὴν τοῦ ἁγίου Κελεστίνου κατεστρωμένην οὖσαν εἰς τὰ πρακτικὰ τῆς ζ. συνόδου.

* In sexto Cõcilio generali act. 8. Macarius Antiochenus Patriarcha, pallio circumposito nudatus fuit. Et corona sacerdotij exutus, vt refertur act. 18. in sermone acclamatorio Synodi ad Imperatorem.

ptos edidit ornatus; at presbyterorum etiam, Abbatum & Monachorum proprios habitus prout ipse conspexerat accuratim expressit.

Sed & in Latina Ecclesia iam dudum etiam morem obtinuisse, vt tam Antistites quàm cæteri viri sacri, Synodis, congruis cuique insignibus decorati interessent: ex Anastasio Bibliothecario, in Pontificum historia, necnon ex gestis Synodalibus, aliisque Ecclesiasticis monimentis, peruium est aduertere. Pauca tamen hîc exempla in lectoris gratiam selecta, non inuitè subiiciam. In Concilio Parisiensi, quod Chilpericus Rex in causa Prætextati Archiepiscopi Rotomagensis anno 577. congregari iussit: ipse interfuit Prætextatus apparatu Episcopali indutus. Quamobrem cùm Rex in vltionem criminis, cuius illum reum (tametsi iniuriâ) postulabat, specialiter petiit, *vt eius tunica* (quæ, vt infrà insinuabitur, pars est spectabilis Pontificij ornatus) *dilaceraretur*, teste qui aderat Gregorio Turonensi lib. 5. histor. Francorum c. 19.

In Concilio Pontigonensi quo confirmata sunt acta Concilij Ticinensis ab Episcopis Cisalpinis, præsente Carolo Caluo Imperatore, & Ioanne Tuscanensi * & aliis Legatis Ioannis VIII. Papæ, sacro etiam in habitu Episcopi consederunt, adfuerúntque cæteri. Sic enim acta huius Concilij habent, vt verbatim recitat Aimonius lib. 5. cap. 33. de gestis Francorum. *Vndecimo Kalend. Iulij Indict. IX. Episcopis & cæteris quibusque Clericis vestibus Ecclesiasticis indutis, & domo ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio Synodi, & prospectu Imperialis sedis, lectorio superpositis sacrosanctis Euangeliis, venit Dominus Imperator Carolus in habitu Francisco cum Legatis Apostolicæ Sedis in Synodum.* Et act. seu sess. 8. iubentibus Legatis Apostolicis, vt XVII. Kal. Augusti conuenirent Episcopi, manè circa horam nonam: *venit Imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducentibus eum Apostolicæ Sedis Legatis, more Romano vestitis, ad Episcopos Ecclesiasticis vestimentis indutos, & cæteris secundùm modùm primæ horæ diei (quando inchoata est Synodus) præparatis*, &c.

* Tusculanensi.

Anno 878.

Idem penè factum paulò antè fuerat, nimirum anno Domini 855. in Concilio Valentino, in causa ipsius Ecclesiæ Valentinæ Episcopi, celebrato, sedēte Leone IV. Pontifice. Hîc enim præsidibus Remigio Lugdunensi, Egilmaro Viennensi, Rodlando Arelatensi cōsedisse Episcopi memorantur, adiuncto etiam venerabili cœtu presbyterorum; deuotissimis quoque Diaconis assistentibus, Euangeliis in medio positis: (qui mos seruatus antè perhibetur in secundo Concilio Niceno, seu septimo generali à Tharasio Constantinopolitano Patriarcha in sua Synodica ad Hadrianum Papam) peculiarísque extat in præsignata Synodo Valentina c. 20. *de thesauro, siue ministerio* (sic enim etiam appellatur à Gregorio Turonensi Sacerdotalis apparatus) *& ornamentis fideliter custodiendis*. Sed & in Anglia habita fuerat ab Humberto Merciorum Episcopo, cuius sedes erat apud Lichefeldam, sub Offa Rege Synodus, seu collatio Verolamiensis*, in qua Antistites memorantur conuenisse Sacerdotalibus infulis adornati. * anno 793.

At non modò in nationalibus vel prouincialibus Synodis, hic vetus mos (quem perperàm Petrus Suauis in sua Tridentini Concilij historia, quasi nouum, vel inanem & ludicrum sugillat) continua obseruantia seruatus fuit: sed etiam in generalibus, quæ posterioribus sæculis habitæ sunt. Certè in Claromontano Concilio, quo celebris ac auspicata illa expeditio Orientalis decreta est, præsidente Vrbano II. Papa, sacri proceres comparuerunt sacris insignibus instructi: vnde & Bartoldus signatim commemorat fuisse hoc in sacro conuentu *numeratas ducentas quinque virgas pastorales*. Antea Concilio Remensi Leo IX. præfuisse legitur præfulgens Apostolicæ dignitatis insignibus. *In modum coronæ Pontificum, sedilia, & in medio eius Apostolicæ Sedis apparari fecit insignia. His ita dispositis Dominus Papa Sacerdotalibus quasi ad celebrandam Missam infulis redimitus processit ex Oratorio sanctæ Trinitatis, cum cruce & Euangelij libro, antecedentibus eum sacri ordinis ministris: séxque alij coram eo procedentes ante sanctum altare cantauerunt Antiphonam, Exaudi nos Domine.*

qua expleta cum pſalmo & gloria, Archiepiſcopus Treuirenſis Litaniam fecit, eáque finita, Diaconus vt ad Deum preces effunderet, admonuit, & ſic tempori congruentem Domino Apoſtolico orationem dicente, lectum eſt Euangelium. Dixit Simoni Petro Ieſus: ſi peccauerit in te frater tuus. Poſt hæc conſederunt omnes ordine quo Remenſis Archipræſul diſpoſuit. Dominus quidem Papa in medio (vt dictum eſt) chori verſo vultu ad ſepulchrum beati Remigij. Ante oculos autem eius ad orientalem plagam Remenſis in dextera, Treuirenſis in parte reſedit ſiniſtra, &c. Quòd verò Epiſcopi conſederint hoc in ſacro Senatu in ornatu Pontificali, vel ex eo patet quod infrà legitur, *Namnetenſis Epiſcopus* (qui reum ſe ſimoniacæ promotionis palàm agnouit) *iudicio Synodi ſublato anulo & paſtorali pedo, priuatus eſt Pontificali miniſterio,* &c.

In Lugdunenſi Synodo generali, cui præfuit Innocentius IV. cum ipſo Pontificali ornatu, quo ſacris operando vſus fuerat; Epiſcopi etiam quòd interfuerint ſuis inſignibus exornati, & ſplendor conſeſſus, qui in ſeſſionis primæ exordio deſcribitur, & quæ extant acta Synodica, ſatis faciunt euidenter perſpectum. Celebratum autem indicatur ipſo in limine hoc Concilium anno Domini 1245.

In 2. autem Concilio generali Lugdunenſi quod à Gregorio decimo, ex Prælatis vtriuſque Eccleſiæ, Græcæ & Latinæ, coactum fuit, mos antiquus idem ſeruatus, eius ex actis colligitur. Quorum in proœmio ſplendidè exprimitur Pontificalis ad eum introitus, hac verborum ſerie. *Idem Dominus Papa* (Gregorius ſcilicet decimus) *circa horam Miſſæ deſcendens de camera ſua in ipſam Eccleſiam* (maiorem nimirum ſancti Ioannis Lugdunenſis) *iniuncto priùs per ipſum ſanctiſſimum Patrem, quinto die ante ſeſſionem, ſcilicet ſecunda eiuſdem menſis* (Maij) *ieiunio triduano, & ſedibus præparatis in nauim ipſius Eccleſiæ per circuitum, præparato ſibi Faldiſtorio in choro, conducentibus eum duobus Diaconis Cardinalibus, vt moris eſt, dixit tertiam & ſextam, quia erat dies ieiunij, quibus finitis Subdiaconus venit cum ſandalibus,*

&

& calceauit eum, Capellanis dicentibus psalmos consuetos circa ipsum. Et eo calceato & lotis manibus, Diaconus & Subdiaconus more solito induerunt eum omnibus vestimentis albi coloris, quia inter Pascha & Ascensionem erat: & pallio sicut si esset Missam celebraturus. Et ipse, pracedente cruce, ascendit pulpitum praparatum & ornatum: & sedit in faldistorio suo, ministrante sibi pro presbytero Domino Simone tituli sancti Martini, & pro Diacono, Domino Othabono Cardinalibus, &c. Descriptóque Cardinalium cæterorum consessu: subiungitur de Patribus tam Græcis quàm Latinis. *Papam fecisse super eos & Concilium crucem, qui sedebant scilicet ab opposito in eminentibus sedibus praparatis.* Absque dubio in Ecclesiastico apparatu. Siquidem eadem prima sessione post lectum Euangelium & decantatum hymnum, *Veni Creator*, mox sequitur. *Et totum Concilium stans* (interim scilicet) *sine mitra cum magna deuotione*, &c. Porrò sessione secunda, post promulgatas aliquot constitutiones, acta sic habent: *licentiati sunt omnes procuratores Capitulorum ac Abbates & Priores, non mitrati.*

Postquam verò Græci aduenerunt, occurrente Natali Apostolorum Principum Petri & Pauli, Pontifex celebrauit Missam in maiori Ecclesia: lectáque est epistola in Latino & Græco, & cantatum est Euangelium per Dominum Othabonem in Latino, & quendam Diaconum Græcorum, in habitu quo Græci solent cantare. Qui ideo diuersus fuisse videtur ab eo quo Latinæ Ecclesiæ Diaconi Euangelium solenniter recitantes, ornari consuerunt. Cæterùm Capellanos non sine suo insigni, tanto consessui interfuisse, ex eo patet quòd ab exordio ferè Concilij memoriæ proditum est: *Assistentibus etiam* (Pontifici) *quibusdam Capellanis superpelliceis indutis*, &c.

Ritum eundem fuisse in Concilio Pisano à quo Alexander V. electus est obseruatum, acta eiusdem perhibent. Etenim sessione 1. Missâ Pontificali apparatu per Cardinalem à Thurego celebratâ, cantatis Antiphonis, & certis orationibus dictis, factóque per alium Cardinalem sermone, Diaconus alta voce dixit

Orate. Tunc flexis genibus & inclinato capite, omnes orauerunt, ſubmiſſa voce mitris poſitis, ſeſſ. 22. *Cardinalis de Chalanco, indutus tunica diaconali & mitra, de mandato Domini noſtri Papæ aſcendit pulpitum pluribus Prælatis aſſociatus, legit articulos & Capitula*, &c.

Nec aliter in Concilio Conſtantienſi actum. Singulari verò hoc dignum memoria accidit, quòd Sigiſmundus electus Romanorum Imperator, in vigilia Natalis Domini, Conſtantiam appulſus, nocte illa ſacra Eccleſiam ingreſſus, Pontifice Miſſam celebrante, ipſe Imperator Diaconali habitu legerit de more Euangelium: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto.* Porrò ſeſſioni tertiæ quæ acta eſt pro confirmatione Synodi, abſente Ioanne Papa, *interfuerunt Archiepiſcopi & Epiſcopi, circiter quinquaginta ſex, Abbates viginti quinque Mitrati omnes, ipſeque Imperator coronatus & Auguſtali habitu.* Qui ſeſſione 5. (vt acta habent regiæ Bibliothecæ) *iterum ſedit dalmatica & pluuiali veſtitus, diademate coronatus, ſceptro, pomo aureo, ac enſe per tres proceres geſtatis, aßiſtentibus ei duobus Cardinalibus ad latera.* Non eluxit at verò hoc decore in Concilio Florentino Ioannes Palæologus Conſtantinopolitanus Imperator: cuius duntaxat fuiſſe reperitur habitus, *purpurea veſtis & pileus ab anteriori parte oblongus, cuſpidem faciens, rotundus, pretioſô lapide eius ſummitati infixo.*

Cæterùm eo in Concilio (cui Græci Præſules ſuis cum inſignibus adfuerunt) Eugenius quoque Papa, cum ſuis Cardinalibus & Patriarchis, aliiſque Prælatis, ſacro quoque in ornatu conſedit. *Summus Pontifex* (ſcribit teſtis oculatus Andreas de ſancta Cruce, Romanus Patricius, in dialogo diſputationum & collationum, hac in Synodo habitarum, inter Latinos & Græcos) *aderat mitrâ gemmatâ, ac ſacris indutus veſtibus. Similiter Cardinalibus, Epiſcopis & presbyteris ſtantibus, mitrâ demptâ, quibus abſque ornamento albæ erant. Cardinalibus diaconis, diaconorum veſtibus, albáque mitra, cæteris Patriarchis Archiepiſcopis ac Epiſcopis, ornamento Cardinalium Epiſcoporum more conſidentibus*, &c. Ita ibi.

Eſt autem aduertendum quod in præmemorato Concilio Conſtantienſi, cui interfuiſſe memoratur Sigiſmundus Imperator Auguſtali habitu, dalmatica ſpeciatim deſignatur inter regios eius amictus. At cùm Diaconi officio, ſolenniter legens Euangelium in Miſſa Pontificali, noctis Dominicæ Natiuitatis, ſimpliciter dicitur, *diaconali habitu Euangelium enuntiaſſe.* Sic enim videri cuipiam poſſet inſinuari dalmaticam diuerſum fuiſſe ornamentum, à diaconali habitu: cùm tamen omninò conſtet diaconum non conſueuiſſe Euangelium ſolenniter in Eccleſia legere, niſi ſit dalmatica inſignitus. Accedit quòd in Piſano Concilio ſuperiùs etiam memorato, diaconus mitra infulatus promulgaſſe decreta referatur, *indutus tunica diaconali.* Cùm enim tunica in ſacro altaris miniſtrorum apparatu, alia ſit à Dalmatica veſtis (ſicut infrà accuratiori fiet diſquiſitione manifeſtum) etiam ex hoc poſſet videri, in Concilio Piſano, atque etiam in Florentino, quo (cum centum ſexaginta Latinis Patribus mitratis) præſentes recenſentur S. R. E. Cardinales: expreſſè Cardinales diaconi, mitrati quidem alba mitra ſicuti cæteri conſignantur: cæterà induti, illo in generali Eccleſiæ conſeſſu, diaconorum veſtibus. Nulla dalmaticæ quæ præcipuus eorum eſt ornatus, omnino mentione facta. ſed ratio huius non editæ expreſſionis duplex poteſt (vt mihi quidem videtur) non abſque aliqua veriſimilitudine coniici. Prior, quòd nimirum ſat viſum ſit actorum collectoribus dixiſſe, *in diaconali habitu:* quòd ſcilicet ſit res quàm omnibus explorata, Diaconi veſtem præcipuam quando ſacro munere defungitur, vel ſuo in apparatu publicè in Eccleſiaſticis cœtibus comparet, Damalticam eſſe. Altera ratio, quòd tamen non ita ſit ei propria, vt ea ſolus vtatur: Epiſcopus enim quotieſcumque in Pontificali panoplia procedit, ſolet etiam dalmatica, quin & tunica, ſubtus planetam vel pluuiale exornari.

CAPVT II.

De discrimine Tunicæ & Dalmaticæ, ac vtriusque origine & vsu apud veteres.

TVNICÆ longè latiùs patet nomen quàm dalmaticæ. Non omnis tunica dalmatica est, sed quæuis dalmatica species est tunicæ. Apud Romanos antequam tunicæ locus esset, colobiis vtebantur. Tametsi sint qui putent colobium ipsum nihil fuisse aliud, quàm tunicam sine manicis. Habuisse verò colobia manicas, sed non vsque ad manus protensas, Cassiani locus hic insignis docet lib. 1. de habitu Monac. c. 5. *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingant, nudas de reliquo circumferunt manus, vt amputatos habere eos actus & opera mundi huius, suggerat abcissio manicarum.* Rufinus tamen lib. 2. c. 3. omnino manicas colobiis monasticis amputat. *Quibus*, inquit, *vsus est indui colobiis, quasi saccis lineis.* Sed diuersa fuisse colobiorum genera aliàs ostendimus in commentariis super nostrum Martyrologium Gallicanum. Nam fuit colobium sacrum & profanum, Episcopale, monasticum, & commune: lineum & laneum, interius, exterius, talare, decurtatum, manicatum & sine manicis: verùm locus hic me non sinit excurrere per singula, cùm sit tunicæ ex præfixo lemmate immorandum. Etiam antequam tunica Romanis fuisset in vsu, toga iam vsitata erat. Etenim scripto prodidit Agellius, antiquitus Romanos, sine tunicis, sola toga fuisse amictos: tunicæ verò subinde togam iniectam. Togam verò propriam fuisse Romanorum, vt pallium Græcorum, eruditorum nemo dubitat: vnde Augustus, Romanos ad Gallorum differentiam solitus erat vocitare *togatam gentem*. Nec hîc etiam disquirendum, qua forma ipsa toga constaret. An scilicet sicut Athenæus auctor est, fuerit quadrata an semicircularis, vti Dionysius, Quintilianus & Isidorus apertè docent.

Apertam fuisse nemo negat, at ambigunt plerique vtrum cingeretur necne: qualique stringeretur cinctura, laxiore, strictiore, aut cinctu quem Gabinum vocitant. Quæ hîc etiam haud attingenda videtur controuersia.

Tunica verò quæ ima dicebatur, & quasi intima quia carni adhærebat, linea erat *. Alia erat media, cuiusmodi rubea quæ nunc in vsu est tempore potissimum brumali. Erat & extima quæ & superior, hæcque togæ attamen solebat supponi. Primùm hæc quidem fuit sine manicis. inde verò manicata, & cincturâ constricta, crescente videlicet ignauia & luxu. Quapropter Romulus ait apud Virgilium **, Troianis hostibus ignauiam & effœminationem (vt ita loquar) obiiciens.

* *Ouid. Am. l. 1. Eleg. 5.*

** *Æneid. 9.*

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis,
Desidia cordi, iuuat indulgere choreis
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Quod etiam Varo vituperat dicens: *Manicatis & talaribus tunicis*, &c. Quæ enim demittebantur vsque ad talos, passim datæ probro apud veteres leguntur. Vnde Quintilianus lib. 2. modum præscribens tunicis. *Cui lati claui* (inquit) *ius non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paululum, posterioribus ad medios poplites vsque perueniant. Nam infra mulierum est: supra centurionum.* Erant quædam tunicæ ita manicatæ, vt vltra brachia vsque in primores manus ac propè in digitos porrigerentur, quas Ioannes Fungerus notat *** propriè χειϱιδωτὰς vocabulo Græco appellatas esse. Aliud porrò fuisse tunicarum genus, quas quòd substrictæ, & breues citra humerum desinentes essent, dicit apud Græcos ἐξωμίδας fuisse appellatas. hácque forma solitum Catonem, ex Plutarcho insinuat, tunicam gestare. Nec modò selecti ordinis hominibus, ac plebeiis quoque etiam classis infimæ, tunicarum vsum fuisse communem satis est eruditis exploratum: quosque etenim etiam ex populo fuisse tunicatos, vel ex hoc Horatij loco elicitur.

*** *in Etymolog.*

Vilia vendentem, tunicato scuta popello.

Nulla enim de dignioribus controuersia: cùm constet Senatores & Equites tunicam induisse clauatam: id est clauis purpureis (qui erant velut flores panno intexti) distinctam; quam plebecula rectam & sine clauis habebat. Horum verò, omniúmque liberorum hominum tunicas fuisse albi coloris, ex testimonio liquet Vopisci in Aureliano. Atque hæc de tunicæ multiplicis origine & vsu apud veteres.

Dalmaticæ, iam ratio exigit, vt exordium perscrutemur, apud sæcularis literaturæ auctores. Vnicus est ferè Lampridius inter primoris ætatis scriptores, qui huius indumenti meminerit. *Dalmaticatus* (inquit de Commodo Imperatore) *in publicum processit.* hoc est Dalmatarum veste indutus, quibus quòd hoc vestimenti genus familiare esset, ab iis recepit Dalmaticæ nomen; sicut Suetonius in Augusto scribit, ab eo in florenti primùm ætate, confectum fuisse Dalmaticum bellum. *Externa bella* (ait) *duo per se gessit. Dalmaticum adolescens adhuc, & Cantabricum.* Papiam citat in aduersariis Ludouicus de la Cerda c. 22. n. 1. ita de dalmatica differentem, quam permiscet cum colobio & tunica. *Colobium genus vestis dictum, quia longum est & sine manicis. hoc antiquitus vtebantur: sed quia nuditas brachiorum culpabatur, vsus colobiorum in dalmaticas est mutatus.* Quibus verbis hæc præfatus compilator subnectit. *Itaque olim colobia absque manicis, postea manicata * ad eum modum quo hodie dalmatica. Itaque colobium dictum à* κολοβός, *quòd mutilum manicis esset.* Verùm ex his quæ præmissa sunt de colobio & tunica, non difficile fuerit à colobio tunicam, háncque à dalmatica propriè sumpta vicissim discernere: atque ex subiungendis syntagmatibus ex Ecclesiastica doctrina atque politia, discrimen quod inter tunicam & dalmaticam statuendum est, sese euidentiùs propalabit. Præfatus auctor Etymologici trilinguis, etsi pauca admodum de dalmatica annotârit: accedit tamen longè propiùs ad huius indaginis notitiam. Sub voce enim, *Dalmatia*, hæc memoranda nec relatu iniucunda habet: *Genuit ea* (prouincia nempe Dalmatia) *Diocle-*

* manicata.

tianum virum crudeli & exitiali in Christianos animo, quippe qui præter tormenta quibus carnificinam exercuit, in libros etiam & scripturas sæuiit. Protulit & diuum Hieronymum Stridone natum, quem Latinorum nemo lucubrando vicit. Dalmatica vestis, quæ est tunica Sacerdotalis, candida cum clauis ex purpura, à Dalmatia, vbi primùm est texta nomen accepit.

Verùm iam vt in rem Christianam, vsúmque nostrum, styli aciem reflectamus. Id imprimis notandum, quòd Dalmatiæ quidem semel in tota scriptura, & id quidem à sancto Paulo 2. ep. ad Timoth. 4. mentio fiat. *Titus abiit*, inquit, *in Dalmatiam*. dalmaticæ verò nusquam in nouo nec veteri testamento, appareat consignatum nomen. Verùm tunicæ, non modò communiter vsualis, sed & eius quæ Sacerdotalis propriè est & dicitur, non infrequens in vtriusque fœderis codicibus mentio occurrat. De sola Sacerdotali, hîc opus est disquirere.

De hac imprimis igitur obseruari debet, quatuor in lege veteri fuisse vestium sacrarum species, quæ minoris etiam ordinis Sacerdotibus erant cum summo Sacerdote communia: scilicet tunicam lineam strictam, cidarim, baltheum & fœminalia. At quatuor ibidem fuisse quibus soli Pontifici vti, diuino ex indulto liceret, videlicet tunica hyacinthina, superhumerali, rationali, & lamina aurea *: quemadmodum constat ex capite vicesimo octauo Exodi, quo Pontificalia Aaronis & filiorum eius indumenta describuntur. Porrò tunica Pontificalis, vt sanctus Hieronymus qui eam graphicè explicat aduertendum monet, (epistola didascalica ad Fabiolam ** de veste Sacerdotali) ab Hebræis dicebatur Meil מעיל, id est tunica talaris, tota hyacinthina. Ex lateribus verò eiusdem coloris assutas habebat manicas, & in superiori qua collo induitur aperta: quod vulgò capitium vocant, oris firmissimis ex se textis ne facilè rumperetur. In extrema parte, id est ad pedes, septuaginta duo erant tintinabula, & totidem mala punica: iisdem contexta coloribus, vt suprà cingulum. (seu baltheus & zona, quæ texta erat rotundo

* Vide Alcuinum, de officiis diuinis, sub titulo de singulis vestibus: præsertim verò S. Hieron. vbi citatur infrà.

** *Serie* 28.

nexu, ſed tegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & ſtamine byſſino ob decorem & fortitudinem; atque ita polymita arte diſtincta, vt diuerſos flores ac gemmas artificis manu non textas, ſed additas videre arbitreris.) Cæterùm inter duo tintinabula, quæ ad extremam oram tunicæ huius appenſa erant, vnum malum erat interſertum. Inter duo mala, vnum tintinabulum, adeout alterutrum ſibi media eſſent. *Cauſáque redditur;* (pergit expoſitum S. Hieronymus) *idcirco tintinabula veſti appoſita eſſe, vt cùm ingrederetur Pontifex in Sancta Sanctorum, totus vocalis incederet, ſtatim moriturus ſi non feciſſet.*

Idem etiam minoribus Sacerdotibus Leuit. 16. prohibetur.

Lege diuina vetitum erat Pontifici (Leuit. 21.) ſacras veſtes, proinde hanc potiſſimùm Pontificalem tunicam, quamuis ob cauſam diſcindere. *Pontifex, is eſt Sacerdos maximus, inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, veſtitúſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet.* Vnde (vt plerique notant ſacrorum interpretum) Caiphas, qui auditô Chriſti reſponſô de ſuæ diuinitatis veritate, ſcidit veſtimenta ſua, arguitur huius legis temeratæ, qua id ſibi prohibitum fuerat. Tametſi etiam hoc diuino nutu ab eo factum, quidam arbitrentur, ad indicium ſcilicet abrogatæ Pontificiæ dignitatis, cuius ob Chriſticidij quod meditabatur, ſcelus, prorſus indignus erat. Alij ſunt qui cenſeant fuiſſe hoc ſignum veteris exciſi Sacerdotij (quod duntaxat figuratiuum erat) per verum & æternum Chriſti Sacerdotium. Præclarè hæc fere omnia ſanctus Hilarius complexus eſt, cap. 32. Comm. in Matthæum. *Sacerdos eius ipſius* (inquit) *in qua gloriabatur legis ignarus, etiam ſacramento an ipſe Chriſtus eſſet fidem quærens, quaſi occultè de eo lex prophetæque loquerentur: quin etiam is ipſe, Chriſtum eſt confeſſus inuitus, Domino dicente: tu dixiſti. Cuius maieſtate audita, veſtem ſibi diſcidit; ipſum ſcilicet quo contegebatur velamentum legis abrumpens.* Quamobrem & diuina virtute ſciſſum etiam, ſubinde Chriſto in cruce exaltato, templi velum, egregiè Leo magnus obſeruauit:

uauit: *Sciſſo* (ait ſerm. 8. de Paſſione Domini) *templi velô Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, vt figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Euangelium verteretur.*

Verùm abſque vllo peccati reatu, Apoſtolos Paulum & Barnabam ſcidiſſe tunicas ſuas, Lyſtris in Lycaonia, commemorat in actis proprius rei geſtæ ſpectator S. Lucas: cùm ſcilicet claudo qui nunquam ambulauerat omnium in conſpectu mirabiliter erecto: attoniti tanti miraculi euidentiâ incolæ, ipſis Apoſtolis diuinos honores deferre voluerunt. *Turba autem cùm vidiſſent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam Lycaonicè dicentes: Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum verò Mercurium; quoniam ipſe erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis, volebat ſacrificare. Quod vbi audierunt Apoſtoli Barnabas & Paulus, conſciſsis tunicis ſuis exilierunt in turbas clamantes & dicentes: Viri quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum,* &c. Iuſto enim dolore concuſſi, adeóque pio abrepti furore ſancti Apoſtoli, à ſe diuinum cultum, quem oblatum iam propè iri videbant, acriter repulerunt, ne tantæ impietatis fierent & ipſi conſcij. Cæterùm quod tunicas diſcerpere non dubitarunt, hoc non ab eis factum eſt, ex Caiphæ pſeudo-Pontificis imitatione: ſed quoniam non ſola Iudæorum natio, verùm & aliæ in luctu, pœnitentia, deteſtatione, & vehementi quouis dolore, ſcindendi veſtimenta morem iamiam vbique vſurpaſſent: eo in caſu adeo ſibi luctuoſo ac horribili, Apoſtoli hoc more vſi ſunt, quò ſcilicet ſuis altè infixum præcordiis dolorem, huic populo eorúmque pſeudomyſtæ teſtarentur: ſicque eos à tam impio auſu reatúque patrando procul auerterent.

Act. 14.

Cùm autem eo loci, Apoſtoli memorantur conſcidiſſe tunicas ſuas: Sacerdotales, per has, veſtes haud licet tamen intelligere, ſed vulgares tantùm quibus induti ipſimet Apoſtoli, vt cæteri ſuæ nationis homi-

nes soliti erant passim in populo versari, ac in publicum vbicumque erant prodire.

CAPVT III.

De Pontificalis & Leuiticæ tunicæ ac dalmaticæ antiquitate.

HINC tamen non est cur me quispiam inficiari putet, Apostolos & viros Apostolicos, cùm rem diuinam agerent, & sacris operarentur, selectas vestes & mysterio congruas gessisse. De Iacobo Alphei Apostolo, dicto fratre Domini, primo Hierosolymorum Episcopo, manifestum est siquidem, quod Eusebius Cæsariensis, sanctique Epiphanius ac Hieronymus concordi relatione asseuerant: illum non modò in Pontificalibus actibus, sed extra etiam sacra adyta & officia tunicam lineam, seu stolam Sacerdotalem (non hyacinthinam illam quam solus Mosaicus Pontifex perferebat, sed byssinam) gestasse, quæ aliis à Pontifice concessa erat sacrificatoribus; quales erant sexaginta septem illæ tunicæ Sacerdotales, quas populus Nehemiæ in captiuitatis Babylonicæ reditu ad decorum Sanctuarij & Sacerdotum ornatum, contulisse recensetur 2. Esdr. 9.

Quòd autem Iacobus ipse primus Ecclesiæ Hierosolymorum Antistes, tunica sit vsus Sacerdotali, hoc est linea, non lanea, Eusebius disertè in Egesippo tradit lib. 2. histor. Eccles. c. 23. *Huic soli in sancta* (inquit) *ingredi licebat. Neque enim lanea veste, sed sindone induebatur.* Hinc Epiphanius hæres. 78. quæ est Antidicomarianitarum. *Qui quidem* (inquit) *nonaginta sex annos natus, ex hac vita discessit, cùm perpetuam virginitatem seruasset,* &c. *neque is balneo vsus est,* &c. *neque tunicam alteram induit, sed lineo palliolo duntaxat vsus est.* Et infrà: *Lanea vestimenta nunquam induit.* Adstipulatur & sanctus Hieronymus in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, ipso in Iacobo. *Huic soli licitum erat ingredi Sancta Sanctorum: siquidem vestibus laneis non*

vtebatur, ſed lineis. Nec neſcius ſum multas argutias contra tam conſtantem traditionem Scaligerum conſtruxiſſe : ſed quas doctiſſimus Petauius ſuis ſuper Epiphanium eruditiſſimis animaduerſionibus, non minori rationum ſoliditate, quàm ſolutionum ſolertia, accuratè diſcutiens, haud ſecus ac tenues nebulas valido flatu diſſipauit, eóque reduxit harum quiſquiliarum auctorem, vt non temerè præſumam de Scaligeri ipſius ſpontaneo aſſenſu, ſi differentem Petauium contra ſuas obiectiones audire, iam ipſi liceret, vel legere quæ ſcripſit in hac re concederetur.

Cæterùm quod Iacobus ſanctiſſimus Apoſtolus, primus ſanctæ ciuitatis Pontifex ſindone tantùm vteretur, inde factum quidam autumant, vt ad eius imitationem memoriámque Paſſionis Domini (qui ab Herode veſte alba indutus eſt) ſucceſſores Hieroſolymorum Epiſcopi, haud circumſpectè induti incederent, ſed ſimplici candida veſte : licèt eiuſmodi Eccleſiæ Clerici ſericis atque etiam ſplendidis paſſim vterentur, quemadmodum Cyrillus monachus oculatus ſpectator, ſe obſeruaſſe conſignat, in rebus geſtis ſancti Euthymij Abbatis; vbi de Anaſtaſio agit Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præſule, quem præordinatum à Deo ſedis huius Patriarchalis hierarcham, ipſe ſuperno irradiatus lumine Euthymius præcognouit. *Cùm autem* (inquit Cyrillus) *ipſi iam* (Anaſtaſius ſcilicet cum ſociis, ad Lauram Euthymij, & eius ſocij) *adueniſſent, diuiniore quadam contemplatione magnus correptus Euthymius colloquebatur, & diſſerebat cum Anaſtaſio, tanquam cum Patriarcha Hieroſolymorum. Atque qui aderant quidem omnes admirabantur. Chryſippus verò ipſe quoque obſtupefactus, & ad aurem ſe inclinans Euthymij, ſed non eſt apud nos Patriarcha (inquit) ô venerande Pater! Hic autem eſt ſacrorum vaſorum cuſtos Anaſtaſius, vides quiſnam ſit eius veſtitus, oſtendens eius veſtes: eæ autem erant ſplendidæ & ſericæ, quas (inquit) non eſt fas Hieroſolymorum Patriarcham induere. Cùm autem aliquo tempore ſe repreſſiſſet ſenex, & veluti ad ſe rediiſſet : ſed mihi crede fili (inquit) hunc vidi candida veſte indutum, &*

Apud Surium in vita ſancti Euthymij c. 42. die 20. Ianuarij.

quali indui decet Patriarcham, & existimo me non deceptum. Sed quod Deus præsciuit, hoc ad finem quoque deducet. quemadmodum euentus ipse probauit. Mortuo enim Iuuenali Patriarcha, Anastasius in eius locum sublectus est.

Porrò tunica Pontificia, cum superhumerali, & mitra sancti Iacobi iam adhuc Hierosolymitano sacrario seruabatur, piè ac religiosè à maioribus per tot annos custodita. Ibidémque extitit vsque ad tempus quo octaua Synodus Oecumenica, apud Constantinopolim conuenit: in cuius exordiis prima videlicet actione, legitur epistola Theodosij eiusdem sanctæ ciuitatis Patriarchæ, Ignatio regiæ ciuitatis Archiantistiti directa: qua sibi eius conciliandæ beneuolentiæ affectu, præmemorata spolia sacratissima beati Iacobi Apostoli insigni munere transmittit. *Interea*, inquit, *sperans penes sacratißimam & solertißimam affectionem tuam impetrare quæ cordi sunt: poderem & superhumerale cum mitra, Pontificalem stolam sancti Iacobi Apostoli & fratris Domini primi Archiepiscoporum*, (huius scilicet Ecclesiæ) *qua Antecessores mei Patriarchæ, circum amicti semper in Sancta Sanctorum ingrediebantur sacerdotio fungentes*, &c. *qua & ego indutus sum eandem gerens, tuo desiderabili & honorando mihi capiti, ex amore & dilectionis copia transmisi, quatenus sanctifica suauitate, & tactu sanctorum locorum, vt pote dignus perfruaris.*

Anno 869.

Extat apud Binium tom. 3. Conc. part. 1. p. 612. & 613.

Stolam etiam, seu tunicam lineam sancti Stephani protodiaconi ac antesignani Martyris, in Occidentem transuectam & allatam Vesuntionem Sequanorum Metropolim, in Gallia Celtica, è Hierosolymis, beneficio Helenæ Augustæ sanctissimæ: ex ipsius Vesuntionis Ecclesiæ monimentis annotauimus in nostris Gallicanis diptychis 3. Nonas Augusti, quo die fusiùs de ea dicturi sumus Deo dante in Commentariis, cum secunda contextus editione, in lucem prodituris. Indiscussum hîc interim præterire non possum, quod Honorius Augustodunensis *in Gemma animæ*, seu lib. 1. de *antiquo Missæ ritu* c. 89. cuius de vestibus & calicibus prænotatio est, literis indidit. *Apostoli*, inquit, *& eo-*

rum successores, in quotidianis vestibus, & ligneis calicibus Missas celebrauerunt. Sed Clemens, tradente Petro Apostolo, vsum sacrarum vestium ex lege sumpsit, & Stephanus Papa in sacris vestibus, Missas celebrari constituit. Quæ verba quàm parum considerate Honorius ille protulerit: quámque apertè hæc ipsa inter se pugnent, nemo his in rebus eruditorum est, qui facilè non aduertat. Primò siquidem suprà, constantibus testimoniis Egesippi, Eusebij, sanctíque Epiphanij ac beati Hieronymi, euictum planè fuit à sancto Iacobo Apostolo, vestes sacras consueuisse gestari, adeò vt ipse vsus fuerit podere seu linea Sacerdotali tunica, & superhumerali, ac lamina aurea imposita fronti, seu mitra Pontificali. quæ veneranda eius pignora diu pòst ingentis muneris loco cum digna comendatione, Theodosius Hierosolymitanus Patriarcha, ad beatum Ignatium Constantinopolitanum præantistitem, scriptâ Synodicâ transmisit, quæ in octaua Synodo actione prima lecta est, gestisque Concilij inserta etiamnum habetur. Vnde patentis conuincitur erroris Honorij persuasio, quòd Apostoli in vulgaribus vestimentis diuina celebrauerint mysteria.

2. Quàm malè hæc sibi asserta cohæreant, *vulgaribus Apostolos vestibus fuisse vsos in sacrificio:* Et tamen *Clementem, tradente Petro Apostolo, vsum sacrarum vestium ex lege sumpsisse.* An tradidit quæso Petrus, quod ipse non seruabat? vel cæteri Apostoli quod Petrus tradebat contempserunt? Ex lege vsum sacrarum vestium delibatum non inficior, sicut & pleraque alia quæ ab ipsius Ecclesiæ incunabulis vsu recepta, etiamnum constanter vbique obseruantur. Verùm hoc antiquitatem illorum rituum vsuúmque manifestiùs prodit, quàm si è recentiori fonte defluxisse hoc ipsum ostendi posset.

3. Nequaquam verum est, quod Honorius insinuat. Stephanum scilicet Papam & Martyrem constituisse vt in vestibus sacris diuinum sacrificium celebraretur. Hunc enim reuera Stephanus ritum non instituit, sed duntaxat vetuit, ne quis Ecclesiasticorum ministro-

rum, ſacras veſtes extra Eccleſiam perferret, aut iis extra diuini cultus officia vteretur. Certè enim Damaſus, vel Anaſtaſius, in vitis Pontificum Romanorum: *Hic inſtituit* (inquit) *Sacerdotes & Leuitas veſtibus ſacratis in veſtitu quotidiano non vti, & niſi in Eccleſia tantùm.* Nec aliter Luitprandus Ticinenſis, libro de vitis eorundem Pontificum, *Prædictus Papa conſtituit ne Sacerdotes & Leuitæ veſtimentis Eccleſiaſticis in aliis vſibus vterentur, quàm Eccleſiaſticis officiis.* Quin & Romana ipſa Eccleſia, id in officio natalis eiuſdem beati Stephani Papæ & Martyris, agnoſcit ac docet: ſic enim die 2. Auguſti lect. 2. *Inſtituit vt Sacerdotes & Diaconi, nuſquam ſacris veſtibus, niſi in Eccleſia vterentur.* Ipſe verò peractis diuinis myſteriis, ſacro indutus amictu, ſuáque in Epiſcopali cathedra ſedens, capite abſciſſo, tiaram Pontificalem, triumphali Martyrij laurea commutauit, ádque immarceſſibilem ex tam illuſtri agone euolauit gloriæ æternæ coronam. Iam verò inſignia Pontificalia fuiſſe in vſu, indicio ſunt acta ſancti Melonij primi ab eodem Stephano Papa ordinati Rotomagenſis Epiſcopi, in quibus fit mentio virgæ ſeu baculi paſtoralis. Tunicæ verò, immo dalmaticæ, in actis ſancti Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis ipſi Stephano Papæ coæui, à ſancto Auguſtino citatis *, quæ incipiunt, *Imperatore Valeriano:* ſic enim ibi verſus finem. *Et ita idem Cyprianus in agrum Sexti perductus eſt, & ibi ſe lacerno birro expoliauit, & genu in terram flexit, & in orationem ſe Domino proſtrauit. Et cùm ſe dalmatica expoliaſſet & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere.* Ita & Paulus Diaconus in paſſione eiuſdem beati Cypriani. *Expoliauit ſe birro & tradidit carnificibus, dalmaticam verò tradidit Diaconis,* &c. Acta porrò à Pontio Diacono memorata: *Perductus autem glorioſus Martyr exuit ſe lacernum birrum, quem indutus erat,* &c. *Dehinc tunicam tulit, & Diaconibus tradidit.* Nec eſt quòd quis excipiat, tunicam hanc fuiſſe vulgarem. Apertè enim aliam fuiſſe à vulgari veſtem patet, ex eo quòd birrum quidem quo ſuperindutus erat ſanctus Cyprianus carnificibus

* *Lib. 2. ſeu potiùs 1. contra ep. Gaudentij c. 23.*

tradidit. Tunicam verò, ſeu dalmaticam, vt pote quæ ſacra erat, non paſſus ſit profanis eorum manibus contrectari, ſed eam ipſe dedit Diaconis. Accedit quod ſcriptores paſſionis ipſius ſancti Cypriani illum *epiſcopaliter* occubuiſſe, hoc eſt non modò Pontificali animo, ſed & ornatu ac decoro, data opera memorantur. Hinc Pontius Diaconus oculatus teſtator. *Sed vbi ad prætorium ventum eſt* (inquit) *nondum procedente Proconſule, ſecretior locus datus eſt: ſedile autem erat fortuito linteo tectum, vt & ſub ictu paßionis Epiſcopatus honore frueretur.* Subinde verò idem Pontius, alludens ad Epiſcopales infulas, &c. *Sic conſummata* (inquit) *paßione, perfectum eſt, vt Cyprianus qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam Sacerdotales coronas in Africa primus imbueret*, &c.

Eſt verò quod hoc loco amicè moneamus, eos qui Dionyſium Pariſienſem cum ſociis, Româ delectum in Gallias volunt, tantùm fuiſſe ſub Decio, (qui imperare exorſus eſt anno 253. Fabiano Pontifice) proinde coætaneum fuiſſe ſancti Cypriani; & nihilominus ludicrum & commentitium eſſe putant, quod de eius & ſociorum veſtibus ſacris, maximè dalmatica ſancti Eleutherij Diaconi, ab actorum paſſionis vindice refertur: vt ſecum attentiùs conſiderent, an vſum ſacrarum veſtium (& potiſſimùm dalmaticæ) poſſint legitimè Dionyſio eiúſque ſociis denegare *: cùm eodem quo volunt tempore, illum & ſymmyſtas floruiſſe, conſtet, ſanctum Cyprianum in ipſo ictu paſſionis dalmatica ſacra, quam tradidit in necis procinctu Diaconis, perſpectum fuiſſe inſignitum. Nec enim eſt quòd vim huius rationis in aduerſum regerant: Scriptores actuum ſancti Dionyſij, qui ſacras eius & ſociorum veſtes commemorant, abſurditatis inſimulantes: quòd ſcilicet eo tempore quo aſſerunt Dionyſium in Gallia prædicantem (nempè Clementis & Apoſtolicorum virorum æuo) nondum hi ornatus in vſu eſſent. Sed aduertant hîc etiam quæſo, illam exceptionem, ſola principij petitione niti. Pro certo enim ſupponit quod negatur. Ex his enim quæ de Iacobi podere, ſuperhumerali ac au-

* De his vide Helgaudum Floriac. in epitome vitæ Roberti Regis: vbi refert particulas myſticarum veſtium S. Dionyſij & ſociorum eius, ab ipſo Rege ex illorum monaſterio deſumptas, Floriacenſi datas cœnobio, pretioſo munere.

rea frontali lamina, imò mitra (vt lectum est in octauo Concilio generali act. 1.) adducta sunt ex Egesippo, Eusebio, Epiphanio, Hieronymo, & iis quæ prænotauimus * de bractea Pontificali sancti Ioannis ex Polycrate apud Eusebium: manifestum fit atque indubitatum sacris vestibus atque insignibus ipsos Apostolos diuino in ministerio vsos fuisse. Clementem verò à beato Petro (si auditur Honorius Augustodunensis) traditionem accepisse de sacrorum indumentorum ornatu. Quid verò magis fide indignum putant, Eleutherium dalmatica, quàm Stephanum stola leuitica, seu tunica enituisse? & Dionysium Pontificiis insignibus, quàm Iacobum podere superhumerali, ac Ioannem bractea super frontem emicuisse aurea?

* *Tractatu de mitra.*

Sancti Vincentij Diaconi leuitica stola seu tunica, quantis radiaret miraculis, quàm clarisque monimentis eius celebrata sit gloria, paucis verbis non potest explicari. Ne igitur plus nimium huic deductioni immoremur: insignium aliquot scriptorum testimonia, operæ reor fore pretium hîc subnectere. Ado Viennensis in Chronico ætate sexta, sub an. Domini 527. *Childebertus & Clotharius Reges Francorum* (inquit) *Hispaniam vastant, Cæsaraugustam circundantes obsident. Sed ciues tunicam beati Vincentij Martyris circumferentes, misericordiam Domini rogabant. qua de re flexi Reges Childebertus & Clotharius, pace composita, in munere stolam beati Martyris Vincentij acceperunt. Parisios reuersus Childebertus, Ecclesia in veneratione beati Vincentij Martyris ibi constructa, eandem ipsam stolam in eadem Ecclesia reposuit.* Hactenus Ado, cui adstipulatur Sigebertus itidem in Chronico, ad ann. Christi 542. *Lotharius & Childebertus fratres* (inquit) *obsessa in Hispaniis Cæsaraugusta, ciuibus Deum adorantibus, & circumlata Vincentij Martyris tunica, accepta ab eis pro munere ipsius Martyris stola, redeunt acquisita Hispaniæ parte maxima.* Fusiùs rem gestam enarrat Aimoinus lib. 2. c. 20. hácque coronide concludit: *Verùm Childebertus acceptam beati Vincentij stolam Parisios defert, ædificatámque solo tenus secundùm beati Germani dispositionem basilicam, nomini*

eiusdem

eiuſdem ſancti Leuitæ ac Martyris dedicari fecit: in ea quàm non minimam vaſorum partem, quæ eum à Toleto aſportaſſe ſuprà memorauimus cum capſis Euangeliorum, Cruces quoque mirifici operis, aliáque deuotus excellentiſſima contulit munera. Hæc eſt porrò Eccleſia titulo Abbatiali iam olim inſignis, prope muros Pariſienſes ſita, in qua ſepultus ſanctus Germanus Epiſcopus Pariſienſis, plurimis quæ deſcripſit Fortunatus ſignis emicuit. Vnde & Baſilicæ huius ipſi tutela iam pridem delata eſt, quæ etiamnum in titulo quo cenſetur perſeuerat: dicitur ſiquidem Eccleſia ſeu Monaſterium ſancti Germani Pratenſis, cuius cœnobij præfatus Aimoinus, vt de ſe ipſe teſtatur, alumnus erat.

Eutychianus Papa labente ſæculo tertio, ſcilicet anno 283. glorioſo agone coronatus eſt: martyribus feliciter aſſociatus, ex quibus trecentos quadraginta duos, vt in eius elogio Romana diptycha ferunt * manibus ſuis ſepeliuit. Peculiari enim venerationis affectu hic Pontifex athletas proſecutus eſt, qui pro Chriſti fide & gloria vitam cum ſanguine fortiter profuderant. Quorum in honorificationem peculiari lege conſtituit (habet liber Pontificalis) *vt quicumque fidelium Martyrem ſepeliret, ſine dalmatica aut ſine colobio præparato nullatenus ſepeliret.* Dignos ratus videlicet ſacrorum altaris miniſtrorum ornatu, qui facti pro lege Dei aſſerenda, cruento in conflictu fidei, immaculatæ victimæ: eorum ad conſortium tranſire promeruerunt, quos dilectus Ieſu diſcipulus, triumphantes audiiſſe memorat, glorificatori ſuo has grates, effuſa cum iubilatione referre. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo Patri ſuo, ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum Amen.*

Anno 283.

* Sexto Idus Decembris.

Apoc. 1

CAPVT IV.

De vsu Dalmaticæ & Tunicæ cùm Episcopalis, tum Diaconicæ iamdiu approbato, tam canonica lege, quàm consuetudine Ecclesiastica.

IN stuporem fateor me non semel corripuit, hæc Walfridi Strabonis sententia, quæ extat libro eius vnico de rebus Ecclesiasticis c. 24. paulò ante finem. *Et primò*, inquit, *Sacerdotes dalmaticis ante casularum vsum induebantur. Postea verò cùm casulis vti cœpissent, Dalmaticas diaconibus concesserunt. Ipsos tamen Pontifices eis vti debere ex eo clarum est, quod Gregorius vel alij Romanorum Præsules aliis Episcopis earum vsum permiserunt, aliis interdixerunt. Vbi intelligitur non omnibus tunc fuisse concessum, quod tunc * pæne omnes Episcopi & nonnulli presbyterorum, sibi licere existimant: id est sub casula dalmatica vestiantur.* Paradoxis siquidem hanc fere totam constare seriem, mihi planè videtur: imò potiùs scatere erroribus manifestis.

* nunc.

Imprimis igitur optandum fuerat, vt Strabo, tempus illud indigitasset, quo sacerdotes tantùm dalmaticis, sine planeta vel casula vtebantur, illúdque quo has perferre desierunt, ipsarúmque vsum diaconis reliquerunt. Vix enim vel minimum suppetit in priscis Ecclesiæ monimentis, non dico diuersi huius moris indicium: at ne vestigium quidem vllum extat apud Ecclesiasticos auctores huius totius insinuationis.

Præterea est his in dictis contrarietas manifesta: si enim vt Strabo dicit, *Sacerdotes* (quo nomine maiores & minores comprehenduntur, scilicet Episcopi & presbyteri) *assumptis demum casulis dalmaticas diaconis concesserunt*: qui fiat vt sicut paulò infrà Strabo ipse subiungit, sua ætate omnes pene Episcopi & nonnulli presbyterorum, dalmaticis sub casula vestirentur? Insuper vnde id deprompsit quæso, quod sanctus Gregorius aut alij Pontifices, quibusdam Episcopis prohibue-

rint dalmaticis vti? Cùm ordo ipſe Romanus, cuius auctoritas atque antiquitas opportuniore loco fuit à nobis declarata, hunc ipſum ornatum cuique Epiſcopo cùm ordinatur ſolenni conferendum ritu exertè præſcribat: idque non inſtituto recenti, ſed vt infrà patebit in Eccleſia perantiquo. Ita etenim habet vetus Rituale Romanum, hoc ſub titulo: *Ordo qualiter Epiſcopus in Romana Eccleſia ordinatur*, &c. *Quando induitur dalmatica* (orat ſic Pontifex conſecrator.) *Deus bonorum omnium auctor & largitor, guberna famulum tuum hunc N. fratrem noſtrum, vt ſicut hoc typico indumento priſcorum Patrum ritu latiora veſtimenta præſentialiter conſtringuntur. Ita mentis eius vanæ & vagæ cogitationes, ne in effectum periculoſum perueniant, te protegente coerceantur. Præſtante*, &c.

Alcuinus dalmaticarum eiuſmodi vſum inuectum à Syluestro Papa exiſtimauit: quemadmodum his ex eius verbis, quæ extant in libro quem inſcripſit *de diuinis officiis*, cap. *quid veſtimenta ſignificant*, planè conſtat. *Dalmatica* (inquit) *quæ ſequitur orarium, ob hoc dicitur, eo quod in Dalmatia ſit reperta. Vſus autem dalmaticarum à beato Syluestro Papa inſtitutus eſt: nam antea colobiis vtebantur. Colobium verò eſt veſtis ſine manicis. Significat autem* (in eo quod eſt ſine manicis) *vnumquemque fidelem exercitatum eſſe debere, ad bona opera exercenda. Cùm autem brachiorum nuditas culparetur, vt diximus, à beato Syluestro dalmaticarum repertus eſt vſus.* Verùm hallucinatur hoc loco Alcuinus, qui quæ hîc ponit de tunicis ſiue manicis aut colobiis, ex ethnicis auctoribus qui ſuprà citati ſunt mutuatus eſt: atque quaſi propria ſuum ad genium accommodauit. Cæterùm quæ de Syluestro refert, non rectè recenſet, quoniam nec exactè ſtatutum Syluestri nouerat. Verum quidem eſſe non abnuo quòd Syluester decretum de dalmaticarum vſu ediderit. At quòd eas inſtituerit prorſus, aſſertum eſt commentitium. Damaſus, vel Anaſtaſius, in vitis Romanorum Pontificum, ſanctionem Syluestri his verbis expreſſit. *Et hoc conſtituit, vt diaconi dalmaticis in Eccleſia vterentur, & pala linoſtima læua eorum tegere-*

* *in Syluestro Pontif. 34.*

tur. Luitprandus * eandem porrò ita recitat. *Hic constituit vt diaconi dalmaticis in Ecclesia vterentur, & palliis in læua.* Quæ Syluestri constitutio in officio festi eius 31. die Decembris, à Romana Ecclesia, lectione sexta, iisdem penè verbis repetitur. At ex iis nihil minus elici posse palam est, quàm quod Syluestro ea ex sanctione expromit, Alcuinus, nimirum quòd dalmaticarum vsum instituerit: cùm tantùm instituerit, vt dalmaticis in Ecclesia diaconi vterentur: quæ nimirum extra Ecclesiam, à nonnullis perperam gerebantur. Aut certè illis tribuit (fixo iure, & vi legis) illud decus, quod antea obtinuerant ex mero duntaxat vsu, quem consuetudo inuexerat. At non illa noua, sed ætate iam Syluestri diúque antea obfirmata, sicut ex superiori capite de ipsius Dalmaticæ tam diaconalis quàm Episcopalis antiquitate, fit omninò exploratum.

* Nam illum citat & reprehendit in epistola ad Euagrium de Melchisedech.

Extat sanè inter sancti Augustini opera liber quæstionum veteris & noui Testamenti, quem Cardinalis Bellarminus lib. de Ecclesiasticis Scriptoribus, ipso beato Augustino antiquiorem, ex hoc planè euincit, quòd commentarij illius auctor (sancto Hieronymo cognitus *) quæstione 44. exertè dicat, ab excidio Hierusalem vsque ad sua tempora, fluxisse annos trecentos. Ex quo planè colligit Bellarminus illum scripsisse hæc, anno circiter trecentesimo septuagesimo tertio à natiuitate Domini. totidem enim annos effluxisse liquet à Christi Natali vsque ad annum post excidium Hierusalem trecentesimum. Hic porrò auctor adeò vetus, disertè ritus huius commeminit, quo non modò Episcopi, sed & diaconi dalmaticis suo defungentes munere insigniebantur, *sed hinc inquiunt* (ait) *videtur Sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephod. quasi non hodie diaconi dalmaticis induantur, sicut Episcopi.*

Sanctus Ioannes Chrysostomus homilias suas ad populum Antiochenum dictauit, cùm huius Ecclesiæ presbyter adhuc esset: vt earumdem vel sola inscriptio, per se satis apertè insinuat, sanctúsque Hieronymus suo in catalogo meminit, vbi obiter illum

recenſet, ſub titulo Ioannis Antiocheni preſbyteri. Quo ex ordine, ad Epiſcopatum regiæ vrbis Conſtantinopolis, ipſe beatus Chryſoſtomus prouectus fuit anno 398. At in his homiliis iam agnoſcit & prædicat diaconos non ſolùm alba, hoc eſt linea veſte, ſed & coruſca tunica in Eccleſia præfulgentes. Sic enim eos expreſſim compellat, atque alloquitur homil. 60. *Ad vos*, inquit, *miniſtrantes ſermonem conuertere neceſſarium eſt, vt multo cum ſtudio hæc dona diſtribuatis*, &c. *Propterea vos Deus hoc inſigniuit honore, vt talia diſcernatis. Hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc omnis corona. Non vt albam, & ſplendentem tunicam, circumeatis induti*, &c.

Sub Conſtantio filio Conſtantini Magni, memoratur ab Ammiano Marcellino lib. 14. Maras Diaconus, dalmatica inſignis, quam indicat fuiſſe pectoralem tunicellam ſine manicis, textam per latera, ſcriptam Græco ſermone: perſimilem enim fuiſſe chlamydi Imperiali ſeu regali, vt ait, indumento. locus attamen hic Marcellini ſubobſcurus videtur, ita enim per ſeriem habet. *Poſt hæc & indumentum regale quærebatur: & miniſtris fucandæ purpuræ tortis confeſſiſque, pectoralem tuniculam ſine manicis textam: Maras quidem nomine inductus eſt (vt appellant Chriſtiani) diaconus; cuius prolatæ literæ ſcriptæ Græco ſermone ad Tyrij textrini præpoſitum, celerari ſpeciem perurgebat: quam autem, non indicabat.* Vbi videtur Maras ille criminis poſtulatus, quòd tunicellam eiuſmodi quæ ad imperiale decus ſpectaret, auſus eſſet affectare. Verùm cùm Conſtantinus Magnus, illius Conſtantini pater communicaſſet etiam imperij inſignia Chriſtiano Sacerdotio, ſi Balſamo credimus in Nomocan. Photij tit. 8. non erat certè cur eius filius & hæres vitio verteret Eccleſiæ miniſtris, quòd dalmatica vterentur. Maximè cùm ipſe quicquid contra S. Athanaſiam fraude Arianorum deceptus egerit, cæterà Chriſtianus eſſet, vſuſque ille dalmaticarum in Eccleſia etiam antiquior longè eſſet Conſtantino: & Conſtantij tempore vbique vigeret ille ipſe ritus, vt Epiſcopi & Diaconi diui-

no in ministerio dalmaticis induerentur, vt patet ex auctoritatibus suprà à nobis indicatis.

CAPVT V.

An ex peculiari priuilegio, ius gerendi dalmaticas non diaconis modò, sed Episcopis quibusdam accesserit: quo ornatu vti, huius indulti defectu, aliis Episcopis non liceret.

WALFRIDVS Strabo, vbi suprà, id apertè asserit. *Gregorius vel alij*, inquit, *Romanorum præsules, aliis Episcopis dalmaticarum vsum permiserunt, aliis interdixerunt. vbi intelligere est non omnibus fuisse concessum.* Hæc ille, qui certè ad dist. 23. can. *Communis filius*, videtur respexisse, ex epistola 113. lib. 7. Registri sancti Gregorij, depromptum; qua Aregio (Niuernensi) Episcopo & eius Archidiacono, facultatem gerendi dalmaticas, speciali quasi priuilegio impertitur horum verborum serie. *Præterea communis filius Petrus Diaconus, nobis innotuit, quòd fraternitas vestra, tempore quo hîc fuit, poposcerit, vt sibi & Archidiacono suo, vtendi dalmaticis licentiam præberemus. Sed quia hominum suorum infirmitate compulsus, festinanter abscessit, vt nec ipsum mœror incumbens, diutiùs vt dignum erat, & res desiderata poscebat, sineret imminere: & nos in multis implicitos, Ecclesiasticæ rationis consideratio, nouum hoc inconsultè & subitò non permitteret indulgere: Idcirco postulatæ rei prolongatus effectus est. Nunc verò charitatis tuæ bona reuocantes ad animum, huius auctoritatis nostræ serie, petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum, dalmaticarum vsu decorandos esse concessimus.* Hæc sanctus Gregorius, Aregio.

Verùm indultum istud vix bene conciliari posse videtur, cum iis quæ suprà exemplis & auctoritatibus induximus, pro vsus Ecclesiastici dalmaticarum antiquitate. Cùm euidenter fuerit euictum atque probatum, sanctum Cyprianum Episcopum Carthaginensem

dalmatica vſum, & beatum Vincentium Archidiaconum Valentiæ in Hiſpania tunica leuitica. Deinde à ſancto Syluestro Papa dalmaticarum vſum omnibus diaconis celebri decreto aſſertum fuiſſe: illóque ipſo ſæculo, teſtatum ab aüctore quæſtionum veteris & noui Teſtamenti (quem ſcripſiſſe anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo tertio oſtendimus) hac ipſa ætate, dalmaticarum geſtationem fuiſſe tam diaconis quàm Epiſcopis communem. Geſſiſſe, vel Ammiano teſte, Maram diaconum, dalmaticam imperiali conſimilem Græcis per latera notatam characteribus. Sanctum Chryſoſtomum, Antiochenos diaconos memoriæ prodere, alba & ſplendenti tunica ſpectari ſolitos, inter diuina myſteria micantes: aliáque plurima, ſi per tempus liceret, coaceruari teſtimonia antiquitatis poſſent, quibus magis ac magis planum fieret, abundantiúſque probaretur, vſum illum fuiſſe paſſim in Eccleſia tam Græca quàm Latina celebrem, diu antequam ſanctus Gregorius communi Eccleſiæ bono naſceretur, nedum priuilegium præſignatum, ad Aregium Epiſcopum in Galliam direxiſſet.

Sed verò facilè conceſſionis ſancti Gregorij indultum, cum ſuperioribus rationibus ac exemplis, quæ huic ex diametro obuerſari videntur, conciliari poteſt: modò eo ſenſu intelligatur, qui ex alia reſultat ferè conſimili, at antiquiori conceſſione, facta per Symmachum Papam ſancto Cæſario Arelatenſi, cùm is Romæ adeſſet, ad Apoſtolorum limina profectus. Quò enim tantum virum, tanto honore proſequeretur Symmachus Pontifex, in eius gratiam inter alia attribuit, diaconibus Eccleſiæ Arelatenſis, vt dalmaticis ad modum diaconorum Romanæ Eccleſiæ vterentur. Sic enim rem geſtam enarrat Cyprianus ipſius beati Cæſarij diſcipulus lib. 1. vitæ eiuſdem c. 20. *Atque ipſe etiam Pontifex Symmachus, præclara eius meritorum dignitate permotus, non ſolùm eum veriſsimè Metropolitani honore præditum voluit, ſed etiam ſpeciali quodam priuilegio pallij vſum ei permiſit, & diaconos eius, perinde vt Romana Eccleſia diaconos dalmaticis vti voluit.* Quo ex

loco ſatis liquet, non opus fuiſſe, vt Symmachus ipſi Cæſario vſum dalmaticæ concederet, quo ornatu nimirum vt Epiſcopus iam ſuo iure Cæſarius fruebatur: aliàs ſaltem æquè ac eius diaconis, fuiſſet ſacræ huius veſtis vſus impertiendus à Papa. Quòd verò eius diaconis hoc decus impertierit Symmachus: non abſolutè intelligi debet, quaſi huc vſque diaconi Arelatenſes, nulla ſacra tunica, vel dalmatica fuiſſent induti: ſed quòd moris hactenus non fuiſſet, vt dalmaticis æquè ſplendidis & copioſis, ac illis quibus Romani Diaconi conſueuiſſent, ſacro in apparatu miniſtrarent decorati. Forma etiam æquè ac materia differebant. Balſamo certè in Nomo-canonem Photij tit. 8. c. 1. recitat Conſtantinum Magnum Clero Romano contuliſſe pleraque ſpecialis magnificentiæ inſignia: quæ cæterarum Eccleſiarum Clericis non conceſſit. Idem verò *Tit. 1. de fide c. 36. Statuit Conſtantinus* (ait *) *licere Papæ Romano, iiſdem dignitatibus ſuos honorare Clericos, quibus etiam Imperator, qui ſibi ſubſunt: & eſſe ſacram Synodum, ſicut & Senatum Imperatorium.* Cui indulto acceſſit ſubinde Iuſtiniani nouella decernentis, *vt æquè ac Imperium Romana Eccleſia dignitatibus honeſtetur.* Idémque rurſus Balſamo tit. 8. præcitato: *Clericos Romanæ Sedis Imperatoriis dignitatibus honorari.* Quamobrem cùm eſſent dalmaticarum diuerſa genera, ferre tamen ſimiles imperiali chlamydi, nonniſi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Clericis, ob honorem Sedis Apoſtolicæ licuit. Albæ fortè tantùm & ſericeæ, non chirodatæ, ſed ad cubitum præciſæ, ſtrictæque fortè potiùs ad tunicæ modum (quam à tuendo corpore, quod totum ferè tegit, ſic dictam nonnulli volunt) diaconibus exterarum Eccleſiarum fuiſſe vſum dalmaticæ communem, mihi veriſimile perſuadeo. Cùm Romani diaconi ob principatus Eccleſiaſtici maieſtatem, alias longè ampliores ac ſplendidiores geſtarent, clauis ſcilicet non modò purpureis conſperſas, ſed vel ex toto purpureas, aut auro etiam (non modò ſerico) rutilantes; amplitudine copioſas, non à cubito vel humero præciſas, ſed chirodatas prorſus, atque ad manus vſque

* καὶ διοριζομένῳ ἔχειν ἐπ' ἀδείας τὸν πάπαν Ῥώμης ἀξιώμασι τιμᾷν τοὺς ὑπ' αὐτὸν κληρικοὺς ὁποίοις καὶ ὁ βασιλεὺς τιμᾷ τοὺς ὑπ' αὐτόν, καὶ εἶναι τὴν ἱερὰν σύνοδον οἷαν καὶ τὴν βασιλικὴν σύγκλητον.

que defluentes. Nam Clerus Romanus, etiam in sacris vestibus suam ex magnificentia formæ vel ornatus præcellentiam, semper studiosè demonstrauit. Isque tuendi ex speciali decoro sacri summæ Sedis imperij, innatus iampridem Clero Romano affectus, in actis manifestè obseruatur Pontigonensis Concilij, anno octingentesimo septuagesimo sexto celebrati ab Apostolicæ Sedis Legatis, iussu Ioannis Papæ VIII. & nisu potissimùm Caroli Calui, recèns creati Imperatoris. Ita enim memoratum extat actione 8. & vltima. *Et iubentibus Legatis Apostolicis, vt* XVII. *Kal. Augusti conuenirent Episcopi: mane circa horam nonam, venit Imperator Græcanico more paratus & coronatus, deducentibus eum Apostolicæ Sedis Legatis, Romano more vestitis, ad Episcopos Ecclesiasticis vestimentis indutos.* Hinc enim luce clarius apparet, vestes sacras Episcoporum, non eadem forma prorsus extitisse, qua erant Legatorum sacra etiam indumenta: sed spectabile intercessisse discrimen, formam verò sacri apparatus Romanorum Sacerdotum, etsi à nostrorum differentem ornatu, non fuisse tamen nuperam & insolitam, sed huius notæ, quæ proprium morem & moris nomen proprium iam pridem inuexisset: vt verè dici posset, illos prodiisse in Synodum *Romano more vestitos:* cùm de cæteris Episcopis tantùm dicatur *eos fuisse indutos vestimentis Ecclesiasticis*; non vtique ita magnificis, forma, scilicet materia, colore, splendore. Quæ ratio facit, vt Symmachi Papæ concessio diaconis Arelatensibus facta, vt dalmaticis vti possint, *perinde ac Romanæ Ecclesiæ diaconi,* (sic enim refert hoc indultum Cyprianus:) nihil aliud insinuet, quàm illis concessisse, vt Romano more contextis dalmaticis de cætero vti possent. Húncque in sensum redit etiam sancti Gregorij ad Aregium munifica rescriptio, qua decus dalmaticarum eiusmodi, ipsi & eius Archidiacono impertitur. Vnde (quòd de iis tantùm intelligeret, quæ Romano more efformatæ erant:) ipsas de industria Romæ confici voluit, & contextas misit, quia triuialis formæ, aut artis, Gallos non ignaros probè sciret: huius verò texturæ & formæ non

Ddd

crederet in Gallia artifices peritos facilè reperiri. Quamobrem signatim ſubiungit, illas quas conficiendas curauerat dalmaticas, fideliter ipſimet Aregio à ſe tranſmitti, per Cyrianum Abbatem illi notum, ſibi verò dilectiſſimum.

CAPVT VI.

Num Subdiacono, ex iure, Damalticæ vſus competat? vbi obiter de differentia dalmaticæ diaconi & tunicellæ ſubdiaconi, diſſeritur.

DE iure ſacro, comperto eſt, diaconum in diuinis myſteriis, excepto ieiuniorum tempore, (niſi in ieiunio Pentecoſtes) miniſtrare dalmatica decoratum: can. de ieiunio diſt. 76. At quòd ſubdiaconus eadem veſte ſacra vllibi vti poſſit, ius canonicum non permittit: quin potiùs ex eo theoremate vetat, quod vni, quod ſoli exprimitur ſpecialiter eſſe datum; alteri ſupponitur eô ipsô denegatum.

Sed tamen aliunde forſitan, quàm ex iuris ſacri diſpoſitione, ſubdiaconus id poſſet, fateor, inſigne adipiſci. Ex conſuetudine ſcilicet, quæ vim legis habet, quando eſt diuturna & rationabilis. Verùm ratio repugnat: nam ideo in Eccleſia admiſſa eſt diuerſitas veſtium, vt diuerſitas ordinum, inſignium ipſo diſcrimine, ſpectata appareret. Cùm igitur Diaconus ſit Subdiacono gradu ſublimior, congruum certè erat ipſum etiam potiori quoque ornatu inſigniri. Cæterùm, nec diuturnitas Subdiacono hac in re ſuffragatur: quandoquidem diu in Romana Eccleſia (cuius formam, quemadmodum ſanctus Ambroſius docet*, omnes cæteræ ſtudent ac debent imitari) Subdiaconi ſola alba, nondum tunicella, nedum dalmatica induti, ſuo miniſterio perfungi conſueuerant. Quem morem inde acceptum, alias ſectari Eccleſias, ſanctus Gregorius ep. 64. lib. 7. ad Ioannem Syracuſanum directa, ſic apertè teſtatur: *Vnde ergo habent, hodie vt Subdiaconi lineis in*

* *Lib. 3. de Sacram. c. 1.*

tunicis procedant, nisi quia hoc à matre sua Romana Ecclesia perceperunt?

Mira sanè est glossatoris solertia, qui in can. *Diacono* gloss. f. *Alba*, id est inquit *dalmatica*: & id patere innuit, ex can. *Episcopus, Presbyter* 11. q. 3. vbi de dalmatica, ne quidem minimum verbum legere est. Porrò si alba idem est ac dalmatica, vt istius glossæ auctor existimat: dicere etiam oportebit, non modò Subdiacono, at etiam Lectori, vsum dalmaticæ iure ipso competere. Albam enim à Lectore gestatam ex can. 12. Concilij Narbonensis, quod anno 589. sub Pelagio iuniore prædecessore sancti Gregorij coaluit, planè constat. Ita enim Synodus illa eloquitur. *Hæc maximè pro Dei timore, & modo disciplinæ canonicæ, elegimus custodienda, vel tenenda: vt dum missa celebratur, nullus presbyter, aut Diaconus, absque aliqua infirmitate, dum Missa perficitur, egredi de altario audeat. Nec Diaconus, aut Subdiaconus certè, vel Lector antequam Missa consummetur, alba se præsumat exuere.* Qua extra diuina officia vti, Diacono prohibuit Concilium Carthag. IV. can. 41. Proinde & sequentibus ordinibus vetuit. Nam quæ superiori prohibentur, inferiori subintelliguntur maiori ratione prohibita. Quòd verò alba omnes ministri pollerent in sacris officiis, testis est sanctus Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos vltra medium, vbi scribit *Episcopos & presbyteros & omnem Clerum, in sacrificij consummatione candidis vestibus vti.*

Ex quo testimonio licet elicere, albam iam tunc fuisse, omnibus Clericis in Ecclesia ministrantibus, saltem in sacrificio, communem: sed nihilominus præter eam, cuique ordini aliud fuisse proprium ornamentum, ex ipso sancto Hieronymo elici potest, referente in Nepotiani epitaphio, ab eo extremum ferè halitum spirante, sacerdotalem vestem, qua in sacrificio tremendo vtebatur, in pignus amoris fuisse sibi legatam. *Apprehensa* (inquit) *auunculi manu. Hanc, inquit, tunicam, qua vtebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi, ætate patri, fratri collegio: & quicquid à te nepoti debebatur affectus, in illum transfer, quem mecum pariter* *Ep. 3. inter medium & finem.*

diligebas. Ad quæ verba appositè Scholiastes doctissimus Marianus. *Tunicam hic* (inquit) *qua ad altare, vti presbyter, in ministerio Christi vtebatur, pro ea quam capsulam, (Gallicè* Chassuble*) ac planetam vocamus, intelligit. Misit autem eam Hieronymo, quia ipse etiam presbyter erat, vt in tremendis Christi sacrificiis ea vti posset.* Hócque se munere donatum à viro tantæ sanctitatis beatus Hieronymus, vt ex eius verbis videre est, meritò gloriatur. Potuit verò sanctus Hildephonsus de consimili suscepto sacerdotali vestimento, ex donantis longè sublimiori dignitate, potiori iure gloriari. Iulianus siquidem Pomerius, qui ante annos nongentos, doctrinæ non vulgaris laude floruit, in ipsius S. Hildephonsi vita, quæ extat apud Surium tom. 1. scribit ab ipsa beatissima Virgine, de cœlo allatam vestem sacerdotalem, ac ipsimet Sancto donatam, qua is vteretur in Missa. Præmium hæc vestis sacerdotalis fuit propugnatæ ab eo inuiolatæ integritatis ipsius sanctissimæ Virginis Deiparæ: quemadmodum in Romanis diptychis die 23. Ianuarij, quo felix abiit Sanctus hic ad æternam gloriam, expressim his verbis memoratur. *Qui ob singularem vitæ integritatem, susceptámque defensionem aduersus hæreticos Dei genitricis virginitatem impugnantes, ab eadem candidissima veste donatus est.* Addit Cardinalis Bellarminus in eius elogio, in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, sub annum sexcentesimum quinquagesimum etiam hanc vestem, illi in pignus datam fuisse beatæ immortalitatis. *Ob singularem*, inquit, *deuotionem erga beatissimam Dei matrem, & defensionem perpetuæ eius virginitatis, meruit non solùm in terris intueri eam diuino splendore fulgentem, sed etiam ab ea donari veste sacerdotali, & (quod summo gaudio animam eius repleuit) certus reddi de veste gloriæ*, &c. At de veste sacerdotali, aliàs ex professo, Deo dante, ipsáque sanctissima Virgine auxiliante, dicturum, vt de cæteris sacerdotalibus vestimentis, me spero.

Sicut Sacerdos igitur proprio iam olim præfulsit insigni, ita (vt fusè demonstratum est) Diaconus super albam dalmatica decoratus fuit, quin & stola ab hu-

mero ſiniſtro ſuper latus dextrum defluente, ac manipulo in læua. Et quemadmodum Diaconi, cùm menſuræ ſuæ obliti ſupra gradum proprium aſſurgerent, ſeſe presbyteris æquiparando, vel etiam anteferendo, in ordinem à Pontificibus & Synodis frequenter redacti ſunt: diſtrictéque prohibiti, ſibi ea arrogare quæ non ſibi, ſed ſacerdotibus (quorum, vt Epiſcoporum, ſunt miniſtri) competebant. Sic & Subdiaconis ne nimis altè ſaperent, iura & inſignia diaconorum affectando, canonicæ fuere præſcriptæ leges, v. g. in vetuſtiſſimo Concilio Laodiceno can. 21. ſic definitum eſt: *Quòd non oporteat Subdiaconos habere locum in Diaconio, & dominica vaſa contingere* (nimirum quæ diuina myſteria continent: nam vacua aliis decretis fuit conceſſum.) Et can. 22. eiuſdem Synodi. *Quòd non oporteat ſubdiaconum vti orario, nec oſtia derelinquere.* Orarium ſiquidem ſtola eſt, quam Epiſcopus & presbyter ſuper vtrumque humerum ferunt impoſitam, Diaconis verò in Concilio primo Bracarenſi c. 27. præcipitur *ferre ſuper ſcapulas.* Dici verò volunt nonnulli, Orarium, eo quòd oratoribus ſacris, hoc eſt prædicatoribus Euangelij, pro inſigni crediti tanti officij, aſſignatum eſt: quod munus Subdiacono neutiquam competit.

Verùm, quoniam Subdiaconus, poſt Diaconum, potiorem in Eccleſia gradum habet, cæteriſque præeminet Clericis: ex quo maximè, pro ordine ſacro ſubdiaconatus cenſeri cœpit: nempe cùm cœlibatus illi ſtabili iure fuit annexus (decretis ſcilicet Pelagij Papæ, & ſancti Gregorij Magni eius ſucceſſoris:) tum ei etiam potior honos delatus, inſigniáque etiam illuſtriora conceſſa. Honorij Auguſtodunenſis certè hîc breuis diſſertatio de veſtibus miniſtrorum inferioris ordinis, appoſitè collimat, lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu cap. 226. *Miniſtris inferioris ordinis*, inquit, *ſcilicet oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, Acolytis, tres ſacræ veſtes conceduntur, quia videlicet angelis, ſplendidis miniſtris; aſſociabuntur; quia hic in miniſterio Trinitatis, fide, ſpe & charitate veſtiuntur, portant namque ſuperhumerale * quo humeri teguntur, quibus onera feruntur, vt ſciant alter-* * ſeu amictum.

utrum onera portare, & Christo in membris suis necessaria ministrare. Tunicam talarem, id est albam, portant, vt humilitatem induant, & in hac vsque ad finem Christo seruiant. Baltheo, id est zona, iubentur renes præcingere, vt sciant carnales concupiscentias per continentiam restringere. Et cap. 229. quod est de veste Subdiaconorum. *Subdiacono* (ait) *prædicta vestes conceduntur. Insuper duæ aliæ: id est subtile, & sudarium adduntur. Subtile, quod & stricta tunica dicitur, portat, vt se iustitia quasi lorica induat, & in sanctitate & iustitia Deo seruiat. Sudarium, quo sordes à vasis terguntur, portat, vt transacta mala sordium, à se per pœnitentiam tergat. Notandum verò quòd Subdiacono sudarium magis aliis formatur, quia vbi nunc fano *, olim mappula portabatur.* Hactenus Honorius.

* id est, manipulus.

In cuius dictis præsertim ad rem quæ vertitur facit, *subtile*, seu *tunica illa stricta*, qua Subdiaconum super albam obseruat insigniri. Hæc est illa vèstis, quæ nunc tunicella vocitatur. Et fortè ea iam erat, quâ, sanctus Gregorius sibi obiicientibus, quòd Subdiaconos faceret, spoliatos procedere, respondit ipsos Subdiaconos decorari; asserens eosdem procedere in lineis tunicis. quæ scilicet super albam iniicerentur, erántque subtiliori nexu contextæ. vnde *subtile* hoc ornamentum ab Honorio præfato appellatur: quod distinguit patenter ab alba, seu linea tunica talari, qua etiam inferioribus Clericis vti licebat.

Quicquid sit, tunicellâ constat, iam à diutissimo tempore in altaris officio Subdiaconos ministrare indutos. At nunquam dalmaticam propriè gestare permissi sunt. Non tamē nescius sum scripsisse Cardinalem Baronium, in suis super Martyrologiū eruditissimis annotationibus, pridie Kal. Iunij: *hodie non tantùm Diaconos sed & Subdiaconos in sacris dalmaticatos ministrare.* At non ex veteri instituto. Etenim vt vltrò fateor, veterem, huic promiscuo mori, Ecclesiæ disciplinam repugnare: sic (cum bona tanti Auctoris venia) planè inficior, recentiori Ecclesiæ, indulto vel more effectum esse tandem, vt Subdiaconi sicut Diaconi, dalmaticis ornati ad altare Domini mi-

niſtrent.Nihil frequentiùs in Miſſali & Pōtificali Romano,quàm Diaconum dalmaticam ſolenni in officio gerere, de Subdiacono id (ni fallor) nuſquam dictum notari poteſt. Quinimò inter miſſales rubricas generales, de ritu Miſſam celebrandi c. 19. cuius eſt titulus de qualitate paramentorum num. 5. ſic apertè diſtinguitur Diaconi à Subdiaconi ornamento, inſignior apparatus. *Dalmatica & tunicella vtuntur Diaconus & Subdiaconus in Miſſa ſolenni & proceſſionibus & benedictionibus, quando Sacerdoti miniſtrant.*

Haud tamen abnuere volo, inſigniorem iam eſſe tunicam ſeu tunicellam Subdiaconi, quàm olim eſſet. Dudum erat ſiquidem ex ſubtili lino, & ſtrictiori formâ quàm nunc ſoleat geſtari. Nunc porrò magis dilatatur, & ex eadem materia conficitur, qua extat confecta dalmatica Diaconi. Ne ſcilicet nimia quæ apparuiſſet diſproportio inter Sacerdotis duos principales miniſtros, conſpectantium oculis incongrua videretur. Quamobrem paſſim liturgico libro præſcriptum eſt, vt Diaconus ac Subdiaconus ſacerdoti aſſiſtentes, inſigniti procedant paramentis eiuſdem coloris, ſicut ſpecialiter cernere eſt, in rubrica de lotione pedum feria 5. in cœna Domini. ſic enim ibi: *Miniſtrante Diacono qui paratus cum Subdiacono, vt in Miſſa, paramentis albis, ſacerdoti aſſiſtit.* Sed etſi colore eodem niteant, ſemper tamen inter Diaconi dalmaticam, & tunicam ſeu tunicellam Subdiaconi, diſcrimen ſpectari poteſt. Diaconi enim dalmaticæ fimbriæ addi ſolent, quibus caret Subdiaconi tunicella. Porrò & Epiſcopi (qui omnium Clericorum apex eſt) dalmatica, & tunicella, ſua peculiari forma præſtant: qua huius & illius peculiares non conſtruuntur ornatus.

CAPVT VII.

Dalmaticæ vſum Eccleſiaſticum, diuinæ approbationis, pleriſque indiciis commendari.

I. CORONAS ſacerdotales imbutas ſacro beati Cypriani, Africæ Primatis cruore, verè ac eleganter in eius concertationis actis, Pontius Diaconus dudum pronunciauit: cur non & dalmaticas, addidit eodem pretioſo liquore purpuratas? Quandoquidem fortiſſimus ille Chriſti Seruatoris agoniſta, dalmaticatus martyrio ſe accinxit: & quamuis ne ſacra illa veſtis profanæ carnificis manus contaminaretur attactu, eam in procinctu extremi conflictus, in Diaconorum depoſuerit manus; igneum attamen illum patiendi ardorem (quo tantus athleta feruebat) hæc depoſita veſtis, in ſe transfuſum, excutere non potuit: ſed ſicut Eliæ pallium, eius ſpiritus vim, recedente corpore, in ſe recepit atque ex ſe refudit. Tantus enim Martyr & Antiſtes, vt Prudentius piè ac verè cecinit, tenet regna cœli.

Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe.
Deniq; doctor humi eſt: idem quoq; Martyr in ſupernis.
Inſtruit hîc homines, illic pia dona dat Patronus.

Vnde & Agobardus Lugdunenſis Metropolites doctiſſimus, ita eum meritò compellat.

Florens inclyte Cypriane dormis!
Sed quæſo vigiles, vigilque noſtris
Intendas precibus, fiáſque nobis
Clemens & validus Dei Patronus.
Sit quæſo memor lingua illa noſtri,
Quæ confeſſa Dei perenne verbum,
Ceruicem gladio dedit ſecandum,
Sed Chriſtum cecinit, ſilere neſcit.

II. Vincentij quoque glorioſi Chriſti pugilis dalmatica ſeu ſacra tunica vel ſtola, poſt eius ſpiritus ad cœleſtia regna feliciſſimum aſcenſum, virtutis eius eſſe expers non potuit.

potuit. Flexit ſiquidem ipſo aſpectu ſuo, duos reges Cæſarauguſtæ ſpirantes excidium, ſubitanea mutatione inexpectatam ad miſericordiam: acceptáque ob munus gratiæ in deuotionis pignus, ipſi Vincentio, trophæa de victore ſubacto, ipſius in regno excitauit, aceruo teſtimonij (qui etiamnum ſublimis ſuperſtat) prope regiam Lutetiam mox erectô.

Exuit ſe Martinus adhuc Catechumenus, & miles, vt Chriſtum nudum, ſuo militari paludamento veſtiret. Exutum lanea aut linea tunica ſubinde Martinum iam Pontificem, Chriſtus dalmatica gemmea ac aurea exornauit, qua eius animi latentia decora demonſtraret. Pulchrè hanc Martini fortunatam vicem, Fortunatus lib. 4. de eius geſtis canit ac celebrat, ita ſiquidem modulatur.

Nobile quinetiam ex præfecto Arborius effert *Sulpitius idem refert Dialog. III. c. 14.*
Signum quod vidit, ſe teſte, fidelis in vrbe:
Immaculata Deo cùm dona imponeret aræ,
Et pater attonitus cæremonia diua ſacraret
Munera, vel Chriſti benediceret ore ſacerdos,
Impoſita altari rata corporis atque cruoris:
Emicuit ſubitò manus alma decore ſuperbo
Nobilium vario lapidum ſplendore coruſcans,
Vndique viſa rore ſpargens radiabile lumen.
Brachia purpureis vibrantia fulgura gemmis,
Lumen & ad ſolis radians lux fulua metallis.
Credula quo potiùs fierent miracula rerum,
Vir ſimul ipſe potens, ſe tunc Arborius inquit
Gemmarum Graiarum crepitantem audiiſſe fragorem.
Sic geminante fide, iuſti via dextera fulſit.
Inque loco manicæ micuit tranſlata ſmaragdus,
O Martine decens, lapidum velamine compte,
Quàm noua palla tibi, cuius textura coruſcans
Trama topazus erat rutilans, & ſtamen iaſpis,
Et Tunicæ inſignes currunt pro vellere gemmæ,
Quæ manus artificis cataclistica fila rotauit?
Quis fuit hic opifex, vbi lana hyacinthina currit?
Quis potuit rigidas torquere ad licia gemmas?
Hæ venerando magis poterunt, quàm fando referri.

* ac *Quid ſecreta petis, nec * in abdita luminis intras?*
Eſt homo quòd ſtupeas, vbi nectit gratia telas.

Porrò de Sancti Paſchaſij Diaconi Romani, qui floruit potiſſimum ſub Gelaſio, Anaſtaſio & Symmacho Pontificibus, dalmatica hoc memoriæ prodidit Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. c. 40. *Cùm adhuc*, inquit, *eſſem iuuenculus, atque in laico habitu conſtitutus, narrari à maioribus atque ſcientibus audiui, quòd Paſchaſius huius Apoſtolicæ Sedis Diaconus, (cuius apud nos rectiſſimi & luculenti de ſancto Spiritu libri extant) vir fuit eleemoſynarum maximè operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui*, &c. *Hic itaque cùm temporibus Symmachi Apoſtolicæ Sedis Præſulis eſſet defunctus, eius dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſanatus eſt.* Mos igitur iam tunc vigebat, vt inſignia dignitatis defunctorum Clericorum feretris imponerentur. Sed quem ſuſtulit poſtea Sanctus Gregorius Synodali decreto, quo vetuit etiam in funeribus Romanorum Pontificum, dalmaticas eorum corporibus ſepeliendis imponi, *l.* 4. *epiſtolarum ep.* 44. quâ geſta Synodi ab eo habitæ, referuntur, *paulo poſt medium.* Sed ante hoc decretum, ſanctio perſimilis in Gallia fuerat eodem fine edita, in Concilio Aruernenſi, quod conuenit Vigilio Pontifice c. 3. *De opertorio Dominici corporis, ſeu palla altaris, nunquam Sacerdotis corpus dum ad tumulum euehitur, obtegatur: quia ſacro velamine vſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.* Præualuit tamen, ob ſacerdotij dignitatem, tandem mos ille in Eccleſia, vt defuncti ſacri viri, cum Eccleſiaſticis ſuis indumentis ſepulturæ mandarentur. Et noſtra ætate, méque, vt ita dicam, præſente, Sancti Agilberti Epiſcopi Pariſienſis corpus, in Iotrenſi monaſterio agri Meldenſis repertum eſt, Pontificalibus adhuc ſuis ornamentis (quorum partem non minimam attrectaui) inſignitum, ſignatímque fimbrias aureas, quæ oris extremis dalmaticæ etiamnum appendebant. In actis Sancti Birini Epiſcopi Dorceſtrenſis in Anglia, ab Honorio I. Papa ordinati, penè omnium Epiſcopalium ornamentorum recenſetur ap-

paratus, quo cum sepultus fuit. Diúque postea eodem in schemate sacro, corpus eius inuentum est, quemadmodum legitur apud Surium die 3. Decembris. Sed & non ita diu, scilicet anno millesimo sexcentesimo vicesimo sexto, cùm iussu Ferdinandi Cæsaris corpus S. Norberti Præmonstratensis ordinis Patriarchæ, & Archiepiscopi Magdeburgensis, hinc Pragam Boëmiæ metropolim transferendum è tumulo extraheretur, eodem in Pontificali ornatu iacens repertum est. Ita enim habet instrumentum eius reserationis Magdeburgi confectum, à Cæsareis legatis, in Magistratus tametsi Lutherani conspectu. *Erat & caput obuolutum humerali, cuius materia, vti & albæ, & vestis interioris (excepto quod fibulæ siue limbi humeralis & albæ, auro graues, quæ frontem etiamnum & manus integræ & illæsæ circumdabant, superessent) ita vetustate contabuerunt, vt velut aranearum saltem telæ adhærescerent*, &c. *Vestis superior* (dalmaticæ scilicet superposita) *quæ parte maxima superest, punicei coloris serica erat, aureis filis florum, vel rosarum instar intersparsa, quæ totum corpus cum brachiis ab humero ad plantas vsque conuestiebat: sub hac transuersæ manus ad modum crucis pectori superpositæ : vestis eadem obuoluta duabus argenteis acubus* (in Sancti Agilberti præmemorato ornatu acus eiusmodi aureæ erant) *superiore parte gemmeo opere exornatis, connectebatur : quarum vnam R. Dominus Gasparus à Questenbergh Abbas Strahoniensis: alteram admodum R. Dominus Præpositus Doxanensis resoluit. Iam crepusculum erat, & obscurioris templi conditio, tenebras induxerat. Stola, manipulus, pallium Pontificale potiore parte integra. Anulus etiam aureus, saphiro insignis, reperiebatur, quem pretio adpenso redemit, toties memoratus venerabilis Abbas*, &c. Nec ratione vacat quòd pallium in ea fuerit detectione repertum, vnà cum cæteris Pontificalibus ornamentis. Ecclesiasticæ enim leges ex antiquo ritu decernunt, Archiepiscopum cum pallio suo sepeliri, sicut disertè rescribit Celestinus 3. *cap. ad hoc de auctoritate & vsu pallij Decret. lib.* 1. *Titul.* 8. *c.* 2.

Cæterùm vt ex superioribus dictis patet etiam dalmatica cum Episcopo sepelitur: qua induta plerorumque sanctorum Antistitum corpora (quorum prolixum foret nimis, hîc seriem contexere) reperta sunt. Extat etiamnum Metis Sancti Pirminij Episcopi & Confessoris, ordinati à Gregorio II. sacra dalmatica diuinæ virtutis operationibus illustris: de qua hæc in Gallicano Martyrologio scripsisse meminimus die 5. Nouembris. *Eius dalmatica viridis, quæ adhuc ibi seruatur, cum sacro cingulo, in partus doloribus medetur.* Qua de re fusiùs in commentario, sumus Christo fauente dicturi.

CAPVT VIII. & vltimum.

De sacræ dalmaticæ ac tunicellæ mystico significatu.

NONNVLLI sunt sacrorum rituum interpretes, qui vel tunicæ non meminerunt, vel eam permiscuerunt, vel cum alba, vel cum dalmatica. Sed Innocentius III. accuratiùs hac de re disserens, tam ab alba, quàm dalmatica distinxit tunicam Episcopalem, de qua lib. 1. Mysteriorum Missæ c. 55. *Deinde* (inquit) *Pontifex induit tunicam poderem, id est, talarem significantem perseuerantiam. Vnde Ioseph inter fratres suos talarem tunicam habuisse describitur. Cùm verò cæteræ virtutes currant in stadio perseuerantiæ: tamen perseuerântia accipit brauium, quoniam qui perseuerauerit vsque in finem saluus erit. Vnde præcipitur: Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Non censetur apud Robert. in Catalogo Episcoporum Æduensium.

Stephanus Æduensis Episcopus, quem Miræus in Auctario claruisse consignat, anno 950. in libro quem scripsit *de Sacramento altaris & varijs Ecclesiæ ministris*; qui in Bibliotheca Patrum edit. Colon. tom. 10. extat, binam tunicam (præter dalmaticæ ornatum) Episcopo attribuit: hâncque quam propriè tunicam, alij passim vocitant, alia ex ipsius materiæ differentia discernit. *Alia* (inquit c. 11.) *tunica serica trahens originem à vermibus, Christi caro est*, &c. *de qua*

dicit, ego ſum vermis & non homo.

Tunicam porrò non ſolùm Epiſcopo, ſed & Sacerdoti, Amalarius Fortunatus de Eccleſiaſticis officiis lib.2.cap. 22. cenſuit etiam poſſe competere. vbi enim pro lemmate præfixiſſet præcitato capiti hanc inſcriptionem, *de tunica, quam Sacerdos induit ſuper camiſiam (id eſt ſuper albam)* circa medium capitis ſubiungit hæc verba, *ſi quis voluerit vti duabus tunicis, oſtendet ſe eſſe Diaconum & Sacerdotem*, quibus ſatis patenter inſinuat à preſbytero qui ſimul Diaconus eſt, vtriuſque dignitatis poſſe geſtari inſignia, proindéque ad ius Sacerdotij ſpectare alterius huius ornamenti decorem. Sed id Eccleſia proculdubio non probauit. Tametſi enim Sacerdotes dalmatica vti paſſim in Eccleſiis videamus, id tamen fieri æquè conſtat cùm Diaconatus officio defunguntur: túmque vt caſulam nunquam ſuper dalmaticam iniiciunt, ita cùm obeunt Sacerdotale officium caſulam quidem induunt, at ſubtus caſulam, non ſolent vſquam tunicam aſſumere.

Cæterùm quæſtio hîc diſcutienda ſe offert ex Euangelio: legimus enim Marci 6. Dominum inhibuiſſe Apoſtolis *ne duabus tunicis induerentur.* Cùm igitur certum ſit Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, vnde fit vt duabus tunicis etiam in habitu ſacro, quo dignitatem præferunt, veſtiantur? Apud Matthæum diſtrictiùs Dominus loquitur Apoſtolis, ipſis præcipiens *ne duas habeant tunicas* c. 10. Sed his Domini mandatis, Epiſcoporum ornatus non repugnat. Apoſtolis enim abſolutè non vetuit Dominus, ne duas induerent tunicas: ſed ne in via nimis ſe onerarent veſtibus admonuit, vt eo fierent nimirum ad curſum Euangelicæ prædicationis aptiores, quo minus eſſent ſuperflua veſtimentorum ſarcina impediti. Vnde ſignanter apud Lucam ait Dominus c. 9. *Nihil tuleritis in via neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Quibus verbis etiam curam illis nimiam præcidit conquirendi veſtitus. Hinc apud eundem Lucam c. 12. *Nolite*, inquit, *ſolliciti eſſe*, &c. *corpori quid induamini. Anima plus eſt quàm*

eſca, & corpus, quàm veſtimentum, &c. *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt*, &c. *Si fœnum quod hodie eſt in agro & cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit, quanto magis vos*, curabit ſcilicet veſtibus neceſſariis induere? ſic enim voluit, eorum in diuinam prouidentiam erigere fiduciam, & omnem amputare terrenarum rerum ſollicitudinem, quæ diſſeminando verbo ſalutis vbique, ipſis obicem attuliſſet. Ratio ac verò hæc ceſſat iſto tempore, quo publicato, quin & propagato per vniuerſum ferè mundum Euangelio, Epiſcopi etiamſi Apoſtolorum vicem & dignitatem ſortiantur, diſcurrere vbique non tamen tenentur: imò potiùs aſtringuntur ſuper gregem ſibi creditum aſſidua ſollicitudine intendere, ſuæque Eccleſiæ adhærere, quaſi ſponſus vxori. Nec modò paſci debent de lacte ouium, & illarum vellere veſtiri: at viciſſim paſcere illas verbi vitæ pabulo, quin & plerumque temporali ſolatio illis opitulari. Quamobrem vult Apoſtolus Epiſcopum eſſe hoſpitalem, quod fieri certè nequiret ſi omni opum ſubſidio ipſe eſſet deſtitutus: foret enim huic ſimilis, quem dicentem inducit Eſaias Propheta c. 3. *in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum.* Et quomodo poſſet nudo pauperi dare veſtem, qui veſte ipſemet indigeret; huicque Domini monimento quomodo ſatisfaceret, *qui habet duas tunicas, det non habenti.* Luc. 3. vnam duntaxat habens?

Appoſitè hîc mihi in mentem venit feſtiuum, nec minus pium ac morale ſancti Martini dictum, quod Seuerus Sulpitius Dialogo 2. de ipſius geſtis vt dignum memoria inſeruit. *Operæpretium eſt*, inquit, *etiam familiaria illius verba, ſpiritali ſale condita memorare. Ouem recèns tonſam fortè conſpexerat: Euangelicum inquit mandatum iſta compleuit: duas habens tunicas, vnam earum largita eſt non habenti, ita ergo & vos facere debetis.*

Si iocos ſeriis miſcere liceat, fortè non abs re fuerit dicere, Epiſcopo duas tunicas datas, non modò ad ornatum, ſed etiam ad myſticum documentum: quo ipſe admoneatur in proximorum vſus vbi neceſſitas exigit,

opes quas ſupra vſum poſſidet, ex charitatis debito erogare. In cuius rei indicium ſuas ipſius ſacras veſtes Epiſcopus ſacris miniſtris, dum eos ordinat, ſigillatim impertit; tunicam Subdiacono tribuens, dalmaticam Diacono, quin & Sacerdoti ſuperiorem conferens veſtem, videlicet caſulam. Omnes enim Eccleſiaſtici miniſtri, à minimo Clerico, vſque ad Sacerdotem, Epiſcopalium veſtium parte aliqua induuntur: minoríque qui minores ſunt, qui maiores, maiori inſigniuntur, eius ſacri apparatus ornamento.

Doctiſſimus Maldonatus, ad caput decimum Matthæi, ſuperiùs expenſum, verſu decimo, acutè notat, Chriſtum abſolutè duarum tunicarum, Apoſtolos neutiquam interdixiſſe vſu. *Nam & Chriſtum ipſum* (inquit) *duabus ſimul tunicis indutum fuiſſe, ex Euangelio manifeſtum eſt*, ſcilicet ex 19. cap. Ioannis, vbi hæc verba leguntur: *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes: vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.* Vbi Maldonatus per veſtimenta ſuperiorem tunicam intelligit: per inconſutilem verò, veſtem ſuperiori proximè ſubiacentem. Tametſi Emanuel Sa, in adnotationibus ad hunc locum, *Veſtimenta ſcilicet duo*: (inquit) *inferiorem talarem, & ſuperiorem, quæ velut pallium, ſed oblongam, more regionis. Deſuper, id eſt à ſuperiori parte incipiendo texturam, ſcilicet vt ſolent quæ vulgò* camiſoles *dicuntur, filo textæ.* Euthymius aliquos non ita recentes refert, qui exiſtimarint præter, tunicam, Dominum habuiſſe quatuor veſtes: diuiſáſque dici, quia ſingulis quatuor militum veſtes ſingulæ diſtributæ ſunt. Quam ſententiam iure ipſe Euthymius non recipit, cùm aperto Euangelij tenori refragetur, quo cuilibet militi datam legimus fuiſſe non veſtem, ſed partem, vt illud propheticum impleretur: *Partiti ſunt ſibi veſtimenta mea,* *Pſal. 21.* *& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Veſtis hæc, ſeu tunica inconſutilis, ac ex myſtico arcano indiuiſa, erat interius indumentum Domini, quod ſuperiori operiebatur, tunicâ ſcilicet & pallio, quæ Ioannes

ideò in plurali, eiuſdem Domini veſtimenta appellat.

Si quis ideóque dixerit Epiſcopum, qui Chriſti ſacrificatoris ſummi, locum tenet, muneréque eius Pontificali fungitur, in eius paſſionis memoriam, (cuius myſterium recolit ac celebrat) in tremendis myſteriis, duplicem gerere tunicam, & deſuper vice pallij caſulam, non procul à veriſimili coniectura, vt mihi quidem videtur, aberrabit. Quamquam propiùs ſcopo myſterij recolendi Dominicæ Paſſiònis accederet, qui duplicem Epiſcopi tunicam ſic interpretaretur, vt diceret, ab eo geſtari in memoriam illuſionis, quam Dominus perpeſſus eſt à Pilato & Herode. Ab hoc ſiquidem, cuius iuſſu veſte alba in deriſum indutus fuit. Ab illo autem, qui quò regiæ eius dignitati ignominiæ notam inureret, veſte purpurea ſeu coccinea chlamyde, illum per ludibrium indui fecit. Sed res ceſſit in contrarium peruerſæ intentionis vtriuſque: nam quæ illi impoſuerunt in ludibrium, verſa ſunt in ornatum; quem Epiſcopus, Chriſti glorificati vicem gerens, duplici decoratus tunica, ceu gloriæ & honoris duplici iam ſplendido inſigni, pompaticè gerit ac quaſi triumphaliter oſtentat, dum ſacris operatur. At ſatis de tunica ſeorſim, ſeu duplici ſeu ſimplici. Nunc de dalmatica ſupereſt nobis etiam (quod ſpectat ad myſteria) quæ adumbrat, ſpecialiter diſſerere.

I. Venerabilis Beda opuſculo ſuo, quod inter eius Collectanea inſertum eſt, *de ſeptem ordinibus*, vbi Eccleſiaſtica ornamenta recenſet. *Sextum* (inquit) *eſt dalmatica, à prouincia Græciæ dicta, id eſt Dalmatia. Ipſa habet duas lineas retrò, & duas antè: quia vetus & nouum teſtamentum rutilant dilectione Dei & proximi,* &c. *Triginta fimbrias habet retrò, quadraginta antè: ſingulæ lineæ altrinſecus quindecim; quòd linea charitatis in veteri teſtamento & nouo, in proſperis & aduerſis quindecim ex ſe ramos producit. Quia charitas ex Deo eſt, patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia credit,*

omnia

omnia ſuffert, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Siniſtra pars habet fimbrias, quia actualis vita, ſollicita eſt & turbatur erga plurima. Dextera non habet, quia contemplatiua vita quieta eſt. Largitas manicarum diſpenſationem Euangelij ſignificat. Hactenus Beda acutè & ſenſatè.

II. Alcuinus ſequatur diſcipulus magiſtrum*. Is quidem libro de diuinis officiis c. *quid ſignificent veſtimenta. Dalmatica eſt* (inquit) *veſtimentum in modum crucis, monens indutorem ſuum, crucifixum eſſe debere mundo.* Cætera quæ ſubnectit, quaſi verbatim ex Bedæ ſuprà expreſſis verbis, deprompta ſunt. Addit verò ex ſuo ſenſu Alcuinus ſequentia, *largitas brachiorum, largitatem datoris ſignificat.*

* Hoc nomine illum deſignat Cardin. Bellarm. lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in eodem Alcuino ſub annum 780.

III. Amalarius Fortunatus de dalmatica multa alia morali ac myſtico ſenſu meditatur *lib. 2. de Eccleſiaſticis officiis c. 21. Per eam*, ait, *intelligimus religionem ſanctam & immaculatam, quæ eſt apud Deum & Patrem, vt viſitentur pupilli & viduæ in tribulationibus eorum, & viſitatores immaculatos ſe cuſtodiant ab hoc ſæculo. Ipſa dalmatica duas coccineas lineas habet retrò, ſimilitérque in anteriori parte. Quia vetus teſtamentum & nouum rutilant dilectione Dei & proximi. Immaculatum eſſe ad Deum pertinet; viſitare fratres, ad proximum. Per colorem coccineum opera miſericordiæ, quæ ex charitate fiunt, in pupillis & viduis intelligimus; per candorem viſitatorum munditia deſignatur. Ipſa eſt veſtis de qua dicitur in pſalmo quadrageſimo quarto: Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate. Vnde Auguſtinus in eodem pſalmo. In veſte iſta varietas ſit, ſciſſura non ſit,* &c. *in fimbriis autem varietas linguarum, doctrinæ decus,* &c. *profert Paulus candidas fimbrias circa manus, ad vtilitatem gentium, quando dicit. Magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Quod Paulus prædicauit, opere compleuit dicens ad Corinthios de ſe, in tribulationibus, in laboribus,* &c. *fert fimbrias candidas in latere quando dicit: caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, & in alio loco*

in castitate, &c. *& in vigiliis.* Deinde post expressa quædam ex Beda, quem nominatim allegat, continuò subiungit: *Aliquæ dalmaticæ habent viginti octo fimbrias antè & retro, vbi est octies repetitus septiformis spiritus, propter genera hominum quos replet, vt laudent Deum, hoc est reges terræ & omnes populi, Principes & Iudices, iuuenes & virgines, senes*, &c. Demum quæ de vtraque dilectione sunt Dei & proximi, verbatim ex Beda transcribit.

IV. Rabanus Maurus *lib. de ordine Antiphonarij c.* 20. alia via progreditur, magísque compendiosâ ad mysticum eliciendum dalmaticæ significatum. *Hæc vestis*, inquit, *in modum crucis est*, &c. *Passionis Domini indicium est. Habet quoque & purpureos tramites ipsa tunica à summo vsque ad ima, antè & retrò descendentes, & per vtramque manicam: vt admoneatur minister Domini, per habitus sui speciem cuius muneris Princeps est, vt cùm per mysticam oblationem Passionis Dominicæ commemorationem agit, ipse in eo fiat hostia Deo acceptabilis.*

V. Rupertus Abbas dalmaticam nomine tunicæ comprehendit ac describit lib. 1. *de diuinis officiis* c. 24. *Tunicam quam habet* (ait) *subter casulam Pontifex, habuit Euangelicæ textrix doctrinæ sapientia Dei, Christus Dominus; & dedit illam Apostolis suis. Omnia enim quæcumque audiui à Patre meo, inquit, nota feci vobis: sed nonnisi Spiritu sancto interueniente, induere vel portare potuerunt. Hanc quoque significauit tunica illa Domini, quam scindere milites noluerunt, eo quòd esset inconsutilis desuper contexta per totum: damnum fore maximum significantes his, qui Christianæ fidei scripturam hæresibus scindere conarentur.*

VI. Honorius Augustodunensis lib. 1. *de antiquo Missæ ritu* c. 230. quod prænotatum est *de veste Diaconorum. Diacono etiam*, inquit, *dalmaticæ vsus conceditur, quæ in modum crucis formatur, quia per illum sacrificium super altare, tanquam corpus Christi in cruce collocatur. Per hoc admonetur vt crucis mortificationem iugiter in suo corpore, sicut Lucas circumferat, & in*

sancta religione viduis & pupillis, vt Stephanus, seruiat in gradibus supradictis charitatis.

VII. Innocentius III. *lib.* 1. *Mysteriorum Missæ cap.* 56. alia ingeniosè de eodem ornatu Ecclesiastico commentatur. *Super hanc tunicam* (de qua proximo capite superiori disseruit) *Episcopus vestit dalmaticam*, &c. *Quæ sui formâ figurat largitatem, quia largas habet manus & protensas, vnde secundùm Apostolum, oportet Episcopum non turpis lucri esse cupidum, sed hospitalem. Non ergo habeat manum ad dandum collectam, & ad recipiendum porrectam: sed illud efficiat quod Propheta suadet: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam. Cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Ob hoc fòrte specialiter vtuntur Diaconi dalmaticis, quòd principaliter electi sunt ab Apostolis, vt mensis ex officio ministrarent.* Hæc Innocentius, qui rectè dalmaticam, quam Honorius præfatus *vestem Diaconorum* inscripserat, Episcoporum primariò, deinde Diaconorum esse docuit. Quo decore, vt suprà ex auctore, S. Augustino antiquiore, iam olim ex Episcoporum indulgentia, Diaconos vsos obseruauimus. Cuius ornamenti Diaconorum cum Episcopis consortio, adstipulatur suo in Sacramentario sanctus Gregorius, vbi sacram praxim rituum exponit, feriæ quintæ in Cœna Domini, sic enim prænotat in titulo: *Inde hora tertia ingressi sacrarium, induunt dalmaticas tam Pontifex quàm omnes Diaconi*, &c. At de hoc ornatu satis.

FINIS.

PANOPLIAE EPISCOPALIS

LIBER VII.

De Campagis, Caligis & Sandaliis Pontificum.*

* ſeu Compagiis.

CAPVT PRIMVM.

De differentia, variáque origine & vſu calceorum, caligarum, ſandaliorum, & compagiorum.

APOSTOLIS ſuis, ſcribit S. Matthæus Dominum præcepiſſe, ne calceamenta, mundum peragrando, perferrent, cap. 10. Addit tamen S. Marcus, voluiſſe illos *calceatos* procedere *ſandaliis*, cap. 6. Vnde duplex oritur difficultas. Nam calceamenta ipſum Dominum geſſiſſe, ex Euangelio Ioan. 1. apparet, vbi de Chriſto ipſo magnus eius Baptiſta dicit, *eius ego non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti.* Si enim geſſit Chriſtus calceamenta, cur iis vti ſuis diſcipulis prohibuit? cùm ad ipſos maximè ſpectaret Magiſtrum ſuum imitari: ipſéque Chriſtus eos, vt ad ſuum exemplum ſe componerent in omnibus perpetuò hortaretur?

Altera difficultas ex hoc procedit, quòd S. Hiero-

nymus, quem doctiſſimum & ſcientiſſimum vtriuſque antiquitatis ſacræ & profanæ, vnanimi conſenſu omnes fatentur; promiſcuè accipiat calceamenta cum ſandaliis, ſiquidem lib. 5. comment. in Iſaiam ad illa verba, *Vade & ſolue calceamenta de pedibus tuis* *, calceamenta, ſandalia, & caligas accipit pro eodem. *Depoſitis* (inquit, calceamentis) *quæ Septuaginta ſandalia, id eſt caligas, vocant*, ſi enim hæc ſunt eadem, quî fiat vt Dominus Apoſtolos vti ſandaliis iubeat, calceamentis prohibeat?

* *In cap. 20. Iſaia.*

Non certè mihi patet elabendi hoc ex anfractu aditus, niſi priùs hæc ſententia, de identitate vel differentia calceorum ac ſandaliorum accuratim diſcutiatur: id porrò meliùs fieri nequit, quàm ſigillatim diſquirendo, quid propriè ſit calceus, caliga, ſandalium, &c.

ARTICVLVS I.

Quid ſit Calceus.

A Calcibus, qui poſteriores & imæ pedum partes ſunt, pedum integumenta calceorum ſumpſerunt appellationem: vel quòd calcibus premantur, vel quòd eoſdem contra itinerum offendicula muniant: hinc enim deductum calcandi verbum (quod eſt pedibus premere): vt & calcarium nomen, quòd ea calcibus ſiue calcaneis applicari ſoleant. Atque vt à calcibus calcei, & ab his calceoli, calceamina & calceamenta; ſic & calceatus, calcearium & calceolarij ſuam vocem mutuantur. Materia eorum multiplex apud antiquos fuit: nam primùm pellicea erat, deinde facti ſunt calcei coracei, papyracei, ſpartei, iuncei: inde molitie & luxu creſcente, lintei, ſerici ſeu velutei, argentei, aurati, gemmati: quùm è contrà eſſent etiam calcei lignei, ferrei, ærei. Non fert hîc ſuſceptum inſtitutum, de his omnibus per ſingulas ſuas ſpecies diſſertationem inire, cùm de quibuſlibet pedum integumentis, hîc ſermo non ſit, ſed de iis dumtaxat quæ in ſacris à Pontificibus, non tam pro pedum munimento, quàm ornatu, eóque myſtico ac tropologi-

co, geſtari ſolent. Nec itidem de iis ex humanarum litterarum monimentis (quæ tamen vbi opus fuerit, ire nolumus neglectum) ſed ex ſacrarum litterarum penu, adeóque Eccleſiaſticæ antiquitatis diſciplina decreuerim diſſerere. Doctiſſimus Lipſius pleriſque operum ſuorum locis, præſertim Electorum lib. 1. cap. 13. tom. 1. & Commentariis, ſeu Notis in Tacitum, itidémq; in Senecam, rara, de calceis pleraque, pro ſua ſingulari antiquitatis Græcæ ac Latinæ peritia, in gratiam ſtudioſorum ſelecta conſignauit: cui ſuccenturiati ſunt præſtantis etiam eruditionis, eiuſmodi antiquitatum indagatores ac illuſtratores, Adrianus Turnebus pleriſque aduerſariorum locis, Guido Pancirollus lib. 1. rerum memorabilium tit. *de fibula*; necnon Henricus Salmuthius, qui opus ipſius Pancirolli ex Italico Latinè reddidit, & notis à textu non degenerantibus illuſtrauit. Deinde verò Benedictus Balduinus, qui doctè & eleganter hac de materia ſcripſit, libro edito, cuius titulus eſt, *Calceus antiquus & myſticus*. Tantis ex auctoribus cùm peruium ſit plenam de calceorum origine & vſu notitiam haurire, ſuperfluum puto iis quas luculentas ediderunt, hac de re obſeruationibus, meum ſymbolum addere, vel recenſendis quæ annotarunt, diutiùs immorari. Pauca tamen de forma calcei operæ pretium (quandoquidem ad rem quam tractamus hæc pertinet) iſto loco ſubindicanda forent. Verùm cùm calceorum multæ fuerint iam olim ſpecies, quæ pro diuerſitate perſonarum variabant. Alij enim erant Patriciorum, alij Regum & Imperatorum: alij denique pro ſexus differentia virorum, alij mulierum. Ita & nomina erant varia: vnde paſſim apud auctores occurrunt mullei, ſoleæ, crepidæ, cothurni, ſocci, perones: quin & calcei genericô quaſi vocabulô, comprehenſas etiam plerique volunt caligas Gallicas, ſandalia, &c. Sic omnium horum non vna forma, ſed multiplex & diuerſa fuit pro geniorum, locorum, temporum, & gentium diuerſitate. Ita olim in vſu fuerunt Laconicæ, Perſicæ, Scythicæ, &c. ac etiamnum pro nationum proprio more

ac genio, calceorum ſunt diuerſiſſimæ formæ: quas in dies etiam cernere eſt immutari, aliáſque oriri antea incognitas. Veterum etiam exſoletos modos, reuocari in vſum. Certè qui de calceorum antiqua figura, ita accuratè ſcripſerit, vt ad vnguem expreſſerit, legi neminem: ſupereſt enim aliquid ſemper quod deſideres, etiam in magnorum illorum quos præmemoraui Virorum commentariis. Balduinus hic tamen præ cæteris, qui patre ſutore ſe natum ingenuè fatetur: *Memini* (inquit cap. 8. p. 45.) *me iamdudum, cùm iunior in patris ſutrina conficiendis calceis operam darem* (*&* *hinc mihi*, inquit, *nata de calceis ſcribendi occaſio*,) *vidiſſe ſingularem è decocto corio calceum, qui certè non calceando pedi, ſed capiendo propinandóque vino, cyphi ad inſtar, ſeruiebat. Illius forma talis erat, vt in arcuatum acumen deſineret. Eiuſmodi fuiſſe veterum Romanorum calceos auſim aſſerere.* His porrò ex verbis Tertulliani, id elicit lib. de pallio c. 5. *Calceos nihil dicimus, proprium togæ tormentum,* terminum fortè rectiùs. *Immundiſſimam pedum tutelam*, (vnde & Gallicè *ſoüillers*, à ſordibus appellantur:) *verùm & falſam. quem enim expediat in algore & ardore rigere nudipedem, quàm in calceo vncipedem.* Erant enim quidam calcei, vnci ad inſtar in altum reflexi, & in acumen intortum deſinentes. De eiuſmodi calceo, immundo pedùm tegumento, Plautus in Querula,

Sume laneos cothurnos, ſemper refluos calceos,
Quos pluuia ſolùat, puluis compleat, cœnum & ſudor glutinet.
Sume calceos humili fluxos tegmine,
Quos terra reuocet, fraudet limus concolor.

Martialis quoque alicubi,

Quam vetus à craſſa, calceus vdus aqua.

La Cerda exiſtimauit omnium vulgò Romanorum calceos vncinatos fuiſſe & acutos: fuiſſe tamen nonnulli volunt aliquorum ſimos, aut quadratos. Vncinatos fuiſſe tantùm illuſtrium, & quod maius eſt deorum, quemadmodum in antiquis ſignis ac monimentis viſuntur. Ioſephus Scaliger ita in Catone legendum cen-

ſuit apud Feſtum, *qui magiſtratum currilem cepiſſet, calceos mulleos, alij vncinatos, cæteri Romanorum perones.* At præfatus La Cerda hanc diſtinctionem non admittit. Cur enim vncinati calcei eſſent minus illuſtrium, cùm vſurparentur etiam à diis? ſed qui vulgò etiam promiſcuo in vſu antè fuiſſe dixerat, mirum cur referat ſubinde ad Deos? magis mirum, quod qui negarat ibidem perones fuiſſe vulgò vſurpatos, poſtea ſentiat fuiſſe peronem ruſticum calceamentum. Perſius enim ait Sat. 5.

——— *Peronatus arator.*

Virgilius lib. 6. Æneidos,

——— *Cudus tegit altera pero.*

Et Iuuenalis,

Nil vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone cingi.

Verùm benè eſt, quòd præfatus La Cerda, mox ferè pedem reflectit. Annuit ſiquidem numerari perones inter delicata calceamenta, quemadmodum ex citato Tertulliano patet, eodem loco ſubiungente, *magnum inceſſui munimentum ſutrinæ veneriæ proſpexere, perones effœminatos*; quos alibi etiam gemmis infixis micaſſe in ipſo luto, ingenioſè improperat libro de hab. mul. cap. 7. *Et in peronibus vniones* (ait) *emergere de luto cupiunt.* Eò enim iamiam euaſerat Romanorum luxus, quem hîc Tertullianus carpit. Nec iis ideò aſſentior, qui effœminatos perones ab eo dictos tantùm exiſtimant, quòd totum tegerint pedem, vt omnium iam noſtrûm ſunt calcei: ſed quòd altiores eſſent, vel nimis compti & inſignes decore. Huc appoſitè refert Ioannes Mercerius illud Apulei lib. 7. Metamorphoſeωs; *Calceus fœminis, albis illis & tenuibus, indutus.* Luxum hunc in viris damnatum Vopiſcus inſinuat in Aureliano. *Calceos, inquit, mulleos & albos, & cereos & ederacinos viris omnibus abſtulit.* Mulleos calceos, Iſidorus diſtinctos à cæteris fuiſſe colore dumtaxat arbitratur: ſumpto nomine à colore piſcis, cui idem eſt nomen. Subſcribit Iſidoro Turnebus, Mercerius autem ſic aſſentit, vt itidem diſſentiat: nec enim calceum à colore

De Pal. c. 5.

piſcis

piſcis accepiſſe nomen : at è contrà piſcem à calceo ſic dicto ex his Plinij verbis colligit lib. 9. cap. 17. *Mullis piſcibus nomen iis à colore mulleorum calceamentorum datum, Feneſtella ſcribit.* Addit porrò, *quis ille color fuerit dubitari ſolet, & cùm piſcibus eiuſdem nominis tribuant temperatum pallore ruborem, quid non & nos calceis eundem fuiſſe credemus?* Conſulendus ea de re præter Plinium Seneca naturalium qq. l. 3. c. 18. purpureos tamen planè fuiſſe aliqui putant. Mediam viam Pancirollus eligit, qui non purpureos quidem ex toto fuiſſe cenſet, ſed aliquantula tantùm ex parte. *Senatores,* inquit, *lunæ imaginem è purpura calceis adſuebant, quos mulleos appellabant.* Cauſſam huius rei Plutarchus in Problematis hanc fuiſſe tradit, vt admonerentur varietatis fortunæ, quæ nunc clara quidem eſſet, nunc obſcura: iam media, modò plena. Sed Balduinus non modò à piſce ſynonymo mûllatos calceos, vel colore, ſic dictos autumat: at à texturæ ſubtilitate & artificij elegantia, ſibique Feſtum arceſſit vadem, qui ait *mulleos veteres à mullando, id eſt ſuendo appellatos*; fauétque verbum antiquum μώλω, quod eſt, appropinquo, ſeu ſubigo: & affinitatem habet cum arte ſutoria, cuius quidem eſt diſſectas calceorum partes, inter ſe aptè componere, concinnéque conſuere. (Gallicè etiam dicimus eos qui calceario conciniόre delectantur, mulleatos incedere, *porter des mulles, & au dedans des eſcarpins ou ſoüilliers minces & à ſimple ſemelle: alutarios calceolos ſeu ſoculos, ſeu tenuiſſimos obſtragulos, ſeu calceolos ſimplicis ſoleæ.*) Non hòc etymon Gallicum peruidit Balduinus: eò attamen demùm concedit, vt non ſolùm à ſplendidiore colore, ſed & ſuturæ præſtantiori forma mullatos calceos appellarint veteres. *Mùltis etiam, elegantibúſque ſuturis, eoſdem præter cæteros inſignes fuiſſe facilè* (ait) *crediderim.* Quæ quidem ſuturæ, ſuggerente, in breuibus ad Plinium notis, Peneto, filum ſericum vt plurimùm, atque alterius (vt decori ratio ſuadet) à rubro coloris punctuatum eminêns, in diuerſis mulleorum partibus oſtentabant, cùm è contrà viliorum calcei craſſiore, rudioréque

filo minùs eleganter essent consuti.

Porrò calcei non modò calcem tegebant, & pedem suprà, infráque ambiebant: nam crure tenus (quemadmodùm eos gestant etiamnum Turcæ) erant confecti apud veteres. Hinc illud Horatij,

—Insanus medium impedit crus
Pellibus.

Istúdque Iuuenalis, *—Crurisque sinistri*
Dimidium tegmen.
*Purum, aut mulleolum * inducit calceum.*

* id est, candidum vel purpureum.

Pluráque alia & propè innumera hîc de calcei forma obseruari possent: sed quæ vitandæ gratia prolixitatis, hîc lubens prætereo, cùm ad rem conferre putem satis videri, tantula hæc quæ isto syntagmate congessimus. Sparsim alia inferiùs occurrent, eundem in scopum collimantia, magísque loco & ordini affinia cui interserentur.

ARTICVLVS II.

De Caligis.

CALIGAM propriè nihil aliud esse, quàm militare calceamentum affirmat c. 13. lib. sui de calceo antiquo, Balduinus, quem hac in re video Ioannem Diaconum vitæ S. Gregorij non nuperum scriptorem aduersarium pati. Hic siquidem lib. 4. cap. 84. disertè ait, iussu ipsius S. Gregorij depictum cum Siluia matre Gordianum ipsius Pontificis patrem, caligas in pedibus habentem, háncque iconem se præfatus Ioannes hoc in habitu vidisse testatur, quem describit. Atqui pater S. Gregorij vt notum est, non miles, sed senator erat, proinde caligæ non erant propria militum calceamenta, cùm & his Senatores vterentur. Quid quod ipse S. Gregorius Beatum Abbatem Equitium, calceatum caligis commemorat? lib. 1. Dialogorum cap. 4. *Tum ecce vir Dei*, inquit, *clauatis calceatus caligis veniebat.* Idem refert lib. 3. c. 20. de Stephano presbytero prouinciæ Valeriæ, cui diabolus *caligas è tibiis traxit*: miro iussu scilicet eius, qui eximiæ sanctitatis vir erat, *ad*

cuius vocem, inquit, *mox cœperunt se caligarum corrigiæ in summa velocitate dissoluere. Vt apertè constaret quòd ei ipse qui nominatus fuerat ad extrahendas diabolus caligas obediisset.* Caligæ igitur erant etiam in monachorum vsu. Cassiani hîc quoque verba conferunt lib. 1. Instit. c. 10. quo de monachorum Ægyptiorum calceamentis scribit. *Calceamenta verò*, inquit, *velut interdicta Euangelico præcepto recusantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodò caligis suos muniunt pedes.*

Cùm Monachi igitur caligas gererent, Balduinus videtur in sua persuasione periclitari, dum existimauit proprium fuisse militum calceamentum. Sed bènè est quod S. Hieronymus epist. ad Gerunthiam animaduertit, diuersam fuisse scilicet vulgarem & militarem: formáque dispari constabant, fortè & materia; nam militares ferro erant instructæ, vulgares non item. Certè si à profanis ad sacra progredi licet Act. 12. dicit Petro Angelus qui eum de carcere liberatum venerat, *calcea te caligas tuas*. Vbi Lyranus notat esse calceamentorum genus, quòd non haberet supernè corium, *quale*, inquit, *quod Galli nominant, galoches*. Sunt qui putant, quòd tibiarum munimentum caliga fuerit, non pedum: vnde Festus, *tibiatim calceare* dixerit, id est ad mediam tibiam seu suram. Non abnuerim caligas eò vsque pertingisse: at texisse etiam calces, & soleâ inferiorem muniisse pedum partem, res est apud vtrosque auctores tam sacros quàm profanos perspectissima. Iosephus lib. 7. *de bello Iudaico* c. 3. commemorat Iulianum Centurionem caligas creberrimis atque acutis clauis, cæterorum militum more fixas gestantem, lapsum nihilominùs, dum strato saxeis crustis solo, curreret. Ita & Abbas Equitius suprà refertur à S. Gregorio *clauatis calceatus caligis*. Certè vel infimæ sortis hominum hæc calceatura in vsu erat. Tametsi verò omnes milites pro more essent caligati, sæpiùs tamen caligatorum nomine manipulares, hoc est gregarij, tenuissimæ sortis & postremarum classium milites, caligatorum nomine intelligebantur; vnde infimus ordo

militiæ Caliga dictus. Cui cùm raró honos quiſquam deferretur, idcirco ſignatim memorat Suetonius in Auguſto, ipſum *ſæpe etiam caligatis coronas murales tribuiſſe*. Seneca verò ſcitè ideò commendat Marij virtutem excelſam, qua ſola ſubuectus, *à caliga ad conſulatum* peruenerit. Sed redeo ad clauos, quibus caligæ munitæ erant, vt eſſent diuturniore vſu, ſicut etiam in prima iuuentute me vidiſſe memini, paſſim in Gallia, idque Pariſiis * eiuſmodi calceamenti genus geſtari, quæ *Galoches* dicebantur. Immò & quòd ſcholaſtici qui in Gymnaſiis non degebant, ſed manè & veſperè curſitabant ad lectiones raptim excipiendum, quaſi proprio vocabulo appellabantur, *Galoches*, ad differentiam eorum, qui vt aſſidui litterarum alumni, in Collegiis Academiæ ſede fixa commorabantur. Ita enim illi externi, præſertim hyeme, calceati erant vt ferrati incedere dicerentur, ob clauorum ſoleis infixorum fragorem. Verùm caligæ ipſæ calcem non operiebant, nec deſuper erant vt calcei integro pedis tegmine conſutæ: ſed altis inſidebant ſoleis, parte ſuperiori pedum firmis corrigiis ſeu faſciis coraceis circumligata. Hi porrò claui cuſpide dempta affixi erant, adeò vt ad ornatum potiùs quàm munimen ſparſim viderentur inſerti: fibulis hæ faſciæ ſtringebantur. Cæterùm intra caligas, calceos ſimplicis ſuturæ, mos iis erat qui hoc calceatu vtebantur, gerere, quibus pedes vndequaque amicerentur, ne obnoxij fierent immunditiæ ſordium, aut aëris iniuriis, imbri ſcilicet vel algori. Nonnullos vidi tamen, quibus calcei pedibus intra caligas eiuſmodi haud ineſſent, eò quòd caligæ, quas ferebant, non modò tegerent pedum calces ac digitos; ſed inſuper ad medias vſque tibias aſcenderent, dimidiarum ocrearum (quas *Botines* vocitant) more. Balduinus gallicas (quas à caligis diſtinguit & crepidis) arbitratur earum ſoleas (vt & nunc) fuiſſe dudum ex ligno: crepidarum verò duplici, triplicíve corio ſimul compacto conſtitiſſe; additque non ignotum ſpecimen: *Vult quis* (ait) *ſubiectam oculis vtrarumque imaginem, Fullienſium & Capucinorum ſoleas ſiue ſandalia contemple-*

* Hæc eſt enim Metropolis regni, & communis patria Francorum.

p. 89. & 90.

tur: in his veterum crepidas, in illis verò gallicas erit intueri.

Verùm ad caligas redeo. A calceis distinctas res esse ex MSS. quod refert Surius in Canonizatione S. Eduardi regis, clarè patet, vbi hæc habentur: *Cúmque lapidem, qui sarcophago superpositus fuerat, sustulissent, admotis propiùs lucernis conspexerunt virum* (S. Eduardum) *iacentem in vestitu deaurato, calceatum caligis purpureis & calceamentis pretiosis.* Nec mireris Regi defuncto caligas etiam datas esse: has ad regium ornatum viuus etiam gesserat. Mitto profanum hunc & impurum Imperatorem Caligulam, quem à caliga sic vocitatum, prisci prodiderunt historici. Vnde Ausonius,

Caius, cognomen caligæ cui castra dederunt.

Propiùs ad rem nostram collineo. In veteri ordine seu formula de consecratione & coronatione regis Franciæ *, titulo *de præparatione insignium & ornamentorum regalium*, sic legitur, *Præparatis & positis super altare corona regia, gladio in vagina incluso, calcaribus aureis. Item caligis sericis & hiacynthinis, intextis per totum liliis aureis.* Et infrà post orationem quæ incipit, *Deus inenarrabilis auctor mundi*, ab Archiepiscopo dictam, sequitur rubrica eiusmodi: *Ibi debent caligæ poni, & pòst à Duce Burgundiæ, calcaria pedibus adstringi.* Qua oratione dicta (habet subiectus immediatè contextus) *statim ibi à magno Camerario Franciæ dictæ caligæ calciantur*, & postmodùm à Duce Burgundiæ calcaria eius pedibus adstringuntur, & statim tolluntur.* Hæc ibi verbatim. Sed cùm calceorum nulla distinctè fiat mentio, hîc planè videtur caligas huiusmodi esse, quæ tibiis exornandis (hinc etiam caligæ tibiales appellantur vbi suprà S. Greg. referebat, Stephano sanctæ conuersationis sacerdoti inopinato ferè ministerio diaboli, caligas fuisse è tibiis extractas) potiùs quàm muniendis adaptentur: calceis verò non hæreant, vel sandaliis inserantur, at vna constent compage, qua crurum à calcibus media pars, totáque pedum circumferentia soleat operiri.

* extat lib. 5. decret. Gallic. Eccl.

* calceantur

Cæterùm quòd caligæ iſtiuſmodi potiùs conferant ad ornatum, quàm ad crurum vel pedum tutelam, hinc aduertere licet, quòd ſericeæ ſunt. Aliæ enim maximè quæ vulgares erant, præter militares, pelliceæ eſſe ſolebant: facem huic admouet obſeruationi S. Pachomius in regula c. 120. dum ait: *Pellicula caligæ, & cingulum & ſi quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur.* Sed de caligis ſatis hactenùs. Iterum enim infrà vbi non de vulgaribus, ſed ſacris ac Pontificiis.

ARTICVLVS III.

De Sandaliis.

SANDALIIS calceatos in ſalutis gentium procurationem proficiſci, Apoſtolis ſuis Dominum permiſiſſe S. Marcus c. 6. teſtatus eſt. Petrum verò Apoſtolorum Primatem his ſolitum fuiſſe calceatum incedere, aperto obſignat ſuffragio S. Lucas Act. 12. Quo enim loco, in vulgata editione legitur dixiſſe ipſimet Petro vindex eius libertatis Angelus, *calcea te caligas tuas*, autographum habet, περίζωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, hoc eſt præcingere & ſubliga ſandalia tua. Latini tamen recentiores, pro ſandaliis non caligas vt vetus Latina habet editio, ſed ſoleas vertunt. Doctiſſimus Duranti tamen retinendam arbitratur ipſam Latinam veterem lectionem.

Hoc poſito, ſi iam inquiras quid ſit ſandalium: definit illud ex Polluce lib. 7. Balduinus, *ſandalium eſſe muliebre calceamenti genus, idque pulchrum, elegans & elaboratum.* Vnde Iudith ad Holofernem profectura, inter alia quibus ipſa, natiuæ pulchritudini decus atque elegantiam conciliauit, ſandalia pedibus ſuis induit c. 10. quæ quàm apta, quàm concinnè pretioſéque adornata eſſent, hinc exiſtimare licet, quòd vt ibidem habetur, *ſandalia Iudith, Holofernis oculos rapuerunt.*

Nec ſolùm apud Hebræos, ſed & Græcos fuiſſe ſandalia muliebri ornamento, idem Balduinus inſinuat ex Victorio lib. 14. Variarum, citante Cephiſodori ver-

ſus; quibus mulier quædam facta è diuite paupercula, vicem ſuam ita conqueritur, vt deploret ſibi ampliùs decora non ineſſe ſandaliorum tenuiter inciſorum, quibus inſerti eſſent aurei flores : iam verò inſtar famulæ peribarides ſe habere *.

* Citat verſus Cephiſodori Comici etiam La Cerda aduerſarior. ſacror. c. 49. n. 10.

At non ſolùm fœminæ ſandalia in ſubſidium decoris fluidi & euaneſcentis, aut certè non ſatis accurati apud veteres vendicarunt : diis hæc quoque ornamenta Lucianus deorum irriſor, ac omnis religionis hoſtis illudendo attribuit ſuis in dialogis, quibus aptari ait, *diis ipſis aurea ſandalia.* Quæ geſſiſſe etiam promiſcuè viros haud minùs quàm mulieres (quamuis ſemper à fœminis affectatum, maioris ac concinnioris ornatus lenocinium, nemo ſubdubitet, verè dicente Clemente Alexandrino lib. 2. Pædagogi c. 11. cuius de calceamentis programma eſt, ipſo in limine. *Similiter,* ac in cæteris exquiſitioris formæ ornamentis nimirum, *ſuperbas, arrogantéſque fœminas, magnam quoque ſolitas oſtendere molitiem*) paulatim ſucreſcente luxu, & ſexus virilis degenerante ipſam in muliebrem molitiem primigeno robore, ipſis quoque in militibus. vnde & Iuſtinus lib. 38. meritò Antiochi regis inſaniam reprehendit, qui effœminatum animum prodiderit, muliebris ornatus vſurpationem ſuis militibus indulgens etiam in caſtris : *Argenti*, inquit, *aurique tantum, vt etiam gregarij milites caligas* (ſandalia promiſcuè dici poteſt) *auro ſuffigerent, proculcaréntque materiam* (in ipſo bello) *cuius amore populi dimicant.* Quod & Tertullianus impſoperat, cùm lib. de Pallio, tum de mulierum habitu : quin & Vopiſcus teſtatur ab Aureliano damnatum in viris, adeò propudioſæ huius muliebris luxus imitationis affectum.

Iam preſſiùs de Sandalio mihi dicendum eſt. Sunt qui contendant hoc nomen ab Hebræis fontibus dimanaſſe: Etſi enim (ſi librum Iudith excipias) nullibi in toto veteri Teſtamento occurrat in editione vulgata (ex primordiali contextu) expreſſum : tamen Elias Leuita monet in ſuo Thiſbi, in ſacris litteris non vno loco calceamenta quæque ſandalium appellari, quem-

admodum etiam perhibet Thargum Chaldaicum. Sed hæc nihil ad rem faciunt, quæ hîc vertitur: Nec enim isthic agimus de calceo quocumque in genere, sed de propria calceatus specie, quæ sandalij peculiari nomine censetur. Balduinus vult æquè posse Latinam dici ac Hebræam vel Syriacam vocem, tametsi Græci sibi propriam esse velint.

Notâ dignum porrò imprimis, est quòd ibidem subiungit disertè, sandalia, à grauibus quos lædendos non putat auctoribus, calceos contectos nominari. Nullum tamen sibi vadem eo loci designat: nec enim deest qui ex aduerso affirmet, sandalia integumenta esse quidem pedum, sed non solida compage, at tenuiter incisa *. Apud veteres sandalia fuisse similia plantæ & vestigio, adeò vt sandalium dici rectè possit Latinè solea, alij obseruarunt ** ex Catullo dicente de Lesbia, *arguta constitit in solea.* Quod nomen ob formæ similitudinem, pisci quoque tributum, res est satis comperta. Hesychius in voce ✝ auctor est, istum piscem eandem ob similitudinem sandalium quoque appellari. Soleis verò (proindéque sandaliis, nam idem vel persimile esse genus calceamenti volunt) vsos fuisse etiam viros, maximè domi, ex Flacci eliciunt lib. 2. Satyr. *Et soleas poscit*, & lib. 1. epist. 13. *soleas conuiua tribulis.* Sandalia erant igitur imi calcei & simplices: cùm è contrà qui albi essent & elati, Tusci, apud Romanos dicerentur. Sandaliorum speciem facit Clemens Alexandrinus: crepidas quas variis discernens nominibus, ex locorum origine vocitatas commeminit loco suprà signato, Atticas & Sicyonias; à cothurnis differentes tamen Persicis, vt ait, & Hetruscis. Calceorum hoc genus erat sandaliis aduersum: nam sandalia demissa erant, erecti verò cothurni. Vnde S. Hieronymus de B. Hilario. *Cothurno* (ait) *Gallico attollitur, & à simplicium fratrum lectione procul abest* (alludens quasi ad nostram loquendi formulam:) *Il parle de haut, comme s'il estoit monté sur des eschasses*; vel quod de fœminis altiorem staturam mentientibus dici solet: (*Elle est grande; car elle est montée sur des patins.*) Salsè carpit Tertul-

* *La Cerda aduersarior. c. 149. n. 10.*

** *Turnebus aduersarior. lib. 30. c. 38.*

Tertullianus ludiones Ethnicos cap. 13. lib. de ſpectaculis, dum ait, *Diabolum Tragœdos cothurnis extuliſſe.* Illudit è contrà Lucianus Herculi lib. de ſcrib. hiſt. vbi eum in crocotula inducit, è purpurea veſte lanam facientem, & ab Omphale vapulantem ſandalio. Qui loquendi modus etiamnum apud noſtros eſt in vſu, nam dum cum ludibrio quemquam exceptum ab aliquo memorant, de more aiunt, *il l'a ſouffletté de ſa mulle, de ſa pantouffle*: inferiori ſcilicet calceatu, qui propiùs terræ hæret, ſimpliciorique ſolea conſtat. Enimuerò huc tandem ſandalium redit, ex Balduini non ſemel citati iudicio. *Si quis* (ait pag. 78.) *arbitrio locus, exiſtimo primùm ſandalia Græcis ea fuiſſe, quæ Romanis ſoleæ, ita vt elegantiora mulierum eſſent propria, minus elegantia viris etiam interdùm vſurparentur.* Turnebi hîc verò non prætermitti debet animaduerſio lib. 28. aduerſariorum: *Sandalia* (inquit, quæ muliebri præſertim ornatui potiùs quàm ſubſidio erant) *arte elegantiſſima, interdum etiam aurea.* (Addere potuiſſet & gemmea, ſiquidem vt auctor eſt Clemens Alexandrinus, in his non modò aurea velut donaria erant: ſed ipſorum aureorum ac gemmeorum varia erant artificia) ſua repoſitoria habebant, ne promiſcuè cum cæteris calceamentis deponerentur, ſed in thecis recondebantur quas σανδαλοθήκας appellabant. Selectis verò in hanc curam ſeruanda delegabant ſeruis, quibus ideò ſandaligerorum nomen inditum fuit. Sed de ſandaliis extra ſacrum vſum, plus nimio quæ dicta ſunt, mihi eſſe videntur. Iterum de ſandaliis infrà, ſed Eccleſiaſticis, de quorum forma cum Balduino ſæpè citato, & Duranti ineunda mihi ſuo loco erit amica velitatio.

Pædag. lib. 2. c. 11.

ARTICVLVS IV.

De Compagis ſeu Compagiis.

POSTQVAM de caligis diſſeruimus, ſuperuacaneum videri poſſet, cur inſuper de campagis vel compagiis hîc dicere aggrediamur: cùm pleriſque id ipſum eſſe cum caligis calceamenti genus, perſuaſum non

ignoremus. Balduinus hic pro omnibus qui ita ſentiunt vnus audiatur: ſic igitur ait c. 18. calcei antiqui. *Cuius autem illa campaga formæ, aut quæ calceamentorum ſpecies eſſent, ex Iulio Capitolino licet exſpiſcari, qui quidem in explicanda Adagione Caliga Maximini, apertiſſimè caligam, calceamentùm, & campagum, vt voces eiuſdem ſignificationis vſurpat. Deinde adiungit campaga Imperialia, etiam à caligis militaribus, diſſimilia fuiſſe tantùm, quoad ornamentum.* concludit tandem: *cultu ſanè pretio & colore, à caligis vilioribus fuiſſe diſtincta, par eſt credere.*

At differunt primò quoad nomen. quod ſanè diſcrimen vocale ſuperfluum foret, ſi idem eſſet vtriuſque ſignificatus: nomen enim dicitur quaſi notamen quo res vna ab alia diſtinguitur, diſcretáque intelligitur.

Secundò quoad rem: nam Trebellius Pollio ab ipſo Balduino citatus in Gallieno, manifeſtè caligas à campagis diſtinguit.

Tertiò quoad formam. Præter id enim quod campagum, ſicut caliga, tibiam æquè ac pedem circumtegit: hoc habebat à caliga diuerſum, quòd corrigiarum flexuris & implicaturis circumligabatur. Quamobrem Gallienus campagos reticulos appellabat, quòd reticulatim decuſſatimque multis circum crura flexuris, aliis ſuper alias ſcandentibus, innecterentur. *Caligas* (ſic legitur apud præfatum Trebellium) *gemmatas annexuiſſe dicitur, cùm campagos reticulos appellaret,* quorum ſcilicet obſtragula crebris & aptè diſtinctis inciſuris, retium adinſtar, feneſtrata erant.

Ab hoc decore nomen ſortitos illud proprium (quo à vulgi calceis internoſcerentur) antiquarij nonnulli volunt: campagos enim gerere erat dumtaxat Senatorum & Patriciorum. Diſtaſſe verò colore dumtaxat Imperatoris compagum à Senatorio, cenſet La Cerda. Verùm aliquid magis ſibi vult campagium regium. *Calceamentum eius* (ſcilicet Maximini Iunioris) *id eſt campagum regium*, inquit Capitolinus, *quidam in luco qui eſt inter Arziam & Aquileam poſuerunt.* Par

Aduerſariorum cap. 4. n. 2.

eſt credere Cæſarum compagos diſtinctos fuiſſe à Senatoriis, aliquo Imperij indicio, puta Aquilæ figurâ, quam poſterorum etiam Orientis Imperatorum ſpecioſis crurum integumentis fuiſſe expreſſam auro vel gemmis Balduinus inſinuat ex Georgio Codino lib. de off. aul. Conſt. p. 35. & Nicephoro Gregora l. 4. Id porrò ſingulare fuiſſe in eiuſmodi inuolucris tibialibus Imperatoris, ſubinde animaduertendum monet, quòd calcei eſſent purpurei, & clauis coccineo colore rutilarent, cæruleo autem inſigniti eſſent illi tibiarum amictus. Eodem colore etiamnum, inferiores illi ornatus regum Franciæ imbuuntur, ſparſim liliis (quæ regni ſunt inſignia) auro expreſſis. Id verò animaduertendum eſt, etſi ornatus huius variet parumper vocabulum, cùm eiuſmodi calceatus dicantur campagus, campagum, campacus, campacium, compagus, compagium, tam apud ſæculares quàm Eccleſiaſticos ſcriptores: idem tamen eſſe nomen, promiſcua ferè vocis ipſius expreſſio, & quæ vna vel altera tantùm littera diſſonat ſatis perſpectum facit. Vnde & quocumque legitur, pro eodem ſignificatu ſemper accipi ſolet atque debet. Eadem enim res eodem indicatur nomine, ſed paululùm diuersè pronunciatur. Cæterùm de re ipſa ſuo iterùm loco, ex Eccleſiaſticæ doctrinæ monimentis, infrà dicturi ſumus.

COROLLARIVM.

Quo conciliatur duplex difficultas, in huius capitis exordio præſtituta.

FACILE igitur eſt iam intelligere, quid ſibi S. Hieronymus voluerit, cùm calceamentorum nomine cenſuit ſandalia & caligas deſignari. Nempè quòd ſub genere comprehendantur ſpecies: ſandalia verò & caligæ ſpectent ad calceamenti genus, cùm ſpecie ſint res inter ſe diuerſæ. nihil igitur abſurdi iam ſequitur, ſi ſpeciem vnam prohibitam apud Matthæum & Lucam quiſquam reſpondeat, aliam apud Marcum permiſſam. Nec inſtare iuuat, apud Matthæum & Lu-

cam ipſum genus prohibitum, quamobrem non reſtare locum ſpeciei. Siquidem, etſi aliquando calceamentum pro omni pedis munimento aſſumatur., ſæpe ſæpiùs tamen, & maximè in ſacra ſcriptura (præſertim verò his locis quæ prænotauimus) calceamenti nomen pro ſpeciali pedum integumento aſſignatur, à quo cæteræ differunt ſuis modis calceatus ſpecies, quas ſigillatim ſuprà expendimus.

Hoc præſtituto ſyntagmate, facilior iam patet ad præfixæ, in huius capitis exordio, alterius difficultatis ſolutionem aditus. Non repugnat etenim, quòd Dominus calceos Apoſtolis ſuis prohibuerit; ſandaliis verò indulſerit iiſdem vti, vt S. Marcus diſertim commemorat c. 6. Verùm quò pleniùs, planiúſque, omnis quæ ſupereſſe poſſet hæſitandi circa Euangeliſtarum dicta, occaſio extricetur, operæ pretium fore cenſeo impræſentiarum ire diſquiſitum, num Dominus calceatus aut diſcalceatus prorſus inceſſerit? Apoſtoli verò an nudis omnino pedibus, vel aliquo præditi pedum munimento ab eo miſſi proceſſerint, ad verbum ſalutis per vniuerſum orbem diſſeminandum?

CAPVT II.

Chriſtum Dominum non nudis omninò pedibus ambulaſſe. Vbi incidenter de eius ſandaliis, & calceis glorioſæ eius genitricis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

SANCTVS Bonauentura, cùm B. Franciſci (quam amplexus fuerat) religionem impeti à pleriſque, inflatis inanis ſcientiæ typho intueretur: ad eius defenſionem primus omnium ſe accinxit, præclaráque edidit opera apologetica, quibus tam pium inſtitutum, ſtrenuè, piè, ac eruditè tutatus eſt. Hæc inter id nunc neceſſariò memorandum occurrit, quod aduerſus neſcio quem præconem conſcripſit, qui, vt ab exordio commeminit, coram peritorum multitu-

dine prædicauerat Christum Dominum, & suos sanctos Apostolos, non discalceatos, sed calceatos incessisse. Quam sententiam vt falsam, & sacris Euangeliis repugnantem reuictum ire præfatus Doctor Sanctus aggrediens, sic opusculum quod contrà edidit, prænotauit. *Quòd Christus, & Apostoli, & discipuli eius discalceati incesserunt*, &c.

Et certè qui oscitanter libellum eiusmodi legerit, vel solo titulo (vt plerique faciunt) inspecto, totum se cepisse auctoris intentum existimauerit: nonnihil ab ipso scopo deflectet, quin excidet potiùs, quem auctor ipse habuit menti suæ præfixum, & in quem omnem vim intendit suæ huius dissertationis.

Negat, ab ipso ferè eius exordio Dominum calceatum incessisse, illúdque mox vibrat ex B. Hieronymi pheretra * aduersam in opinionem telum. *Non habere Dominus poterat, quod seruos suos habere prohibuerat.* At verò insigni edicto vetuerat illos calceatos, seu ferentes calceamenta in pedibus; ad sui Euangelij prædicationem proficisci. Addi poterat præfatum S. Hieronymum itidem inficiari ** Christum caligas, seu vt ipsemet exponit, *calceamentorum onus & vincula pellium* habuisse, *quia milites vestimentis illius sorte discussis, caligas non habuerunt quas tollerent.*

* *Ep. 11. ad Ageruthiam, post medium.*

** *Ep. ad Eustochium, quæ serie est 22.*

Fulciri hæc etiam videtur opinatio, ex eo quòd ingresso Domino Simonis leprosi ædes, Magdalena pedes eius lachrimis rigauerit, vnguento perfuderit, exterseritque suis capillis. Siquidem Simon lotionem suam omiserat, quæ tamen administrari solebat hospitibus; vnde Christus ita de eo queritur: *aquam pedibus meis non dedisti.* Hospites enim quoniam absque calceis ingrediebantur, lotione ea quammaximè indigebant, qua Christus ipse Apostolos suos dignatus est, vltimam dum ad cœnam excepit.

Verùm hi obices parum firmi sunt, vt aduersam quæ asserit Dominum gessisse pedum munimenta sentẽtiam, queant conuellere. Vt enim ordine progrediamur, nihil lotio illa pedum Domini ad rem præsentem facit. Mos erat veterum, vt suprà ostendimus, cùm domi

reſiderent ſoleas ſeu ſandalia deponere ; maximè verò cùm pranſuri vel cœnaturi menſæ accumberent. Quòd verò milites, qui Saluatoris crucifixi inter ſe veſtimenta partiti ſunt, non memorentur caligas eius ſeu calceamenta ſuum in ius vendicaſſe, id inde factum coniicere licet, quòd tam vilis rei, ipſis à militibus non ſit habita ratio. Quatenus verò Chriſtus ſuis Apoſtolis calceamenta prohibuerit, ex iis quæ ad oram capitis ſuperioris prælibata ſunt, iiſque quæ infrà loco proprio conſignanda ſunt, facilè conſtabit. Nihil tamen, quod illorum, qui nudipedem Chriſtum inceſſiſſe ſibi perſuadent, opinationi ſuffragatum ire poſſit hinc elicietur : at ex aduerſo pleraque erit depromere, quibus labefactetur prorſus illa ſententia ; nullis certè nixa, (vt iam planè liquet) ſolidis fundamentis, at omni vera ratione ac auctoritate deſtituta.

Quod enim Chriſtus Dominus non diſcalceatus omninò inceſſerit, Clemens Alexandrinus ex Euangelio apprimè confirmat : tametſi iis calceis non vſum prudenter aſſeueret, qui elegantia operis, vel materiæ pretio ſuæ cœleſti doctrinæ videri poſſent refragari. *Tenuis ac ſimplicis calceaturæ* (ait) *teſtis ſufficit Ioannes, qui dicebat ſe non eſſe dignum ſoluere corrigiam calceorum Domini : non enim curioſos aut ſuperfluos is habebat calceos qui veræ Philoſophiæ typum Hebræis oſtendebat.* lib. 2. pædag. c. 11.

Luc. 5.
Ioan. 1.
τῆς λιτῆς ὑποδέσεως ἀπόχρη μάρτυς Ἰωάννης, οὐκ ἄξιος εἶναι ὁμολογῶν, τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων λύειν τοῦ κυρίου· οὐ γάρ τι τῶν περιέργων ὑπεδέδετο ὁ τῆς ἀληθοῦς Ἑβραίοις φιλοσοφίας, ὑποδεικνύμενος τὸν τύπον.

Sanctiſſimam eius matrem vſam calceis, duo ſunt quæ perſuadent : Primum ex Euangelio Lucæ depromptum eſt, vbi poſt conceptum Dei verbum ipſa Virgo benedicta viſura cognatam ſuam Elizabeth, perhibetur *abiiſſe in montana Iudææ cum feſtinatione.* Non verò ſaxoſam illam regionem properè ita tranſilire potuiſſet, ſi obnoxios habuiſſet pedes (vt pote omnis munimenti expertes) viarum adeò aſperarum patenti offendiculo. Alterum ex hac præfati Clementis Alexandrini doctrina colligitur, qui tametſi à calceorum geſtatione viros abducere ſtudeat, eorum tamen vſum fœminis neceſſariò concedendum agnoſcit. *Neque enim fœminam decet pedem oſtendere.* Nemo verò ignorare poteſt quàm

tenax & ſtudioſa fuerit Virgo Deipara caſti pudoris, decoríſque ac honeſti ſollicita. Quamobrem à tegumento pedum abſtinuiſſe eam, nec licet omninò ſuſpicari. Duplex autem cùm ſit calceorum vſus (inquit idem Clemens) alter ad tegendos pedes, alter ad propulſandas offenſiones, vtrumque fœminæ (idem ait) competere: primum propter ipſam ſexus honeſtatem, alterum quia alioqui mulieri tener eſt ſenſus, ne facilè ideò lædatur opus habet pedum munimento. Vnde & duas diuerſas calceaturæ ſpecies illi attribuit, candidos domi ſcilicet calceos, & extrà cùm illi peragrandum fuerit, qui fortiori compage conſtent: hóſque ſic & viris vtendos annuit, vt hoc ſubſidio à montanis aſperitatibus plantam pedum conſeruent. Quo ex vſu Chriſtum calceos & ipſum geſſiſſe aſſerit, ex Ioannis teſtimonio, ſcilicet non ad ornatum, ſed ad tutelam naturæ.

Et verò Chriſtum ſoleis ſeu ſandaliis calceatum conſueuiſſe inter homines verſari, tam illa S. Ioannis auctoritas euincit, quàm permiſſio ipſa ſuadet, qua Apoſtolis expreſſim vt calceati ſandaliis procederent ad præconium æternitatis, indulſiſſe, ex S. Marco memoratur. Eóque tandem recidit S. Bonauenturæ diſſertatio, vt ſandalia geſſiſſe Chriſtum fateatur, quæ ſuis diſcipulis ferenda conceſſit. qui ſanctus Doctor, de ſandaliis Apoſtolorum cùm etiam argumentum eliciat, quòd nonnulla etiamnum ex iis inter eorum memoriæ pignora in Eccleſiarum conſeruentur ſacrariis: nobis à pari licere innuit arguere, nam Chriſti ſandaliorum hactenùs reliquiæ ſuppetunt etiam in Gallia. Siquidem Auguſtæ Trecarum, in Eccleſia Cathedrali, pars Chriſti ſandaliorum honorificè aſſeruatur, cum pleriſque ſacroſanctis reliquiis. De quarum anniuerſaria celebri veneratione, hæc à nobis nóſtro in Martyrologio Galliæ, tertio Nonas Maij annotata ſunt: *Auguſtæ Trecarum, Dominica die infra feſtum Aſcenſionis Domini, fit celebratio ſanctarum reliquiarum ibidem conditarum, in ſacrario baſilicæ S. Petri; nempe de ſanguine & capillis Domini noſtri Ieſu Chriſti, de ipſius inconſutili tunica, de ſancto ipſius ſudario &* SANDALIIS, *de ſacroſancta eiuſ-*

dem corona spinea, de cruce in qua passus salutem nostram operatus est, &c. *Item capilli aliquot sanctißimæ eius genitricis.*

Cuius calceus Suessione in celebri Parthenona sui nominis, iamdiu repositus variisque opitulationum virtutibus hactenùs illustratus, magna in reuerentia habetur. Huius meminit Anselmus Gemblacensis Abbas in Appendice ad Chronicon Sigeberti, sub ann. 1129. quo de hoc Monasterio verba faciens: *Locus* (ait) *ille antiquißimus & nobilißimus, subtalare Sanctæ Virginis matris apud se continet:* Quod Locrius lib. 5. Mariæ Augustæ c. 30. soccum interpretatur, alij rectiùs calceum: nam ex corio confectus est. Hugo Farsitus librum proprium exarauit, qui hactenùs ineditus plerisque in musæis extat, *de miraculis sanctißimæ Dominæ nostræ Suessionensis*, vbi quadraginta insignia recenset, ad sacrum hoc pignus gloriosæ ipsius Virginis, diuinô beneficiô peracta. Cæterùm Aruernensis Ecclesia inter sacras suas gazas, reuerenter condita, sandalia beatissimæ ipsius Virginis Deiparæ se possidere gloriatur.

CAPVT III.

Sandaliis, vel soleis, caligisve instructis pedibus, Apostolos orbem (prædicando salutis nuntium) peragrasse: eorúmque Discipulos, ac fideles primitiuæ Ecclesiæ, & monachos veteres tam Græcos quàm Latinos, eadem præditos calceatura incessisse.

SANCTI Hieronymi præfixo programmati, videtur ex diametro hæc sententia obuersari: *Apostoli sine vinculis pellium, & onere calceamentorum, ad prædicationem noui destinantur Euangelij.* Sed tamen si benè expendatur, prædíctæ assertioni nostræ nullum imponit obicem: sicut nec quod ex actis S. Martialis, S. Bonauentura refert. *Sanctus Domini Martialis, ad prædicandum* (inquit) *non equo vehebâtur, aut asino, non quolibet iumento, nec calceamenta propriis induebat pedibus:*

pedibus, ſed iuxta Domini & magiſtri ſui ſententiam, quam ipſe ſibi & aliis Apoſtolis inculcare ſolebat, vt pergentes à ciuitate in ciuitatem non ſacculum neque peram tollerent, nec calceamenta: nudis incedens pedibus, imitator Chriſti atque B. Petri Apoſtolorum Principis, conſanguinei ſui, in omnibus quæ ipſe Dominus præcepit, exiſtere cupiebat. Patet enim ex eo quod verborum iſtorum duritiem, *nudis incedens pedibus*, addito ſubinde Chriſti & Petri exemplo attemperat, non intellexiſſe nudis plantis inceſſiſſe prædicando, Martialem; ſed pedum dumtaxat ſuperiori parte operimento non tecta, qua calceorum integumentis pedes deſuper conteguntur. Cæterà exemplum Chriſti ſectatum quem ſandaliis vſum ſuprà probauimus: Petri quoque quem eadem calceatura præditum conuincit, hæc Angeli ad ipſum, quam Lucas Act. 12. litteris conſignauit præceptio: *Calcea te caligas tuas.* In originali enim, quod Græcum eſt, pro caligis leguntur ſandalia, τὰ σανδάλιά σου. Sicque inſtructos proceſſiſſe non ſolùm Apoſtolos, ſed & eorum diſcipulos, præfatus S. Bonauentura exiſtimaſſe apparet, ex alio quod ſubiungit exemplo S. Frontonis: *qui* (inquit) *caſtra & vrbes*, &c. *calceatus tantùm ſandaliis peragrans, gentium cateruis diuini verbi ſemina erogabat.* Ponderare iuuat hæc præſertim verba, *calceatus tantùm ſandaliis*, quoniam & huiuſmodi calceatus vſum, Chriſtus ipſe Dominus Apoſtolis ſuis permiſerat Marc. 6. cuius verba, gloſſa ipſa quam allegat ad eorum elucidationem S. Bonauentura, breui at perſpicua hac annotatione, quo ſenſu accipienda ſint, inſinuat: *Calceatos ſandaliis*, ait Chriſtus, *vt neque pes* (ſubiungit gloſſa) *tectus ſit, neque nudus ad terram.*

Ita prorſus exponit S. Auguſtinus lib. 2. *de conſenſu Euangeliſtarum* c. 30.* quo cum Marco, Matthæum ac Lucam eximia interpretatione conciliat, docens illa tantùm calceamenta Apoſtolis fuiſſe prohibita, quæ totum pedem tegerent, quæque propriè ὑποδήματα ſiue calceamenta vocarentur. Sandalia verò pro more illius regionis illis fuiſſe conceſſa, quibus ſola pedis planta tegebatur, ſuperiore parte nuda & de-

* Tom. 4.

tecta. *Proinde* (inquit) *Marcus dicendo calceari eos ſandaliis, aliquid hoc calceamentum myſticæ ſignificationis habere admonet, vt pes neque tectus ſit, neque nudus ad terram: id eſt nec occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur.* Quia enim Dominus pro more illius gentis, maximè à pauperibus recepto, vtebatur ſandaliis: noluit ſuos diſcipulos in prædicationem ituros mutare ſandalia, aut de calceis comparandis eſſe ſollicitos; vt etiam habitu humilitatem, pœnitentiam, rerum terrenarum contemptum, & ſtudium ac amorem cœleſtium exhiberent.

Notâ dignum eſt verò ſpeciali, quod S. Bonauentura de ſandalio, vel ſolea S. Petri, cæterorúmque Apoſtolorum calceaturis, ex antiquis ſacrarum imaginum monimentis inſinuat*. Poſtquam enim indiſcriminatim hîc accipienda monuit ſandalia pro ſoleis, quibus etiam promiſcuè admiſcet caligas & perones. *Secundùm Papiam* (ait) *Caligæ dicuntur quaſi caligulæ: quia ſuper pedem alligantur, vel etiam quia calce ligantur, ſicut cernimus in ſolea S. Petri, quæ vſque hodie Romæ ſeruatur; & etiam in picturis & cælaturis antiquarum Apoſtolicarum imaginum & nouarum, in quibus omnibus vel cum ſoleis, vel nudis pedibus exprimuntur.* Tum ſtylum retorquens in erroris auctorem quem refellit: *Non tibi* (inquit) *blandiaris, cùm audis quia ſandalia ſunt caligæ,* &c. *vel calceamenta deſuper corium non habentia. Ridiculoſum igitur eſt valdè, quod littera tantùm hoc neget, quod clamant lapides. Interlineare autem, quo dicitur ſuper illo verbo, exemplum datur non ſine calceamentis ambulandi Angelo iubente, & Apoſtolo complente; ſoluatur per principium interlinearis vbi dicitur, caligæ ſunt calceamenti genus, & de illis intelligitur.* Hæc S. Bonauentura, quæ verbatim referimus non quòd probemus omnia (v.g. cùm dicit ſandalia & ſoleas ac caligas & perones idem eſſe: quàm ſint enim diuerſæ calceaturæ ex præmiſſis cap. 1. liquidò conſtat): ſed vt ex eius ipſius ſententia, ratum ac fixum habeatur, Apoſtolos non nudis omninò pedibus inceſſiſſe, ſed ſandaliis vel ſoleis ſubuectos, quod etiam infrà manifeſtum reddi aſ-

* Caluinus in *indice reliquiarum*, qui inter eius opuſcula editus eſt, ſignatim recenſet ſandalia, ſeu crepidas S. Petri: quarum alteram ait ſeruari apud S. Saluatorem in Hiſpania: alteram Pictauis. Meminit etiã caſulæ, quam cum Cathedra eius Epiſcopali Romæ ait oſtendi. Pariſiis verò in Eccleſia S. Stephani Græcorum (ſic enim ipſe nominat) indicari eius baculum paſtoralem. Nec refert quòd hæc omnia ſacra pignora irrideat: cui nihil ita ac Maiorum pietas odio, & Sãctorum memoria ludibrio fuit.

ſerit ex ipſis ſandaliis Apoſtolorum & Chriſti diſcipulorum, quæ vſque in hodiernum diem, in plerisque locis, ad huius veritatis adſtipulationem & deuotionem fidelium reſeruantur, v. g. S. Andreæ ſandalium, quod in Cathedrali Eccleſia Ouetenſi in Hiſpania, etiamnum magna cum reuerentia oſtenditur.

Cæterùm ex dictis iam habes, quomodo intelligi debeant Luciani verba, ſic habitum Chriſtiani hominis (ipſo Apoſtolorum tempore) deſcribentis. *Pallium putre, ſine calceis & tegmine, capite incedens detonſa coma.* In Philop. Nimirum, τὸ *ſine calceis*, ſic accipiendum eſſe, non quidem quòd nudis prorſus pedibus Chriſtiani procederent, ſed quòd calceos non portarent, quibus pedis ſuperficies tegeretur: at ſoleis vterentur tantùm vel ſandaliis, quibus munirentur plantæ, ſuperiori parte pedis abſque tegmine relicta; qualia ſunt iam, vt rectè Pancirollus *tit. de fibula* animaduertit p. 318. illorum Religioſorum ſandalia, qui Capuccini vocitantur.

Nec porrò eſt quòd hîc quiſpiam Tertulliani auctoritate abutatur, nudipedalia Ethnicis improperantis c. 4. Apologetici aduerſus gentes. *Aquilitia* (inquit) *Ioui immolatis, nudipedalia populo denunciatis.* Tum quòd qui nudis prorſus pedibus conuerſentur ex religionis voto nulli ſunt (ſaltem quos nouerim) inter Eccleſiæ Catholicæ cultores: aliquo enim pedum ſaltem inferiori munimine omnes religioſi præditi in publicum prodeunt. Tum quòd abſolutè nudipedalia Tertullianus non damnat, ſicut nec ſacrificia, ſed ſuperſtitioſum dumtaxat horum vſum: quòd ſcilicet in pſeudonuminum cultum, hæc officia alioquin non mala, imò bona, ſi affectu venerationis veri Dei fierent, ipſi Ethnici iactitarent: vnde pergendo ſubiungit: *Cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auerſi ab ipſo Deo & cœlo*: cuius veri æternique numinis intuitu, hæc pietatis officia exerceri poſſe, imò etiam difficiliora à Chriſtianis (cùm res exigeret) conſueta iam tunc obſeruari, idem Tertullianus continuò docet verborum nexu: *Nos verò* (in-

quit) *ieiuniis aridi, & omni continentia expreßi, ab omni vitæ fruge delati, in ſacco & cinere volutantes* (non voluntates, vt perperàm legitur in edito à Pammelio hoc Tertulliani codice*) *ineriâ cœlum tundimus, Deum tangimus, & cùm miſericordiam extorſerimus, Iupiter inuocatur,* ſcilicet à vobis miſerè excæcatis, qui quod noſtræ obſecrationi verus Deus, quem colimus, contulit, à veſtro pſeudonumine, Ioue præſertim, quem maximum adoratis, comminiſcimini profectum: ac per vos inaniter iactatis, ſolitis ſuperſtitionibus fuiſſe impetratum.

*vitio, vt reor, typographi.

Lib. 2. de hiſt. Euang. ad cap. Matth. 10. Marc. 3. & 6. & Lucæ 9. Biblioth. SS. PP. tom. 8.

Sed mihi hîc ferè exciderat præclarus Iuuenci poëtæ Chriſtiani (quem B. Hieronymus dilaudat ſuo in Catalogo) iſte verſiculus, quo à Chriſto diſcipulis prohibita recenſet tantùm ſuperflua, non verò prorſus neceſſaria,

Non geminas veſtes, nec plantis tegmina bina.

Vt ſit ſenſus, non quidem prohibuiſſe vt tunicam ferrent, ſed ne duas haberent, & ita omninò, calceamenta vetaſſe tantùm vel ſuperflua; bina ſcilicet, quorum altera pedibus indita ferrent, altera poſt illa detrita in ſubſidium reſeruarent futuræ penuriæ metu: vel ſanè ne geſtarent, quorum tegmen duplex extaret, hócque tam inferior pedum pars, quàm ſuperior operiretur.

Priſcis aſcetis, Apoſtolorum imitatione, in more fuiſſe ſoleis dumtaxat aut ſandaliis vti, adeò vt tibiæ nudæ eſſent, & pedum pars ſuperior detecta pateret, ex Patrum monimentis exploratum eſt. Luculentus eſt hac de re locus apud S. Gregorium Nazianz. orat. 12. quæ eſt 1. de pace, paulò poſt initium *, vbi ſui temporis quæ viderat monachorum pia exercitia, eleganti hac expreſſione deſcribit. *Omnia enim* (ait) *quæ in aliis cernebam, fomites mihi erant,* &c. *vigiliæ nempe, ieiunia, preces, lachrymæ, calloſa genua, pectoris conuerberationes, ſuſpirium ex imo manans, pernox ſtatio, mentis ad Deum peregrinatio, tenuis inter orandum fletus, audientium animos ad compunctionem incitans; pſallentes, Dei gloriam celebrantes; legem Domini die noctú-*

* *Tom. 1. edit. Pariſ. ann. 1630.*

que meditantes, exaltationes Dei in gutturibus ferentes: atque ètiam hac vita Deo grata pulchra indicia & argumenta, tacitique pracones, sordida nimirum & squalida coma, pedes nudi, & Apostolicos imitantes, nihil mortuum ferentes, apta & moderata tonsura, amictus fastum coercens, &c. Quo loco sic pedes nudos intellige vt Apostoli (quos ait hos ascetas in hoc ipso imitatos incessu) processerunt: nempè tibiis quidem non amictis, nudis verò pedibus in superiori parte, tametsi soleis esset inferior subuecta; quæ tamen non ex corio (expresè ait siquidem hos monachos nihil mortuum, quale pelles sunt gessisse:) sed ex ligno, aut alia materia.

Tritum est S. Hieronymi aduersus Iouinianum de eius peruersione, dicterium: *Anteà* (inquit) *nudo eras pede*, (cùm scilicet adhuc monachus erat) *modò non solùm calceato, sed & ornato.* At Ægypti monachos Cassianus commeminit à calceamentis quidem, quæ vetita Apostolis fuisse à Domino existimabant, prorsus abstinuisse: tantummodò autem caligis suos, aduersus aëris iniurias, & viæ offendicula, muniisse pedes; additque demùm Cassianus (qui caligas pro sandaliis se intelligere euidenter insinuat) licitè ab his hæc pedum munimenta perferri, *vt pote concessa Domini mandato.*

CAPVT IV.

Cur ordinis Leuitici Pontifici, ac Sacerdotibus, vti vllo calceatu, diuino in ministerio, non licuit: qui tamen noui æternique Testamenti sacris ministris concessus est.

EX Stephani Papæ & martyris decreto, quo vetuit Sacerdotes & clericos extra diuinum ministerium, & Ecclesiæ adyta, sacras vestes perferre: satis liquet præter has, eosdem habuisse vulgares, quibus induti prodirent in publicum. Cùm igitur semper Ecclesiæ Præsules, diuinis mysteriis studuerint magnam

impendere reuerentiam: locisque sacris, potissimùm verò altaribus, munditiem omnem adhiberi ac seruari intenta sollicitudine prospexerint, ex eo quòd externam puritatem indicem esse interioris non nescirent, quam Deus summoperè exigit suo in cultu ab omnibus hominibus, præsertim verò à suis ministris exhiberi *, quibus intemeratum præstare religionis decus incumbit. Idcircò curarunt ne sordibus vllis contaminaretur Ara Dei, Sacerdotésque diuinis mysteriis operantes, eum foris nitorem præ se ferrent, quem præcordiis insitum Deo exhibere obstringuntur. Quemadmodum enim, vt S. Augustinus testatur in Psal. 113. pretiosis instrumentis & vasis, in vsum celebrandorum sacramentorum vtebantur: sic & vestibus tanto ministerio congruis (prout de dalmatica cùm ageremus, perspectum ex veterum testimoniis fecimus) induebantur. Indecorum verò fuisset, vt quùm splendidis (vt S. Chrysostomus commemorat) fulgerent in Ecclesia vestimentis, sordidis calceis tererent loci sancti adyta, quæ pura & omnis immunditiæ expertia, ob sacrificij ipsius agni immaculati sanctitatem, par erat custodire.

* Vide S. Ambros. lib. 2. de offic. 21. vbi ait, *maximè Sacerdoti hoc conuenit ornare Dei templum honore congruo.*

Moysi ad rubum appropinquanti (è quo vox diuina ab eo audiebatur) iussum est, calceos quibus pedes indutus, huc vsque incesserat, confestim deponere: *Solue calceamenta de pedibus tuis, terra enim in qua stas, terra sancta est;* scilicet vt reuerentiam deferret diuinæ maiestati, quæ in loco hoc præsentiam suam exhibebat, vtque magna animi demissione ac veneratione, sciret sibi ad diuinum oraculum imò & colloquium accedendum. Ideo Sacerdotes Aaronici in tabernaculo nudis pedibus sua munia obibant, vt Caietanus his ex verbis elicit Exod. 3. 18. 19. *Facies & labrum æneum cum basi sua ad lauandum; ponésque illud inter tabernaculum testimonij & altare, & missa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas & pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare, vt offerant in eo thymiama Domino, ne fortè moriantur.* Furati sunt Ethnici sapientes hæc

vt cætera pleraque ex diuinis litteris. Vnde illud Hesiodi : *Illotis manibus sacra tractare nefas.* Aliúdque hoc dogma Pythagoræ : *Nudis pedibus sacrifica.* Quod tum alij, tum Lacedæmonij speciatim seruandum susceperunt.

Nostri tamen Pontifices & Sacerdotes celebrant calceati, non nudipedes : tum ob castitatem & verecundiam, tum quia duces sunt Christianæ militiæ, quin & ipsi Christi milites, qui parati semper esse debent ad dæmones strenuo conflictu profligandum, & ad Euangelium sedulò propagandum; ideóque vt monet Apostolus procedere eos oportet, *habentes calceatos pedes in præparationem Euangelij pacis,* Ephes. 6. vbi cum Theophylacto aliqui legunt *in confirmationem & defensionem Euangelij:* calceus enim symbolum est constantiæ, confidentiæ & animi intrepidi; qui enim nudipes est, timidè & pedetentim incedit, ne pedem alicubi offendat, quo læso stare nequit : at contrà calceatus audacter pergit, firmiter stat & concertat. Quamobrem Homerus Græcos milites Troiam obsidentes & expugnantes vocat ἐϋκνημῖδας Ἀχαίους, id est benè ocreatos Achiuos. Calceis enim militaribus, non tantùm planta pedis, sed & pes ipse ac tibia obtegitur, quo incedat læsioni minùs obnoxius. Adde quòd calceus symbolum est vsucapionis & dominij, itémque libertatis, (vt infrà cùm de arcana significatione Episcopalium compagiorum ac sandaliorum tractandum erit, accuratiùs ostendemus) è contrà denudatio pedum sit signum cessionis, abductionis in exilium, itidémque seruitutis.

Quæ omnia cùm abhorreant à statu legis gratiæ, Iudæis relinquenda, qui legis rigoris mancipia sunt, præclarè Leo magnus denuntiat serm. de ieiunio. *Habeant illi,* inquit, *nudipedalia sua, & in tristitia vultuum ostendant otiosa ieiunia,* &c.

Sæpè mihi subiit in animum hæc cogitatio, cur Deus tam splendido ornatu priscum Pontificem induisset, vt vndique fulgeret vestium sacrorum pulchritudine, capitique eius etiam tam speciosa imposuisset

inſignia, cidarim ſcilicet, mitram, laminam auream inſculpti ſui nominis maieſtate decoratam. *Nomen enim Dei portabat in fronte* (ait S. Hieronymus ep. 128. inter initium & medium) *& diademate ornatus erat Regis.* Cur inquam cùm omnem eius pulchritudinem ipſa diuina inſcriptio coronaret, totóque corpore à ſummo vertice vſque ad pedes, tam ſpecioſo coruſcaret amictu: pedibus tamen nullum haberet inſitum ornamentum, at ipſis nudis & planè detectis Pontificali officio fungeretur? Vno verbo plura concludam,
Heb. 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex*, ait Apoſtolus. Complementum iſtud Euangelio ſeruabatur. Quamobrem Chriſtus ipſe in Sacerdotali habitu, ſuo dilecto rediuiuus apparens, & facie & toto corpore multiplici refulgens ornatu, pedes quoque habuit proprio decore conſpicuos: *Pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Gerunt igitur & eius Pontifices ſpecioſa calceamenta in pedibus, quibus libertatem, gratiam & gloriam, quam nobis ſuis itineribus Chriſtus ipſe quæſiuit ac inuenit, conſpiciendo quiſque intelligat, myſtico ſenſu ſignificari: & ita impletum ſub regno eius (iuxta Apoſtolum Rom. 10.) Prophetæ Iſaiæ va-
Iſa. 52. ticinium cognoſcatur. *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona, prædicantium ſalutem, dicentium Sion, regnabit Deus tuus.*

CAPVT V.

De calceis, tam ſacris, quàm triuialibus Clericorum.

EX iis, quæ ſuperioribus capitibus dicta ſunt promptum eſt aduertere, alia fuiſſe apud veteres calceamenta virorum, alia mulierum: alia hiſtrionum tragicorum, alia comicorum: alia plebeiorum, alia magiſtratuum & principum. Ita & hîc iam liceat dicere apud Chriſtianos, alia fuiſſe laicorum, alia clericorum: alia ſacrorum miniſtrorum, alia antiſtitum; iterúmque horum ipſorum, alia triuialia quibus extra diuinum

diuinum officium vterentur, alia verò eum in vſum ſelecta, quæ gererent, dum ſacro munere fungerentur.

Et verò ne Clerici calceos ad genium & morem laicorum compoſitos vſurparent, Patres prouida diſpoſitione iampridem præcauerunt: ſiquidem in Concilio Carthaginenſi IV. c. 45. hac de re ſic legitur ſtatutum: *Clericus profeſſionem ſuam & habitu & inceſſu probet, ideò nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat.* Vide & can. inde depromptum, *Clericus* diſtinct. 41. & gloſſ. vilib. in extra. *Quorundam.* Ioannis XXII. Querebatur meritò Gerſonius canonicæ diſciplinæ à clericis nonnullis temeratum hac in parte tenorem. *Quid eſt*, inquit, *quod quarumdam Eccleſiarum Canonici calceis roſtrati, veſtibus accurati, abiecto clericali habitu, militarem aſſumant?* Dedit profectò hæc diſſolutio diſciplinæ Concilio Prouinciali Senonenſi anno 1528. occaſionem decernendi c. 24. *ne Clerici lunatis, ſeu cornutis ac nimis feneſtratis calceis vtantur.* Quod ratum habens decretum, vt cætera anteriora, ſacra Oecumenica Tridentina Synodus ſeſſ. 14. c. 6. decreti de reformatione, memorabilem hanc edidit ſanctionem, ad luxum adeò culpabilem coërcendum. *Quia verò, etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem & honorem clericalem paruipendentes, veſtes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus; Propterea*, &c. *pœniſque conſtitutis renouat Synodus ſpeciatim conſtitutionem Clement. 5. in Concil. generali Viennenſi editam, quæ incipit. Quoniam qui obiectis. lib. 3. Clement. Tit. de vita & honeſt. Cleric. c. 6.*

Sed in alio extremo verſantur, qui cum detritis veſtibus, & ſordidis calceis non modò publicè diſcurrunt: ſed nec dubitant ſanctuarium Dei introire, & ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebrare: cùm Turcæ & Sarraceni tantam ſuis Meskitis deferant reueren-

tiam, vt illotis pedibus in illas ingredi non audeant. Pudet dicere infideles illos, barbarósque sic confundere nostros plerosque sordidos Sacerdotes: quos ita accedere ad diuina mysteria, imò illa tractare (non sine ingenti dolore) conspicimus, tanta cùm incuria & negligentia, vt non temerè quispiam de iis existimare possit, ipsos nullum delectum ponere * *inter sacrum & profanum.* Qui præsunt sacris piè profectò ac religiosè facerent, si hos irruentes in sacra immundis vestigiis (vt nil deterius hinc de eis liceat suspicari) arcerent à sanctuario, & sacrificio celebrando, donec sordes quas Sanctis inferunt, eluissent, aut si egestas eos ita premit, vt calceos suo officio condecentes, habere nequeant: saltem iis commodarent pro mysterij actione reuerentiùs obeunda, mundas soleas vel crepidas; quas peracto sacrificio in sacristia relinquerent, cæterorum sacerdotum qui indigerent pari subsidio, vsui. Imò rectè & consultè facturos Ecclesiarum Præfectos existimarem, qui nullum permitterent sacerdotem ad aram oblaturum accedere, cum triuialibus calceis, quibuscum per vicos & plateas discurrunt, & sordes contrahunt, procul sacris à liminibus deportandas. Sanè dudum fuisse in Ecclesiastica supellectili sandalia, ad sacrificij ministerium, liquet ex testamento Leodebodi Abbatis apud Helgaldum Floriacensem monachum, in vitæ Roberti Regis Epitome. Sic enim in recensione rerum ab ipso Leodebodo legatarum, expressum extat. *Pari modo vasa dono argentea anacleta pensantia libras* III. *& vncias duas: Sandalia* II. *ad Missas, & oralia ad mensam, vnà cum cappis & omni apparatu, & vela* II. *acu picta.*

* *Leuit.* 10. 10. *Ezech.* 24. 26.

Dudum nonnulli fuere, (non his quidem hæreticis similes quos; Philastrius & Sanctus Augustinus commemorant*, vbique voluisse quosque Christianos sine vllis calceis incedere, mandati quod falsò prætendebant Domini & Apostolorum exempli æquè commentitij, fictitio nixi abusiuóque prætextu: at potiùs iis ex diametro oppositi) qui Iudæorum priscorum more nudipedalia ad aram vsque

* *Vide S. Augu. hæres.* 68.

affectantes, detectis suprà infráque prorsus pedibus Christianam hostiam immolandam esse, nec aliàs ad altare fas esse vlli accedere asserebant, zelo qui vera caret scientia plus æquo inflammati: quorum præcipitem magis quàm subdolum animum gloriosus Christi martyr & Pontifex Bonifacius, Germaniæ Apostolus refrænare studuit Synodica hac sanctione, ab ipso cum Franciæ primoribus Episcopis edita & promulgata, atque à Carolo Magno subinde suis inserta capitularibus lib. 5. cap. 219. *Vt omnis presbyter Missam ordine Romano cum sandaliis celebret: & hoc populo nuncietur, quod per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerant, & vt ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.* Citatur à Pithœo in Glossario breui super ipsa capitularia, Charta Caroli Magni, qua expressa mentio fit *de calceamentis secundùm Romanum vsum*, id est de sandaliis, quæ vt inferiùs luculentiùs demonstrabitur, non modò à Presbyteris, dum diuinis operarentur, at & Diaconis cùm solemniter ministrarent, imò & Subdiaconis reperiuntur olim in vsu fuisse, secundùm receptam tunc Romanæ Ecclesiæ consuetudinem.

CAPVT VI.

De Sandaliis Episcoporum.

PRÆTER plebeiorum, fuisse Senatorum ac Patriciorum peculiares pedum amictus, nulli est qui notitiam aliquam vtriusque antiquitatis tantillo iure profiteatur (vt reor equidem) incompertum. Sed neque peritis antiquitatis Ecclesiasticæ incognitum est, hac in parte etiam seruatum discrimen, adeo vt non omnibus Clericis iisdem pedum integumentis vti liceret: habitus est enim eiusdem delectus, vt non inferioribus quæ superioribus concessa erant gerere permitteretur. Sandalia sanè perferre minoribus Clericis nunquam licitum fuit. Etsi verò presbyteris, vt ex superiori auctoritate patet, hoc ornatu in sacrificio vti,

fuerit ex Romanæ Ecclesiæ ordine ac concessu indultum; quin & hoc ornamentum etiam Diaconis Sedis Apostolicæ speciali gratia, imò & Subdiaconis aliquando singulari priuilegio communicatum fuerit: extra sacri ordinis ministros, non tamen licentia ista processit. nam primario iure, hoc decus solis competebat Episcopis, à quibus inde per indulta munifica in primarios altaris ministros cœpit paulatim deriuari, donec tandem cum profusiori vsu, res quæ in pretio antè habita fuerat vilesceret: consultius visum est eam ad strictiorem vsurpationem reuocare. Et cùm durum tamen videretur, ob sacerdotij dignitatem hoc vsu interdicere presbyteros: satius fore summi Ecclesiæ præsides iudicarunt, presbyteris quibusdam insignioris notæ, hanc facultatem impertiri, nempe Abbatibus, qui post Episcopos spectatiores in Ecclesia esse cœperant; nec tamen vniuersis, sed iis tantùm qui ob loci claritatem à Sede Apostolica fuissent idem priuilegium consecuti, vel alia ratione promeriti; aliis verò presbyteris ob immensam illorum multitudinem, de cætero gerere sandalia non liceret: consequenter verò Diaconi omnes, ac Subdiaconi hoc vsu prohiberentur. Ordine ista iam aggredimur sigillatim demonstrare.

Et verò quod spectat Episcopos, qui Apostolorum successionem ipso Sacerdotij apice (quo præcellunt omni clero) sunt diuina institutione consecuti; meritò censuit Ecclesia, vt quorum vice populo Dei pręsunt, gradus etiam honoribus, & honorum insignibus fruerentur. Sandalia Dominus Apostolos suos, quos ad mundi salutem gratiæ suæ nuntios ac dispensatores delegauit, habere voluit in pedibus, cùm orbem peragrarent. vt igitur populus Christianus, Apostolos in Episcopis quasi rediuiuos conspiceret, ac eorum in locum sublectos, ad salutis ministerium exequendum, ipsos Antistites, eadem venerationis obseruantia exciperet: insignia quædam eis attribuit, speciatim verò sandalia pedibus ipsorum indidit, quorum aspectu in intuentium oculis Apostolorum excitaretur memoria, simul & erga eorum successores reuerentia conciliaretur:

hócque ipſo calceatu Epiſcopi ſui officij commonefierent, huius ſcilicet, quod ſuperno irradiatus lumine Propheta prænunciauit, atque præ ſua excellentia admiratus eſt, vbi ait: *O quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Ea nimirùm quæ vt ipſe dicit, oculus non vidit, nec auris audiuit, nec cor hominis comprehendit, ſed Deus diligentibus ſe præparauit. *Iſa. 52.*

Non vſu receptum tamen, vt Epiſcopi, Apoſtolicâ calceaturâ, ſicut nec cæteris ſacris inſignibus vbique inſtructi progrederentur: ſed tantùm in Eccleſia, maximè cùm obeundum actu illis incumberet Pontificale munus. Porrò ritus eſt iſte vetuſtiſſimus, quo cùm ordinantur, cum cæteris Epiſcopalis dignitatis ornamentis etiam ſuſcipiant ſandalia. Hinc Beda venerabilis in opuſculo *de ſeptem ordinibus*, (extat inter collectanea & flores ad calcem Tom. 3.) ſpeciatim inter Epiſcopales ornatus ſandalia annumerat. Sequitur Magiſtrum ſuum Alcuinus lib. de diuinis officiis cap. *Quid veſtimenta ſignificent*, ipſo in exordio. Amalarius lib. 2. de Eccleſ. off. c. 25. de iis agit diffusè; Rabanus de ord. Antiphonarij cap. 22. per totum; Walfridus Strabo lib. de rebus Eccleſ. c. 23. ſub oram obiter; Iuo Carnotenſis ſermone quem habuit in Synodo de ſignificationibus indumentorum ſacerdotalium, inter medium & finem: Rupertus Abbas lib. 1. de diuinis off. integro cap. 24. Innocentius III. lib. 1. myſteriorum Miſſæ c. 48. Durantus Mimatenſis Rationalis diuinorum officiorum lib. 3. c. 8. prolixè, & alij recentiores.

Mirum tamen quod in Sacramentario S. Gregorij, vbi de Epiſcopi ordinatione agitur, & cætero contextu toto, nihil ſit de ſandaliis memoratum: Magis mirum quòd Ioannes Diaconus, qui Iconas deſcribendo ipſius S. Gregorij, & Gordiani ac Syluiæ eius parentum, ipſi Gordiano ſandalia in vſu fuiſſe ſicut calceos Syluiæ inſinuat: ſileat tamen penitùs de S. Gregorij ſandaliis. Lapſu memoriæ id factum Angelus Rocca imaginum illarum illuſtrator, & dictorum Ioannis ipſius Diaconi ſolers ac accuratus Scholiaſtes arbitratur,

qui ſandaliorum Pontificalium annoſiorem longè iudicat ipſa in Romana Eccleſia eſſe vetuſtatem. Parùm verò refert quòd S. Gregorius in Sacramentorum lib. eiuſmodi ſandaliorum non meminerit; obiter enim deſcribit Epiſcopi ordinationem, nec ſacros recenſet ornatus. At in ordine Romano, quem primùm à Gelaſio exiſtimant nonnulli concinnatum, ſub titulo, qualiter Epiſcopus debeat ordinari; ſignatim ponitur *oratio ſuper ſandaliis & campagis quæ induturus eſt, ab Epiſcopis proferenda.* Cuius hic tenor eſt: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui es initium & finis, fac iſtum famulum tuum N. fratrem ſcilicet noſtrum tua benedictione calceari pedalibus iſtis in præparationem Euangelij pacis. Per,* &c. In veteri Miſſa quam doctiſſimus Menardus excerpſit è codice Ratoldi Abbatis Corbeienſis (qui ante annos fermè 700. obiit,) poſtquàm à miniſtro ſibi delatas caligas, vſque ad genu tendentes, in ſecretario induit Epiſcopus, ita orat: *Totius honeſtatis auctor Deus, ad reprimendas antiqui hoſtis verſutias per noſtræ ſeruitutis miniſterium, iube ſanctificari has caligas, vt & in ingreſſu reſplendeat Euangelij veritas, & mente, fidei exerceatur integritas. Per,* &c. Deinde miniſter dat ſandalia, & reſpondet Epiſcopus: *Indue me Domine calceamentis iuſtitiæ, quem Ioannes vidit veſtitum pudore, vt poſſim tibi omni tempore cum timore ſeruire.* In Romana Eccleſia morem hunc dudum inoleuiſſe, vt Subdiaconus ſummo Pontifici ſandalia applicaret, cùm erat ſolenniter ſacro apparatu adornandus: veſtigium ſpectare licet huius obſeruationis in Concilio generali II. Lugdunenſi ab Innocentio IV. celebrato: ſic enim memoratum reperi in actorum eius ipſo ferè exordio. *Dominus Papa circa horam Miſſæ deſcendens de camera ſua, in ipſam Eccleſiam præparato ſibi faldiſtorio in choro, conducentibus eum duobus Diaconis Cardinalibus, vt moris eſt, dixit Tertiam & Sextam, quia erat dies ieiunij, quibus finitis Subdiaconus venit cum ſandalibus & calceauit eum.* Hoc officio functos iamdiu anteà Subdiaconos, , licet ex his quæ narrat Anaſtaſius Biblioth. expiſcari, in Stephano IV.

CAPVT VII.

De Campagis, ſeu Compagiis, itidem Pontificis.

SIC enim ſcribit de Conſtantini pſeudopontificis abdicatione, *accedens Maurianus Subdiaconus, orarium de eius collo abſtulit, & ante pedes eius proiecit, & compagos ipſius abſcidit.* Cambagos appellat ordo Romanus præcitatus, quos, ante ſandalia, recipiebat Epiſcopus cùm ordinaretur. Porrò Liturgicus Rotaldi codex, manifeſtè hos diſtinguens à ſandaliis, caligarum vocabulo deſignat. *Deferat* (inquit) *caligas vſque ad genua tendentes, deinde ſandalia;* nam ſandalia ſunt pedum indumenta, campagi ſeu compagij tibiarum. Hinc verò refellitur auctor gloſſ. *Compagis* in can. *peruenit* diſt. 89. vbi ait *Compagis id eſt ſandalibus, & dicuntur compagi ſandalia, vel caligæ Epiſcopales;* & gloſſ. ſuper ſummam quartæ partis huius ipſius diſtinctionis, *Compagi id eſt ſandalia.* Quàm enim ineptè hîc caligæ cum campagis, & compagi cum ſandaliis confundantur, ex his quæ præmiſſa ſunt redditur omninò exploratum.

In Pontificali Romano recognito auctoritate Clementis VIII. tit. de conſecratione electi in Epiſcopum, vbi enumerantur quæ ipſi imponenda ſunt Pontificalia ornamenta, ſandaliorum fit expreſſa mentio, nulla compagorum. Attamen Innocentius III. diſtinctè tam horum quàm illorum meminit lib. I. de myſteriis Miſſæ c. 48. quo agit diſcretim de vtriſque. *Inter hæc,* inquit, *pedes Pontificis in præparatione Euangelij pacis caligis & ſandaliis calceantur.* Et infrà: *Sandalia,* inquit, *deſubtus integram habeant ſoleam, deſuper autem corium feneſtratum.* Et ſub finem capitis. *Priùs autem,* ait, *caligis induitur vſque ad genua protenſis, ibique conſtrictis.* Quibus verbis etſi caligas idem eſſe ac compagos cenſeat, has tamen apertè diſtinguit à ſandaliis. Tametſi verò Pontificale Romanum recèns

præcitatum, in recensione Episcopalium ornamentorum sileat prorsus de compagis & caligis, sed sandaliorum dumtaxat memoretur: vsus tamen antiquus etiamnum perdurat, vt primùm compagos seu caligas induat Episcopus, deinde assumat sandalia, ita re ab his vt nomine distincta. Vnde liquet in ipso Pontificali sub sandaliorum vocabulo, etiam compagos, seu caligas comprehendi, quasi præcipui insignis denominatione.

Attamen quando accuratè loquendum est, hæc non debent Episcopalia ornamenta permisceri: minùs verò hæc ipsa quasi iure proprio attribui, iis quibus non competit ipso iure. vnde est quòd durè Papiam elocutum censeamus, cùm ita campagum seu compagium descripsit. *Compagi*, inquit, *calceamenti genus quo vtebantur Diaconi Romani, vel quibus à Pontifice licentiæ darentur.* Quasi verò primordiali iure, horum insignium vsus ad Episcopos non spectaret: Diaconis verò Romanis non accessisset ex solo priuilegio, quo ob Sedis Apostolicæ maiestatem, illos summi Pontifices decorarunt; aut Episcopi, qui dum hos calceatus gerunt suo iure vtuntur, id honoris essent ex mero priuilegio adepti.

Ægrè reuera tulit pridem S. Gregorius Diaconorum Catanensis Ecclesiæ temeritatem, qui sine vllo Apostolicæ Sedis indulto sibi compagos arrogarant. *Peruenit ad nos* (scribit ad Ioannem Episcopum Syracusanum) *Diaconos Ecclesiæ Catinensis calceatos compagis procedere præsumpsisse: quod quia nulli hactenùs per totam Siciliam licuit, nisi solis tantummodo Diaconis Ecclesiæ Messanensis, quibus olim à prædecessoribus nostris non dubitatur esse concessum, benè recolitis. Quia verò tantæ temeritatis ausus non est leuiter attendendus, cum omni hoc fraternitas vestra subtilitate perquirat. Et si ita sicut ad nos peruenit, inuenerit verum esse, vtrum vel à se, vel alicuius hoc auctoritate præsumpserint, nobis subtiliter innotescat* (id est notificet) *vt cognita veritate, quid fieri debeat disponamus. Nam si negligenter ea quæ malè vsurpantur, omittimus, excessus viam aliis aperi-*

aperimus. Hæc S. Gregorius, qui cùm ſolos Diaconos, exceſſus hac in re arguit, nihil verò de Epiſcopis queritur ac presbyteris : his id non fuiſſe prohibitum ſatis euidenter innuit. Quorſum enim à ſuis deceſſoribus, vnius Eccleſiæ Meſſanenſis Diaconis ſpeciali priuilegio id fuiſſe fateretur indultum : quod conſtaret non modò presbyteris, ſed & Epiſcopis eſſe communi iure vel more denegatum? Exceptio certè firmat ius in cæteris. Toletanum IV. Concilium S. Gregorij intentioni inhærens, qui Diaconos compagis vti prohibuerat, etiam his ſpeciali decreto vetuit, niſi ſpeciali licentia hanc facultatem à Sede Apoſtolica impetraſſent. *Compagis vero calceari* (ait Synodus) *abſque Apoſtolica licentia non permittitur Diaconis*. Ergo licebat presbyteris, multò magis Epiſcopis. Aliàs presbyteri fuiſſent eiuſmodi interdicto etiam ſpecialiter conſtringendi. *Diſt. 89. can. peruenit.*

CAPVT VIII.

Presbyteris ſandaliis vti in Eccleſia, pridem licuiſſe : ſed ab Epiſcopalibus diuerſis : quin & ad Diaconos quoque, imò & Subdiaconos, aliquando horum traductam geſtationem.

EX Synodica Sanctione Bonifacij Epiſcopi & Martyris, cum Franciæ Epiſcoporum ſuffragio edita, atque inter Capitularia Caroli Magni recenſita, planum ſuprà fecimus, non tantùm licuiſſe presbyteris Miſſam cum ſandaliis celebrare, verùm etiam hoc eis mandatum, congruenter Romanæ Eccleſiæ conſuetudini : *Vt omnis presbyter Miſſam ordine Romano, cum ſandaliis celebret*. Et quidem venerabilis Beda libello de ſeptem ordinibus, cùm ſacras veſtes connumerat: *Induant quoque* (ait) *Sacerdotes pedes ſandaliis*. vbi de induſtria videtur non dixiſſe Pontifices, ſed Sacerdotes, quoniam hoc vocabulum vtroſque tam maiores ſcilicet, quàm minores; Epiſcopos nimirum & presbyteros denotat atque comprehendit. Eodem pro-

ſpexiſſe videtur Alcuinus lib. de diuinis off. cap. *Quid ſignificant veſtimenta*, ipſo in limine quo ſcribit: *ſandalia dicuntur ſoleæ. Eſt autem genus calceamenti, quo induuntur miniſtri Eccleſiæ.* Si enim inſinuare voluiſſet hoc calceamenti genus proprium eſſe Epiſcoporum, certè non dixiſſet latiori deſignatione id ipſum eſſe vſui Eccleſiæ miniſtris: iis ſcilicet quibus competit (vt ſubiungit paulò pòſt) *miniſterium verbi Dei.* Id verò muneris incumbere poſt Epiſcopum presbytero, nemo ignorat, qui vel Epiſcopum, dum conſecrat presbyterum, audierit eum ſic alloquentem; *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare*, &c. Rabanus lib. de ord. Antiphonarij c. 22. vſum quoque ſandaliorum in ſacris, omnibus indifferenter ſacerdotibus adſcribit. *Induunt quoque* (ait) *ſacerdotes pedes ſandaliis ſiue ſoleis, quod genus calceamenti Euangelica auctoritate eſt eis conceſſum.* Walfridus lib. de rebus Eccleſiaſticis, ſic veſtes Eccleſiaſticas recenſet, ſcilicet dalmaticam, albam, mappulam (ſeu manipulum) orarium, cingulum, ſandalia, pallium: vt hoc vltimum ſubinde adiiciat ſolis ſummis Paſtoribus conuenire. Cætera tam minoribus quàm maioribus ſacerdotibus, ſeu vt loquitur Paſtoribus, nempe Epiſcopis & parœcis, ſubindicans æquè communia eſſe. Sed Amalarius Fortunatus omnium diſertiſſimè ſandalia presbyteris aſſignat; ſolúmque diſcrimen ſatis exiguum inter ſacerdotalia & Epiſcopalia ſua ætate interpoſitum fuiſſe teſtatur lib. 2. de Eccleſ. off. c. 25. vbi etiam mirè philoſophatur circa horum & illorum differentiam: *Varietas ſandaliorum, varietatem miniſtrorum pingit. Epiſcopi & ſacerdotis penè vnum eſt officium. At quia nomine & honore diſcernuntur, diſcernuntur etiam varietate ſandaliorum, vt viſibus noſtris error auferatur, qui poteſt intereſſe propter ſimilitudinem officij. Epiſcopus habet ligaturam in ſuis ſandaliis, quam non habet presbyter. Epiſcopi eſt huc illúcque diſcurrere per parœciam* (id eſt diœceſim) *ad regendam plebem, ne fortè cadant ſandalia de pedibus, ligata ſunt. Ex eo poteſt ſciri, quantum ei neceſſe ſit firmare greſſus mentis, quo in turbis populorum ver-*

ſatur. Presbyter, qui domi hoſtias immolat ſecuriùs incedit. Hæc Amalarius. Cuius ex dictis apertè conſtat etiam presbyteris tunc in more fuiſſe, ſub ipſorum Antiſtitum obtutibus, ideóque & de eorum conſenſu, ferre ſandalia, ſed parumper ab iis diſtincta, quibus Epiſcopi vtebantur. Quæ tamen differentia tempore S. Gregorij nondum forte inoleuerat: nam ipſe lib. 3. Dialogorum c. 20. Stephanum presbyterum enarrat moribus commendabilem, *qui caligas corrigiis ligatas gerere ſolebat.* Quibus ſi ſandalia addantur, quæ ex ordine Romano, Synodica Bonifacij Epiſcopi & Martyris auctoritas decernit presbyteros dum ſacris operantur, induere: vix potuiſſet inter Epiſcoporum ac presbyterorum calceaturam, aliqua dignoſci diſtinctio. Verùm fortè non à forma vel materia, ſed à colore, ſandalia ſacerdotum à Pontificalibus differebant (Amalarius lib. 2. c. 25. hæc albo corio circumtecta fuiſſe memorat;) aliquod enim ob rationes ab Amalario aſſignatas, debuit intercedere diſcrimen, quo Epiſcopalis eminentia intuentium oculis foret in proſpectu. Siquidem etſi dalmatica ex antiquiſſimo Eccleſiæ more etiam Diaconis ad ornatum fuerit conceſſa, non tamen Epiſcopali vndequaque erat conſimilis, ſed vel ſtrictior ambitu, vel longitudine breuior, aut decore inferior: quamobrem in Romano ordine dari (ante Lectionem Euangelij, *deſignauit Dominus*, &c.) præcipitur electo in Epiſcopum cùm conſecratur, *maior dalmatica*, tam ad *minoris* ſcilicet diſtinctionem, quam ſuper lineam & anaboladium induerat, quàm & eius differentiam quæ perferri à Diacono conſueuerat.

Demùm & Diaconis poſt tempora S. Gregorij & IV. Concil. Toletani vſum ſandaliorum quoque, vel ex Sedis Apoſtolicæ indulto, vel conniuentia Epiſcoporum acceſſiſſe, mihi prorſus compertum eſt. Aſſerunt quidem, ſed non probant, hunc vſum fuiſſe Diaconis æquè ac Epiſcopis & presbyteris familiarem, doctiſſimi Stephanus Duranti lib. 2. Rituum Cath. Eccl. c. 9. §. 21. in fine; & Angelus Rocca in ſuis elucidationibus ſuper S. Gregorij & eius parentum, deſcriptas

à Ioanne Diacono vetuſtiſſimas imagines (quæ extant tom.1. operum S.Greg. pag. 470. & ſequent.) At ſiquis vnde id liqueat expoſtulet, petitioni eiuſmodi operæpretium cenſui præuertere. Sanè Alcuinus ſandalia promiſcua ſua ætate fuiſſe inſinuat Eccleſiæ miniſtris, quibus miniſterium eſſet verbi commiſſum. *Significat enim* (hoc indumentum, inquit) *miniſtrum verbi Dei non debere terrenis incumbere, ſed cœleſtibus inhiare, & prædicationem ſuam nulli occultare.* Has autem Diaconi quoque eſſe muneris partes, ipſa verba quibus eum Epiſcopus alloquitur ac inſtruit, dum ordinat, perſpicuè docent: quæ itidem ad ſandaliorum ſignificationem appoſitè accommodantur; ſic enim ordinandos etiamnùm compellat Diaconos Epiſcopus, ex Pontificalis Romani præſcripto: *Curate, vt quibus Euangelium ore annunciatis viuis operibus exponatis, vt de vobis dicatur; Beati pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: habete pedes veſtros calceatos Sanctorum exemplis in præparatione Euangelij pacis, quod vobis Dominus concedat per gratiam ſuam.* Sed ne coniecturis ludere hîc cuipiam poſſim videri, eſt in promptu manifeſta hac de re teſtificatio Amalarij Fortunati, citato iam loco non ſemel (nimirùm l. 2. c. 25.) non modò aſſerentis, varia eſſe ſacrorum miniſtrorum ſandalia, ſed etiam illorum differentiam exprimentis. diſſimilia enim eſſe quæ à presbytero geſtantur, ab iis quæ ferre ſolet Epiſcopus: ne ſcilicet dignitatis diſcrimen fugiat ab intuentium aſpectibus, qui videntes presbyterum penè eodem cum Antiſtite officio fungi, vix hunc ab illo poſſunt ire diſcretum: *Sed Diaconus quia* (inquit) *Epiſcopo diſſimilis eſt ab officio, non eſt neceſſe vt habeat diſſimilia ſandalia.* Ligaturas igitur habebat (vt idem auctor ſubiungit) quibus vt calceatu firmior, ſic & motu fieret expeditior ad circumcurrendum.

Mirum quod continuò annectit, à Subdiaconis quoque ſuo ipſo æuo geſtata fuiſſe ſandalia, ſed quæ à Diaconorum ſandaliis forma nonnihil diſcreparent. *Subdiaconus* (addit) *quia in adiutorio eſt Diacono, & penè in eodem officio, neceſſe eſt vt diſſimilia habeat ſandalia,*

ne fortè Diaconus æstimetur. Sed de hoc vsu, imò potiùs abusu sandaliorum à Subdiaconis vsurpatorum, vix alia suppetunt auctorum testimonia. Et verisimile est tardè ortum illum, antiquis incognitum, nec vnquam Sedi Apostolicæ probatum morem, citò citiùs etiam exoleuisse: nam post Amalarium qui primus huius meminit, nullus est quem legendo obseruauerim, alicuius nominis Rituum sacrorum tractator, qui vel minimam de tam aperta sandaliorum abusione, fecerit mentionem.

CAPVT IX.

Cardinalibus primùm tam Presbyteris quàm Diaconis, sandalia à Romanis Pontificibus concessa: deinde etiam communicata Abbatibus insignioris notæ, ex speciali priuilegio.

EX Canone *peruenit*, dist. 93. iam aliquoties memorato, planum fit compagiorum vsum Messanensis Ecclesiæ Diaconis fuisse à summis Pontificibus impertitum, *iisque in Sicilia solis* (ait eo tenore S. Gregorius.) Vnde cùm Catinensis * Ecclesiæ eadem in regione Diaconi, idem sibi calceaturæ decus arripuissent: iussit idem sanctus Pontifex de eorum illicita præsumptione inquiri. Scilicet quòd priuilegium hoc natiuum esset Diaconorum Romanæ Ecclesiæ, quod vt parcè aliarum Ecclesiarum ministris summi Pontifices communicabant: ita pati non poterant, ab aliis quàm iis quibus id contulerant honoris commercium vsurpari. Si Papiæ credimus ante priuilegia eiusmodi, campagi proprium calceamentum erant Diaconorum Romanæ Ecclesiæ. Deinde per veniam Pontificum hæc insignia Ecclesiastici honoris (quæ cum sandaliis iuris sacri, non ita rectè, permiscent aliqui Scholiastæ) fuisse innuit ad alios Diaconos quarumdam Ecclesiarum deriuata. Sensim verò, vt ex dictis superiori capitulo colligitur, promiscuè ab omnibus gestata huius ordinis Cle-

* Catanensis

ricis, ſi non ex generali facultate, ſaltem ex continuata tolerantia ſummorum Pontificum, & localium Epiſcoporum diuturna conniuentia.

Tametſi verò, vt ex Concil. Pontigonenſi patet (coacto Ioannis Papæ auctoritate, ac celebrato in Caroli Calui Francorum Regis & nuperi Imperatoris præſentia, à Legatis Apoſtolicis) Romani Clerici propriam ſeruarint ſibi perpetuo vſu ſacrorum indumentorum eminentiam: adeò vt tunc veſtiti fuiſſe *more Romano* ſpecialiter memorentur, qui fortè aliorum veſtibus Eccleſiaſticis præſulum ac clericorum, formâ, decore, pretio antecellebat. Numero tamen eadem fuiſſe par eſt credere omnium ornamenta, cùm à ritualibus auctoribus illius ſæculi, nulla fuiſſe conſignentur in vſu Romanæ Eccleſiæ: (quod præſertim ſpectat ad altaris, quod ſummum eſt omnium miniſterium;) quæ in cæteris quoque Eccleſiis Occidentalibus non vſitarentur.

Poſt millenarium Chriſtianum, orbis terræ vniuerſæ ferè Eccleſiæ, facies ex vetuſtate ædificiorum ſqualidas, extructis ferè vbique ſplendidioris formæ ac amplioris fabricæ templis, innouarunt: laxatáque ex barbarorum per Occidentem potiſſimùm incurſibus & ſchiſmatum conflictatione, ac temporis ipſius vniuerſali ferè corruptela (ſalua nihilominus per omnia fide) Reipublicæ Chriſtianæ nonnihil diſciplina; ſummorum Pontificum (quos Eccleſiæ ſuæ, tunc Deus cùm maximè opus erat, optimos dedit) Paſtorali ſtudio ac virtute, priſtinum ad vigorem reuocata eſt: frequentiores habiti Eccleſiaſticorum procerum conuentus. In quibus ordinis ac politiæ canonicus, etiam vindicatur tenor. Quæ igitur, vel ex præſumptione quorumdam, vel incuriâ irrepſerant, cohibita: quæ ſuperflua viſa ſunt, abolita, Clerus priſtino decore recepto in omni pietate ac doctrina mirabiliter refloruit, Eccleſia quaſi germinans germinauit, vbique ſanctitatis ac iuſtitiæ incrementis cœleſti munere locupletata.

Mores Cleri ac populi, non enim ſatis fuit ſummis Chriſtiani orbis paſtoribus, ſolerti cura emendare, fi-

dem asserere, religionem etiam illustrare modis omnibus studuerunt. Cùm igitur omnia ab ordine pendeant, quo idcirco Apostolus in Ecclesia fieri * præcipiebat; ordo verò subsistere nequeat, *vbi omnia* (ait Leo Magnus) *sibi singuli Ecclesiæ rectores, vel ministri vsurpent.* Ideò etiam prudenter censuerunt Pastores Ecclesiæ supremi, vel minimos inferiorum excessus sui esse partes officij reprimere, ac præscribere omnibus propriam oneris ac honoris mensuram. Cùm itaque superioribus sæculis inferiores Ecclesiæ ministri, sibi nonnulla Episcoporum insignia vsurpassent, ac ni occurreretur tandem eiusmodi præsumptionibus, verendum esset, ne cætera sibi pedetentim arrogarent: satius visum est illis, inconcessa adimere, quàm exitiali conniuentiâ sinere in alios erumpere non absimiles, & forte grauiores ausus.

* 1. Cor. 14. 40.

Hinc solis Episcopis, & præcipuis Cardinalibus (quibus iam olim fuerat præhabitus honor) summa auctoritate vindicati sunt ac asserti Pontificiorum insignium ornatus, demptæ presbyteris dalmaticæ, Diaconis & Subdiaconis sandalia; quæ etiam interdicta Sacerdotibus, non ob ordinis indignitatem, sed ob effusam illorum multitudinem; tantúsque rigor in his coercitionibus adhibitus est, vt resectionem priuilegiorum antiquorum ordo spectatissimus S. R. E. Diaconorum aliquam pateretur.

Insignis locus mihi suppetit, quo illud perspectum efficiam, apud Iuonem Carnotensem qui primo sæculo à millenarij Christiani elapsu, Antistes in Gallia summa eruditione ac sanctimoniæ laude florebat, fuitque omnium sui temporis peritorum canonicæ doctrinæ ac Ecclesiasticæ disciplinæ scientissimus: Is siquidem luculento illo Synodali sermone, quem habuit *de rebus Ecclesiasticis*, de indumentorum sacerdotalium significationibus differens, hæc de *sandaliis* signatim ait: *Vtuntur Episcopi & Cardinales presbyteri sandaliis; quæ calceamenta sunt prædicatorum:* Quæso etenim, si etiam tunc eadem insignia Diaconi Cardinales gestassent, cur non dixisset absolutè, hæc ab Episcopis & Cardi-

nalibus perferri? Trium ſunt claſſium Cardinales dumtaxat: Epiſcopi nimirùm, preſbyteri, diaconi: dicit Iuo ab Epiſcopis & Cardinalibus preſbyteris ſandalia geri: inſinuat igitur euidenter hunc vſum ad diaconos vſque Cardinales non extendi: aliàs ineptè preſbyteros exprimendo, diaconos qui his proximi ſunt, affectato ſilentio ſuppreſſiſſet; quod nedum de tanto viro fas eſſe ſuſpicari reor, cuius nota & explorata vniuerſæ Eccleſiæ, æquè ac probitas, fuit prudentia atque ſcientia: adeo vt reatus malitiæ vel ignorantiæ labis, vlla veriſimilitudine nequeat inſimulari.

Fateor ſubinde reddita non modò, ſed aucta etiam ſacra illa decora Diaconis Cardinalibus; adeò vt in Concilio Florentino, quo vterque conuenit, Orientalis ac Occidentalis, orbis, Epiſcopis non modò particularium Eccleſiarum fuerint adæquati in præcipuo habitu, ſed etiam prælati in conſeſſu. Primi verò & ſecundi ordinis Cardinalibus, Epiſcopis ſcilicet & preſbyteris, æquiparati. Ita enim reperi proditum ab eo qui conſpexit ſacroſanctum hunc Eccleſiæ Catholicæ Senatum, Andrea de Sancta Cruce, Patricio Romano & aduocato ſacri Conſiſtorij, in collectione * diſputationum ſeu collationum quæ tum habitæ ſunt inter Latinos & Græcos. Petenti enim Ludouico, quis prædictorum omnium ornatus fuerit, ſuo ipſe nomine reſpondet. *Summus Pontifex aderat mitra gemmata, ac ſacris indutus veſtibus, ſimilitérve Cardinalibus Epiſcopis & presbyteris ſtantibus mitrâ demptâ, quibus abſque ornamento albæ erant, Cardinalibúſve Diaconis Diaconorum veſtibus, albáque mitra. Cæteris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ornamento Cardinalium Epiſcoporum more conſedentibus*, &c. Sed aliàs ſi Deus dederit, de ſacris Cardinalium inſignibus tractare intendimus ex profeſſo: impræſentiarum quod ad rem ſpectat ſatis ſupérque.

* Extat per modum dialogi digeſta inter acta Concilij Florent. Romæ edita anno 1638.

Poſt Epiſcopos, Abbates ab aliquot ſæculis, inferioribus aliis Prælatis paſſim cœperunt anteferri, abhincque neſcio qua cupiditatis æmulatione, Epiſcopalia inſignia plerique eorum ambierunt. Ægrè tulerunt

ſancti

ſancti viri Iuo Carnotenſis, S. Bernardus, & Petrus Bleſenſis maximè hanc illorum cupiditatem, quam vt irent exciſum, ſtylum non ſemel amarulentiorem aduerſus illos exacuerunt, qui faſtum huiuſmodi affectare videbantur. Interceſſit etiam ſummorum Pontificum auctoritas, quâ his auſibus occurſum eſt, quibus plerique ipſo iure ſui tituli Abbatialis, fas ſibi eſſe putabant, neſcio quam Epiſcopalis excellentiæ ſpeciem imitari. Sibimet præſumpſerunt erigere cornua, hoc eſt arrogare inſignia, quibus in Eccleſia præfulget Pontificalis ſublimitas. Lege communi igitur ſancitum nulli licere hæc ſibi vſurpare abſque ſpeciali priuilegio Apoſtolicæ Sedis, quæ ſerò admodùm cœpit, hæc illuſtriorum monaſteriorum præfectis ſacra decora impertiri.

Leo IX. Abbati Caſſinenſi id primus conceſſiſſe perhibetur à Leone Epiſcopo Oſtienſi, in Caſſinenſi Chronico lib. 2. c. 82. hoc verborum tenore. *Sanctus idem Pontifex eodem quo ordinatus eſt anno, orationis gratiâ montem Garganum petiit, inde rediens in ipſa feſtiuitate Palmarum, ad hoc monaſterium valde deuotus acceßit, & reuerentißimè ſuſceptus à fratribus, ipſo die Miſſam ſolemniter celebrauit, atque in refectorio cum fratribus comedens, poſt prandium in Capitulum venit, vbi maximas fratribus pro tam honorifica ſuſceptione ſua gratias agens, ac pro viribus ſemper Monaſterium ipſum exaltaturum ſpondens, deſcendit. Poſtridie verò Eccleſiam S. Mauritij apud inſulam quæ limata dicitur, ab ipſo Abbate conſtructa, & S. Saluatoris in territorio Attinenſi ſolemniter dedicans, Romam reuerſus eſt. Ad quem profectus Abbas, priuilegium ab eo iuxta prædeceſſorum ſuorum morem*, (conſueuerant enim Abbates à ſummis Pontificibus priuilegia protectionis Apoſtolicæ, ac etiam plerique exemptionis à diœceſani ſubiectione, per ſeriem ſucceſſionis impetrare) *honorabiliter ſumpſit*, (ſed addidit Leo quæ eius anteceſſores in ſuis priuilegiis non conceſſerant) *in quo idem Sanctus Pontifex ſandaliorum vſum & dalmaticæ, ac chirothecarum in præcipuis feſtiuitatibus tam illi, quàm omnibus in hoc* anno 1849.

Mmm

cœnobio regulariter promouendis, ob honorificentiam sancti huius loci Apostolica auctoritate concessit. Hæc Auctor Chronici Cassinensis.

Vrbani II. beneficio id etiam honoris Cluniacensi Monasterio delatum est, meritorum Hugonis sanctissimi eiusdem Abbatis intuitu: sic enim eum Vrbanus affatur (rescripto Apostolico dato Romæ anno Dominicæ Incarnat. 1088. Pontificatus 2.) *Tibi planè peculiari deuotione concedimus, vt in processionum Missarúmque solemnibus mitra vtaris Episcopali, in præcipuis verò festiuitatibus, id est, quinque quas proprias habetis, & in Theophania, & in Ascensione, & in Dedicatione vestræ Ecclesiæ, dalmaticam, chirothecas, & sandalia induaris.* Ampliauit postmodùm idem Pontifex hoc priuilegium ad Hugonis successores litteris Apostolicis, datis Placentiæ anno 1095. *Dalmaticæ, compagorum,* (inquit) *chirothecarum & mitræ vsum, in festiuitatibus octo præcipuis, sicut tibi concessus est, ita tuis quoque successoribus pro tua religionis ampliori dilectione concedimus.*

Abbati Cistercienſi pro se & quatuor maioribus Abbatibus ordinis, exponenti sibi ab anterioribus Pontificibus persimilem fuisse indultam facultatem, Innocentius VIII. eandem prærogatiuam confirmauit, Apostolicis codicillis Romæ exaratis anno Incarnationis 1489. *Cùm itaque* (inquit) *sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, ex priuilegiis & indultis Apostolicis tibi & aliorum quatuor Monasteriorum prædictorum Abbatibus pro tempore existentibus vt* &c. *mitra & anulo & aliis Pontificalibus insigniis, nec non & in ipsis, & aliis Monasteriis & prioratibus illis subiectis,* &c. *benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, & Matutinarum solemnia (dummodo in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, vel Apostolicæ Sedis Legatus præsens non fuerit) elargiri,* &c. *Nos qui ordinem ipsum præ cæteris, in visceribus gerimus charitatis, & illum intendimus non minoribus gratiis & priuilegiis quàm prædecessores nostri fecerint decorare, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi & successoribus tuis, & dictis Abbatibus aliorum quatuor Monasteriorum prædictorum,* &c.

Nimius forem si particularia priuilegia, hîc dumtaxat contenderem annotare, quibus sancta Sedes eadem prærogatiuâ Episcopalium insignium, plerosque alios Abbates, imò & quosdam Priores decorauit; quin & vsque ad Decanos insignium Collegiatarum Ecclesiarum (v. g. Decanum S. Martini Turonensis) & Thesaurarios sanctarum, vt vocitant, Capellarum à Regibus fundatarum, Sedis Apostolicæ hac in re munificentia se extendit; illarum Prælatis, iisdem ipsis Episcopalibus insignibus, honorificentiæ specialis gratiâ attributis. Sed singulari animaduersione dignum est, quod in munifico Clement. VII. rescripto * pro Thesaurario sacrosanctæ Parisiensis Capellæ, quamuis mitra, annulo & aliis Pontificalibus ornamentis, proinde & sandaliis, vti illi Papa antedictus permiserit, baculum tamen pastoralem speciali clausula voluerit ab hoc indulto iri exceptum, quòd scilicet indicium hic foret non solùm honoris, sed insuper potestatis.

* anno 1524.

CAPVT X.

De tropologica & mystica Pontificalium sandaliorum, ac compagiorum theoria.

I. INNOCENTIVS III. qui de mysteriis Missæ luculenter, sciteque ac decorè scripsit, lemmatis huius, vel solus adæquatè videtur summam expressisse lib. 1. c. 48. quo cùm de Pontificalibus indumentis, secundùm quod membris conueniunt differere exorditur, speciatim de sandaliis & caligis (seu compagis differit. *Inter hæc* (inquit) *pedes Pontificis in præparatione Euangelij pacis, caligis & sandaliis calceantur. quorum pulchritudinem admirabatur Propheta cùm diceret: quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sandalia desubtus integram habent soleam, desuper autem corium fenestratum, quia gressus prædicatoris debent subtus esse muniti, ne polluantur terrenis secundùm illud: excutite puluerem de pedibus*

vestris ; & sursùm aperti, quatenùs ad cognoscenda cœlestia reuelentur, secundùm illud propheticum : reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Quòd autem sandalia quibusdam locis aperta & quibusdam locis clausa sunt, designat, quod Euangelica prædicatio omnibus reuelari, nec omnibus debet abscondi, sicut scriptum est: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas spargatis ante porcos. Priùs autem caligis induitur vsque ad genua protentis, ibique constrictis, quia prædicator pedibus suis, rectos facere gressus & genua debilia roborare debet. Nam qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Hactenùs Innocentius Papa, qui tamen hæc messuit ex seniorum sapientum responsis.

A rituum siquidem sacrorum prioribus indagatoribus, ratio hæc prima communi obseruatione assignatur, quæ de prædicatorum petita est officio. Alcuinus lib. de off. diuinis cap. *Quid significant vestimenta? Sandalia* (inquit) *dicuntur soleæ, est autem genus calceamenti, quo induuntur ministri Ecclesiæ, subteriùs quidem solea muniens pedes à terra, superiùs verò nil operimenti habens, patet; quô iussi sunt Apostoli à Domino indui. Significat autem ministrum verbi Dei, non debere terrenis incumbere, sed potiùs cœlestibus inhiare, & prædicationem suam nulli occultare.* Ita & Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccles. off. c. 25. quod *de sandaliorum varietate* prænotatur: *Mysticè*, ait, *quia sandalia prædicationis cursum signant; solea quæ subtus est, admonet prædicatorem, vt non se implicet terrenis negotiis.* Rabanus *de ord. Antiph.* c. 22. *quia hoc calceamentum mysticam habet significationem, vt pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est vt nec occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur*, &c. Iuo Carnotensis sermone Synodali *de significationibus indumentorum sacerdotalium. Habent autem* (ait) *sandalia à terra soleam integram, ne pes tangat terram, suprà verò constat ex corio qubusdam locis pertuso, quia Euangelium non debet terrenis commodis inniti, nec omnia Euangeli-*

ca sacramenta omnibus reuelari, nec omnibus abscondi: vnde & Dominus discipulis ita dicebat: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Eodem collimat Rupertus de diuinis off. lib. 1. c. 24. Honorius Gemmæ animæ lib. 1. c. 210.

Præluxit his omnibus ea in theoria præcipuus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 21. *Proindéque* (ait) *Marcus dicendo calceari eos sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, vt pes neque tectus sit, neque nudus ad terram, id est nec occultetur Euangelium, nec terrenis commodis innitatur.*

II. Ægyptij Monachi veteres ad rerum terrenarum contemptum, & cœlestium desiderium, hoc calceaturæ genus sic mystico sensu referebant, vt etiam de iis dictum Domini ad Apostolos litteraliter interpretarentur: quin sibi quasi itidem directum (vt Apostolorum propriis imitatoribus) mandatum applicarent. Audiendus Cassianus lib. 1. de Cœnobiorum institutis c. 10. *Calceamenta* (inquit) *velut interdicta Euangelico præcepto recusantes, cùm infirmitas corporis, vel matutinus hyemis rigor, seu meridiani æstus feruor exegerit, tantummodò caligis suos muniunt pedes: hoc interpretantes vsu earum, vel Dominica permissione signari, vt si in hoc mundo constituti, cura & sollicitudine carnis huius omnimodis exuti esse non possumus, nec ab ea penitùs præualemus absolui; saltem occupatione leui, & implicatione tenui necessitatem corporis expleremus; neve animæ nostræ pedes, qui expediti ad spiritualem cursum & prædicandam Euangelij pacem semper debent esse parati, (quibus post odorem vnguentorum Christi currimus, & de quibus Dauid; cucurri in siti: & Ieremias, ego autem non laboraui te sequens) morticinis huius sæculi curis patiamur inuolui, de iis scilicet cogitantes quæ non ad supplendam necessitatem naturæ, sed ad superfluam, noxiámque pertinent voluptatem. Quod ita implebimus, si secundùm Apostolum, carnis curam non fecerimus in desideriis. Quibus tamen caligis, quanquam licitò vtan-*

tur; vt potè Domini mandato concessis, nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittunt, cùm accedunt ad celebranda, seu percipienda sacrosancta mysteria; illud æstimantes etiam secundùm litteram custodiri debere, quod dicitur ad Moysem, vel ad Iesum filium Naue, Solue corrigiam calceamenti tui, locus enim in quo stas terra sancta est.

III. Altiùs longè euehit Rupertus huius calceaturæ vsus, in Ecclesia Prælato mysterium, loco antesignato. *Sandalia Pontificis* (inquit) *illud significant Dominicæ Incarnationis calceamentum, de quo ipse Christus in Psal. 59. In Idumæam (inquit) extendam calceamentum meum: id est gentibus notam faciam Incarnationem meam. Vt enim sacerdotio fungeretur pro nobis filius Dei, nostra carne quasi calceatus in hunc mundum venit: sandalia ergo Pontificis, Incarnationem, vt dictum est, significant filij Dei. Et pulchrè, quod in amictu capitis, in calceamento pedum signatur: nam & in carne diuinitas latuit, & per carnem eius notitia, vniuersum mundum percurrit. Per lingulas, quibus ipsa pedibus sandalia constringuntur, id ipsum accipimus quod Ioannes Baptista per corrigiam calceamenti signasse probatur, cùm de sponso Christo loquens: Cuius, inquit, non sum dignus corrigiam calceamenti soluere. Copulam ergo illam ineffabilem, charitatem inæstimabilem, vincula S. Spiritus indissolubilia, quibus diuinitas verbi nostræ carni se coniunxit, per sandaliorum corrigias designari accipimus. Præterea dum tam sacrum, támque mysticum Pontifex pedis sui spectat ornatum, meminisse debet & scire, se quoque esse pedem speciosum, iuxta illud: Quàm pulchri supra montem, pedes annuntiantis & prædicantis pacem!* Hactenùs Rupertus. Qui alio loco expendens verba Christi Præcursoris. Matth. 3. *Cuius non sum dignus calceamenta portare. Quid est* (inquit) *calceamenta Christi portare, nisi Incarnationis eius mysterium palam mundo annunciare? fecerunt hoc Apostoli: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & quis sonus? quæ verba Apostolorum? In sole posuit tabernaculum suum, & ipse*

In Ioan. c. 2.

tanquam ſponſus procedens de thalamo. Hoc facientes Apoſtoli calceamenta Chriſti in Idumæam, & in omnes alienigenas, extenſa portauerunt. Hæc ille.

Mirum in modum placuit ſanctis Patribus hæc arcani Incarnationis per calceamenti myſticam ſignificationem adumbratio. S. Gregorius Papa hom. 7. in Euangelia. *Incarnatus Dominus, quaſi calceatus apparuit: corrigia calceamenti, id eſt ligatura myſterij.* Et infrà: *Ioannes ſoluere corrigiam calceamenti Domini non valet, quia nec ipſe inueſtigare ſufficit Incarnationis myſterium, qui hoc per prophetiæ ſpiritum agnouit.* S. Baſilius in Pſal. 59. *Diuinitatis*, inquit, *calceus eſt caro Deum ferens, per quam ad homines deſcendit.* Succinit Gregorius Nazianzenus orat. in ſancta lum. ſolerti acumine, diſpenſationem verbi aſſimilans peregrinationi, cui obeundæ Dei filius carnis calceamenta ſuſcepit.

ὑπόδημα δὲ τῆς θεότητος ἡ θεοφόρος σὰρξ, δι' ἧς ἐπέβη τοῖς ἀνθρώποις.

Ad hæc Patrum documenta ſpectaſſe viſus eſt Alanus Inſulenſis exponens illud Cant. 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis*, vbi ait: *Calceamentum de animalis mortui pelle fieri ſolet, nec tota pellis cedit in calceamentum hominis. Humana autem natura per pœnam & culpam erat mortificata. Hanc itaque pellem humanæ pœnæ aſſumpſit Dei filius*, &c. *Ita enim pœnam aſſumpſit vt non culpam, atque adeò quaſi calceamentum applicuit, quando naturam aſſumpſit humanam.*

Appoſitè profectò. Ad quod indicandum myſterium, Pontifex qui Chriſtum repræſentat, cùm ad diuina officia celebranda procedit, ſandalia gerit, quæ ita plantam muniunt, vt ſuperiorem pedis partem non cooperiant prorſus, ſed partim tegunt, partim non obducunt: ita enim inciduntur, vt magna parte ſub integumento ſuperiori, pedes non operti pateant. Quamobrem Rituales auctores paſſim ſic ſandalium deſcribunt, *genus eſt calceamenti, habens ſubter integram ſoleam, ſuprà verò corium feneſtratum.* Notat Duranti lib. 2. de Rit. c. 9. Sandalia quæ dudum in vſu erant, ab iis quæ nunc geruntur diſſimilia eſſe. Nec ſignat quodnam ſit huius diſſimilitudinis diſcrimen: fortè exiſtimauit, Antiſtites ſacros huiuſmodi calceatus ſic

iam efformatos perferre, vt totam pedum ſuperficiem circumoperiant nulla parte detecta. Si ita eſt vſpiam, vitio artificum potiùs hoc admiſſum putarim, quàm præſulum iuſſu vel affectu. Ratio quæ ſutores mouit, hæc quod fuerit mihi non improbabile videtur: nimirum dedecorum exiſtimarunt pedes non ex toto tegi; addiderunt igitur pleno integumento ornatum, quo elegantius opificium appareret, amictúſque ipſe ſuperior pedum Pontificis pulchrior fieret. Verùm dum auxerunt decorum; exciſum eſt nouâ illâ formâ (imò potiùs indiſcreta deformitate) myſterium quod aſſumptæ carnis à verbo ſine peccato, at non abſque pœnalitate ſacramentum (vt ex ſuperioribus Patrum documentis patet) adumbrabat. Sed ad alia pergamus.

IV. Honorius Auguſtodunenſis lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu c. 210. ipſo in limine arbitratur, ſandalia quæ ex animalium pellibus conficiuntur, prophetarum ſubindicare vaticinia, quibus Apoſtoli ſuam prædicationem confirmauerunt.

V. Alij ſunt, qui cenſeant Sanctorum exempla per hæc ſignificari, quibus inſtructa Eccleſia recto tramite, & *inoffenſo* (vt verbis vtar S. Hieronymi) *pede*, ad regnum, ſponſique nuptias, miro decore progreditur. Quamobrem ſponſus in Canticis ſponſæ, cuius ſandalia oculos eius rapuerunt, ita comptum ac elegantem proceſſum demiratur. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis!* Sequens enim Eccleſia veſtigia Sanctorum, gratiſſimis Chriſto progreſſibus incedit, ſibique etiam tutiſſimis ac conſpicatiſſimis. Vnde Apoſtolus fideles, ad Sanctorum fidei atque iuſtitiæ imitationem his verbis admonebat. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem* *. Sed Caſſiodori, ad verba ſponſi prælibata, hócque Apoſtoli monitum rectè intelligendum, expoſitio hîc ad amuſſim concurrit. *In calceamentis* (inquit) *ſunt pedes animæ pulchri, quando affectiones conſtringit Sanctorum exemplis, quibus & à luto, & à ſaxis, & à ſpinis defenditur: à luto carnalium, à ſaxis ſcandalorum, & à ſpinis*

* *Heb. vlt.*

ſpinis tribulationum; & per hæc omnia (vt ait Gregorius) confidenter calceata graditur, &c. *Animæ greſſus ſunt quatuor affectus, concupiſcentia, timor, gaudium, dolor,* qui eam portant ad opera, ſicut pedes portant ad loca. Hi pulchri ſunt in calceamentis, dum ſecundùm exempla Patrum, virtutes vel vitam æternam animæ concupiſcunt, peccata vel gehennam timent, gaudent de bonis, dolent de malis. *Anima* (ait ſcitè ac verè S. Auguſtinus) *non pedibus ſed affectibus mouetur.* Pulchri erunt igitur greſſus Epiſcopi in ſacris calceamentis ſuis, ſi quicquid agat eum dirigat in finem, quo Dei gloria augeatur, & ſibi commiſſi populi promoueatur ſalus, tum enim de ſua poterit benè ſperare, ſi in aliorum curanda ſedulò ſeſe præſtiterit vigilantem, dicente Apoſtolo ad ſuum Timotheum : *Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus, attende tibi & doctrinæ, inſta in illis, hæc enim faciens te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* 1. Tim. 4. His progreſſibus qui incedit Antiſtes, vſque ad interiora velaminis penetrabit: *vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundùm ordinem Melchiſedech factus Pontifex in æternum.* Heb. 6. *Nec apparebit in conſpectu Domini manibus vacuis*, multos enim ſecum in ſaluationem adducet, quos Domino ingenti cum exultatione & gloria præſentabit, hoc propheticum merito iure pronuncians: *Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Dominus.* Iſa. 8. Heb. 2.

Verùm hîc fortè quiſpiam intercedet: myſticos calceorum ſignificatus non ſolùm in bonam partem explicandos eſſe, cùm in ſequiorem etiam extendantur, ſunt enim mortis & corruptibilitatis indicia; quin & ſigna ſordium peccati, mœroris, denique ſeruitutis & paupertatis, vituperij quoque ac contumeliæ. Et verò quod ſpectat ad primum, numquid illa pedum inuolucra mortuorum non ſunt animalium exuuiæ? Quid igitur quàm mortem & corruptibilitatem ipſa ſuo aſpectu noſtris oculis obiiciunt? Certè poſt lapſum primorum parentum in peccatum & mortem, *fecit eis dominis tunicas pelliceas.* Geneſ. 3. Acutè Origenes ac

* Hom. 6. in Leuit.

perappositè. *Talibus*, inquit *, *oportebat indui peccatorem, quæ essent mortalitatis quam primo peccato acceperat, & fragilitatis eius quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Sordium etiam quæ de peccatis profluunt signa sunt. Vnde Dominus ait Moysi, *solue calceamenta de pedibus tuis, terra enim in qua stas, terra sancta est*, Exod. 3. Quo ex exemplo etiamnum Mauri, & Sarraceni meskitas nunquam suas, nisi discalceati, ingredi consueuêre. Tristitiæ etiam sunt symbola: hinc Dauid pedibus nudis exiuit de Ierusalem, fugiens à facie filij Absalonis. Similiter quoque & paupertatis sunt indices, nam serui & captiui nudis incedebant pedibus, cùm qui liberi essent procederent calceati. Ideo Dei nutu Isaias ambulauit nudus & discalceatus per triduum (vel vt alij volunt per triennium) vt portenderet captiuitatem, ab Assyrio Sennacherib imminentem Ægyptiis ac Abyssinis (Isa. 20.) qua nudis pedibus erant in Assyriam traducendi. Econtrà Hebræis egressuris ex Ægypto iussit Deus vt calceamenta in pedibus haberent. Deinde cùm quis possessione aliqua cederet, calceum solebat ex priscæ legis præscripto, pedi suo detrahere, atque in eius tradere manum, in cuius arbitrium ius suum transferebat, *Ruth*. 4. Erat denique contumeliæ indicium. Cùm enim quis renueret relictam fratris sui defuncti sine liberis, in vxorem accipere, ad suscitandam sobolem fratri suo, accedebat mulier ad eum coram senioribus, & tollebat calceamentum de pede eius, spuebátque in faciem illius, & dicebat, *sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui. Deut.* 25. Quo ex more, arcano euentu posteà factum est, vt Synagoga in faciem Christi patientis sputa putida euomeret, quòd scilicet ab eo reiecta esset, quem ipsa stupenda cæcitate saluatorem non agnoscens, coram Pilato & Herode funestis clamoribus abnegauerat.

Accedit quòd veteres sapientes, calceatos à sacrificio offerendo arcuerunt: dogma siquidem Pythagoricum fuit: *nudis pedibus sacrifica;* quemadmodum & Mosaici sacerdotes discalceati litabant. Christus porro incruentum sacrificium instituens, antequam ad illius

ſynaxim ſuos diſcipulos admitteret, calceos exuere illos voluit, ſubindéque diſcalceatorum ipſe cœpit lauare pedes, & extergere linteo quo præcinctus erat, dicens, *qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*; Ioan. 15. Cur non igitur & Epiſcopi, qui Apoſtolis ſuccedunt & ſacerdotes, diſcalceati accedunt ad idem quod tunc Chriſtus inſtituit ſacrificium offerendum? Sed liturgicorum Rituum formulæ abſolutè prohibent, ne quis nudis pedibus ſacrificare præſumat.

Verùm paucis iſtæ ſolui argutiæ poſſunt. Nam primò, etſi Chriſtus Apoſtolorum pedes abluerit, anteqùam illos ad noui & æterni teſtamenti epulum admitteret, quô factô illos admoneret internæ puritatis qua præditi eſſe debent, qui ad diuini huius conuiuij participationem accedunt: poſt lotionem pedum tamen non dubium eſt illos calceamenta reſumpſiſſe, ſicque diſcubuiſſe cum Domino. Id patet vel ex eo quod Paſcha cum diſcipulis ſuis (ipſe vt profeſſus eſt Dominus) tunc idem Chriſtus celebrabat: legis verò præceptum erat vt calceati Paſcha Iſraelitæ comederent, *calceamenta habebitis in pedibus*, Exod. 12. Cur autem calceorum ſacerdotum Leuitici ordinis, in quotidiano miniſterio ſcriptura non meminerit: ſuprà proprio loco, adeóque integro cap. explicauimus, vbi etiam probatum eſt, tametſi diſcalceati, tam Pontifex quàm ſacerdotes & leuitæ ſacra facerent, (vnde & Pythagoras Moſaicorum arcanorum explorator, axioma hoc ſuum deprompſerit, *nudis pedibus ſacrifica*) minimè hinc ſequi attamen, obſtringi Euangelicos Pontifices ac ſacerdotes nudis pedibus diuina myſteria celebrare: quandoquidem legis veteris imperfectio, calceaturæ defectu ſignificabatur; at perfectio nouæ legis per calceamenta, eáque pura ac nitida deſignetur, quibus inſtructi Chriſtiani myſtæ ſacrificant.

Iam facile eſt cæteros remouere obices, qui ſuprà congruo calceorum in ſacris vſui inficiando præſtructi ſunt. Dico igitur mortis memoriam accommodam eſſe diuinorum myſteriorum celebrationi: vt ſacerdos aut Pontifex ſuæ conſcius vilitatis, ſpiritum humilitatis ea

ex meditatione ad diuinum ſanctuarium acceſſurus concipiat. Deinde calceos arcere à pedibus ſordes, non inferre: illos præſertim, qui non profanis, ſed ſacris vſibus applicantur. Adde quòd peccatorum recordatio etiam in ſacrificio ſit vtilis, pro quibus expurgandis & expiandis, pretioſa illa redemptionis victima, ab ipſis ſacerdotibus immolatur. Cæterùm exempla ſuprà adducta ad innuendum, calceamenta eſſe indicia quoque mœroris, ſeruitutis & contumeliæ, meliùs in aduerſum videntur poſſe retorqueri: quandoquidem ad triſtitiam indicandam Dauid calceos exuens, illos ſic innuebat eſſe indumenta lætitiæ. vnde & in lib. Iudith. ipſa cùm ſe veſtimentis gloriæ exornaret ad Holofernem profectura, ſignatim memoratur, hos etiam aſſumpſiſſe ornatus, *induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola & lilia, & inaures, & omnibus ornauit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ.* cap. 10. Similiter & Ezechiel cùm iuberetur à Domino vxorem non lugere defunctam, audiuit. c. 24. *Corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta erunt in pedibus tuis.* At dices hîc forſitan: quænam eſt illa copulatio calceorum cum corona? nempè quia non modò ſunt ſigna gaudij & decoris, ſed libertatis quoque & honoris, adeóque regni. Hinc apud eundem Ezechielem c. 16. ſponſæ ſuæ Eccleſiæ Chriſtus, vel animæ fideli, ſe calceos ait dediſſe hyacinthinos. *Calceaui te* (inquit) *hyacintho, & dedi coronam decoris in capite tuo.* ad quem locum ſcitè Hieronymus Prado: *Calceamentum,* inquit, *libertatis & dominationis eſt ſignum, hyacinthus autem cæleſtis regni imago. Pedes itaque calceati hyacintho, indicant animum ingenuum, liberum & regalem, qui ſpe cæleſtium bonorum terrena hæc omnia peſſundat & præterit, currit verò toto affectu ad ſuperna, dicens cum Apoſtolo, conuerſatio noſtra in cœlis eſt.* Hîc omnis motus meta eſt, laborum omnium terminus: Hîc enim quies, vita, gloria, libertas ac felicitas inuenitur, tenetur, ac in æternum ab iis poſſidetur, qui cum Apoſtolo * *fidem ſeruarunt, bonó*que fortiter exantlato *certamine, curſum* feliciter *conſummarũt,* ſibi à cœleſtium præmiorum largitore præſcriptum.

* 2. Timoth. 4.

APPENDIX
PRO RITVS DEFENSIONE deosculationis pedum Summi Pontificis.

CAPVT I.

Causam aßignans susceptæ breuis huius lucubrationis.

SVMMIS honoribus, Maiores, retroactis sæculis coluisse summi Pontificis præeminentem omnibus mortalium fastigiis dignitatem, nemo est in rerum Christianarum monimentis, Patrúmque scriptis, vel mediocriter versatus, qui facilè non aduertat, proinde & qui (si quod verum nouit enunciare velit) apertè non fateatur. Apud segreges qui docti sunt, sine pudore non possunt tam constantem veritatem ire inficiatum. Etenim si negarent, vniuersus eruditorum Senatus, aduersus eos, consonis suffragiis reclamaret. Apud quos meritò propterea in suspicionem venirent, vel pudendæ inscitiæ, vel patentis inuidiæ. Certè si Patrum fidem nouatores ipsi tenerent, eodem quoque venerationis affectu Petri successorem, communem fidelium patrem, & Christi summum in terris Vicarium prosequerentur. Contemptus quo illum habent, non aliunde ortus est, quàm ex auitæ religionis fastidio, odio ne dicam, quo scita Patrum pariter insectantur: exempla porrò quæ suis paradoxis palam obuersari vident, assueuerunt tanquam venenata specula, imò acutissima spicula, procul abiicere.

Vix profectò reperire est, vllos ab Euangelij ortu sectarios, qui concepti odij virus, aduersus Sedis Apostolicæ Pontificem, effusè non prodiderint & scriptis & factis. Mirum nec id adeo est, cùm ex hac Sede prodierint *tonitrua & voces*, quibus eorum hæreses damnatæ atque protritæ sunt. Sed ante recentiores secta- *Apoc. 4. 5.*

rios, nulli adhuc conspecti fuerant, qui tanto in Papam maleuolentiæ æstu exarserint, vt titulos honoris non modò omnes proscinderent, quibus summa eius dignitas atque potestas declaratur: sed insignia itidem omnia dignitatis proculcarent; atque quæque ad debitæ summo Ecclesiæ culmini venerationis conferunt decus, in ludibrium & derisum traducere profanis ausibus niterentur. *A planta pedis vsque ad verticem*, Papam ipsum lacessere aggressi sunt: siquidem sacram qua ornatur in capite tiaram, postquam diripere tentarunt, pedum quoque integumenta eius, serpentino morsu nisi sunt discerpere. scilicet vt se infaustam sobolem hoc odio proderent veternosi illius serpentis, cui diuinæ iustitiæ oraculo dictum est: *Ponam inimicitias inter te & mulierem: inter semen tuum & semen illius. Tu insidiaberis calcaneo eius, sed ipsa conteret caput tuum.* Ecclesiæ enim (quam in muliere illa figuratam Patres plerique docent) personam, Papa titulo ipso capitis quo præsidet eidem, repræsentat: cui ideo Sathan ab illo tempore quo Christus dixit Petro; *confirma fratres tuos, & pasce oues meas*, perpeti odio aduersatur; nec cessat pedibus eius laqueos intendere, ac quibusuis potest nocendi modis insidiari, eius vt gressus vndequaque subuertat. Non sine arcano igitur euentu tandem contigit, vt serpentis illius antiqui noua progenies, calcaneo Pontificis summi (in quo Ecclesiæ residet firmitudo ipsis inferorum portis tremenda) insidias strueret, mysticorum eius sandaliorum corrodens venenosis dentibus, sacros ornatus. Lucifugis auibus Solis quo totus orbis illuminatur non magis exosus est aspectus, quàm his tenebrionibus splendor ille, quo summus Ecclesiæ Præsul, Pontificali nitens apparatu, coruscat. Gemmæ quibus micat sacra eius cidaris, adeò acriter eorum oculos perstringunt, vt illarum sine graui dolore nequeant ferre fulgorem. Sandaliorum eius purpuram nonnisi toruis obtutibus spectare possunt: torquentur vehementer salutiferæ crucis signaculo, quo illa vident insigniri. Osculis quibus fideles eam adorant, ceu spiculis transfiguntur, piisque amplexibus quibus

Isa. 55. Genes. 3. Luc. 22. Ioan. 21.

beatos pedes præcipui Euangeliſtæ Chriſtianæ pacis, eius amatores ſtringere ſolent, anxiantur. Nihil eſt igitur virulentiæ, quod non contra eum ritum euomant. Antichriſti ſiquidem eſſe aiunt, crucis Chriſti ſignum ſuos ad pedes deprimere. Purpureis fulgere calceis: cùm Chriſtus fere nudipes, ſoleis ſcilicet duntaxat vſus inceſſerit. Vſque ad pedum ſuorum oſculum homines ſanguine Chriſti redemptos, ceu vilia mancipia, deprimere, ſibique tandem quæ diuina ſunt arrogare omnia humanæ ſeruitutis obſequia. Hæc ſunt enimuerò quæ contra pedum Pontificis deoſculationem, ſectariorum miniſtri paſſim effutiunt, ſuiſque in ſcriptis incutiunt aduerſus illum morem. Tametſi verò non ita nuper ex profeſſo, Ioſephus Stephanus (aliàs Steuanus) Hiſpanus Valentinus Epiſcopus olim Veſtanenſis, poſtea Oriolenſis ſub Tarentina Metropoli, pro hoc ritu Apologeticum Romæ ediderit, cui titulum præfixit *de deoſculatione pedum Romani Pontificis*, quem non ſine commendationis elogio citant Angelus Rocca Apoſtolici ſacrarij Præfectus, in obſeruationibus ſuper imagines Sancti Gregorij & parentum eius à Ioanne Diacono deſcriptas, & Benedictus Balduinus libro quem inſcripſit Calceus antiquus c. 27. Tamen quòd prædicti Ioſephi liber raro reperiatur, feréque iam exciderit ex eruditorum manibus, iteratæ editionis defectu, ſoláque iam paſſim prænotatione notus exiſtat, quâ (vt verum fatear) mihi duntaxat hîc in memoriam venit: nec enim etſi perueſtigarim non ſegniter, eius mihi copiam vllo potui pretio, precéque vlla comparare. Ideo quamuis eius ſubſidio me ægrè admodum patiar deſtitui, viſum nihilominus eſt eiuſdem tituli texendo opuſculo ſi manum admouerem, non ſuperuacaneum, neque fortè ingratum pleriſque fore meum hac in re laborem, præſertim cùm ritus de quo agitur, etſi admodum in Eccleſia celebris, non antiquus admodum illis videatur, qui antiquitatis Eccleſiaſticæ ſufficientem peritiam non habent: ab Apoſtolicæ autem Sedis aduerſariis multis calumniis impetatur, quas, vt perpetuò nouas, quamuis iam acidas & putres, nouatores ipſi

inculcare non deſinunt : non abs re futurum cenſui, iterum atque iterum diluere. Accedit quòd cùm in Panoplia Epiſcopali, librum ſpecialem inſcripſerim *de Epiſcoporum ſandaliis*: opus ad colophonem (vt aiunt) me non exiſtimarem perduxiſſe, niſi appendicem hanc illi contendiſſem ire ſubiunctum, qua de ſandaliis Epiſcopi Epiſcoporum, Romani ſcilicet Pontificis, cruce inſignitis ſic ſtatui diſſerere, vt potiſſimùm *de pedum eius deoſculatione* tractatum inirem. Quem ne ampliùs lectorem remorer ordine, quo aſſoleo ceteras de ſacris ritibus meas exercitationes, iam per ſeriem non prolixam aggredior.

CAPVT II.

Signum crucis ſandaliis ſeu calceamentis, Pontificum Romanorum priſco ex more inſertum.

MIHI hîc operam equidem & laudem non tribuam, cuius præmium iure fateor Angelo Roccæ prælaudato deberi, ob laboris meritum, quem adhibuit inueſtigando Romæ vetuſtiſſima monumenta, ex quibus eliceretur ritus huius antiquitas. *Ego* (inquit citatis in animaduerſionibus) *qui potiùs oculatus quàm auritus teſtis, hac in re eſſe cupiebam, veteres Eccleſiarum abſides, opere muſiuo decoratas diligenter perluſtraui. Qua in re perquirenda calceos ſummorum Pontificum in ſuperiori parte, non omnino feneſtratos aut perforatos, nec vndequaque pedem obtegentes reperi: Nam tantummodo in pedis acumine atque calcaneo, tegumentum cum ligamine, à ſolea & à calce, ad collum & ad pedis acumen: ad ſuperiorem ſcilicet pedis partem diducto ineſſe conſpicitur, paruula cruce ſupra digitos pedum, tibialibus ſiue corio coopertos, impreſſa ſiue picta.*

Quæ deinceps congerit ritus huius antiquitatis, ex vetuſtis monimentis quæ Romæ ſuperſunt indicia, hîc breui elencho duntaxat dabo operam exprimere, vt ſine faſtidio prolixitatis, lector quaſi vno oculi coniectu perui-

peruideat, nihil ferè inueſtigari poſſe quod ſpectatoribus queat vberioribus exemplis exploratæ vetuſtatis ſubnixum demonſtrari. Prætermiſſis his igitur quæ ad poſteriora tempora referuntur: ea tantummodo ibimus conſignatum, quæ nouitatis nota nequeant coargui, etiam ipſorum nouatorum iudicio. Cùm igitur Petrus Molinæus Caluinianæ ſectæ celebris altercator, libro quem inſcripſit *de Monarchia temporali Romani Pontificis*, Londini edito, præſcribendæ nouitatis hanc regulam præſtituat: *Non excedere annos ſexcentos, vel ad minus quingentos mera eſt nouitas, cùm de Eccleſia vel doctrina, vel diſciplina agitur.* (Quo ipſo axiomate aduerſus eius ſectam quæ vix annos dumtaxat attingit centum cum viginti, manifeſtè, etſi non aduertat, præſcribit) Idcirco ritus huius cuius aſſerimus vetuſtatem, ea momenta operæpretium cenſui indigitare, quæ præfixos ipſo ab aduerſario limites non tranſgrediantur. Nulla enim annotabo quæ annos ſexcentos non exſuperent, quin tantæ antiquitatis quædam ex Roccæ fuſiori perquiſitione referam, vt tranſcendant annos mille ducentos, ac etiam trecentos ſupráque etiam excurrant.

I. Ad Baſilicam (ait Rocca) beati Petri Apoſtolorum Principis, Romæ, à tergo oratorij ſiue ſacelli, vel altaris ſanctiſſimi ſudarij Saluatoris noſtri, ſupra portam ſanctam, ad interiorem Baſilicæ partem: extat oratorium opere muſiuo inſigni excultóque decoratum, & in honorem immaculatæ ſemper Virginis ac Deigenitricis à Ioanne VII. circa annum Domini DCC. VI. conſtructum, vt Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina & Panuinus teſtantur, & inſcriptio ipſa docet hiſce verbis: † *Ioannes indignus Epiſcopus fecit.* Huc accedit quòd Ioannes ad capitis tergum quadratam habet tabulam, quæ (vt ſuperiùs dictum eſt *) indicium erat ea tempeſtate viuentis, dum fieret pictura illa. Ioannes verò prope imaginem beatæ Mariæ ſemper Virginis ſandaliis inſignitis paruula nigri coloris cruce (quæ ex quatuor lapillulis muſiuis conſtat) cernitur calceatus.

* in iconiſmi beati Gregorij deſcriptione.

II. Idem ſignaculum impreſſum ſeſe vidiſſe, idem aſſeuerat in Sandaliis Ioannis IV. Papæ, & Theodori eius ſucceſſoris (qui circiter vel paulò poſt annum ſexcenteſimum quadrageſimum viciſſim ſederunt) videlicet in abſide oratorij ſeu paruulæ Eccleſiæ Sancti Venantij, quæ nunc cognominatur Sancta Maria ad fontem, prope baptiſterium ſeu fontem Lateranenſem in abſide opere teſſellato exornata. Hîc enim (inquit) inter alias imagines opere muſiuo pictas, duo Pontifices Romani, necnon Martyres duo, ſandaliis paruula nigri coloris cruce inſignitis conſpiciuntur. quorum Pontificum alter ad dexteram, videlicet primo loco pictus, eſt Ioannes IV. Eccleſiam manu geſtans, quippe qui eam conſtruendam (vt Anaſtaſius & Panuinus teſtantur) curauit. Quam item rem verſus aliquot qui inibi leguntur nos apertè monent. Pontifex ad ſiniſtram poſtremo loco pictus librúmque manu tenens vt Panuino placet, eſt Theodorus Ioannis ſucceſſor, qui vt idem ait Panuinus Eccleſiam fortaſſe, vel vt ego arbitror abſidem à Ioanne inchoatam perfecit *. Cur autem hoc loco Venantius & Domnio, & extra abſidem Maurus Martyres crucem ſuper ſandaliis geſtare cernantur, ignorare fatetur Rocca, niſi id arbitrio pictoris referatur, qui Epiſcopis attribuerit (quales Domnio & Maurus fuerunt) quod Pontifici duntaxat ſummo inſigne competebat: quemadmodum & pallium quod iiſdem more Græco indidit. Tametſi etiam crucem illorum ſandaliis fortè adſcripſerit, ad martyrij crucem repræſentandam. Addi etiam poteſt (vt quidem ego cenſeo) id factum ipſorum Pontificum iuſſu, qui plerumque Pontificia inſignia, ſignatimque Dalmaticas (vt in tractatu de iiſdem inſinuaſſe memini) honorandæ Martyrum memoriæ contulerunt. Eodémque venerationis affectu ſandalia etiam cruce inſignita, probabile eſt eorum pedibus aptari ad decorum voluiſſe.

* Ioannes etenim IV. modico tempore ſedit, anno ſcilicet vno cum nouem menſibus.

III. Addit Rocca ſe vidiſſe Romæ vetuſtiſſimam Eccleſiæ ſanctæ Agnetis abſidem, opere vermiculato circa annum Domini DC.XXIIII. exornatum, in qua

Honorius huius nominis primus, qui ſacram beatæ ipſius Agnetis ædem, via Nomentena, conſtruendam & abſidem muſiuo decorandam curauit: vt Anaſtaſius Bibliothecarius commemorat, & carmina in abſide indicant, ſandaliis alba cruce ſatis conſpicua inſignitis, calceatus, & Eccleſiam manu geſtans extare cernitur. Hic enim dum viueret in abſide ipſa pictus fuit, ſicut ea quæ diximus facilè perſuadent.

IV. Porrò ad Sanctum Martinum in foro boario ad radicem Capitolij vetuſtiſſima erat abſis, tempore Domnionis circa annum DC. LXXIX. opere muſiuo inſignita, in qua duo Romani Pontifices, vnus ad dextram, alter ad ſiniſtram beatæ Mariæ ſemper Virginis filium in ſinu geſtantis, pallio iuxta morem antiquum formato decorati cernuntur. Hunc vel Honorium I. (de quo ſuperiori ſyntagmate) vel Gregorium Magnum (qui ante Domnionem fuerunt) eſſe (inquit præfatus Rocca) coniicio: quem ſandaliis paruula cum nigri coloris cruce calceatum vidi, & prope eum ad ſiniſtram partem literas haſce legi..... ORIVS PP. cæteræ nomen proprium ſummi Pontificis complentes collapſæ deſiderantur. Alius verò Pontifex ante Domnionem, dictam proprij nominis terminationem habere, haudquaquam poteſt, &c.

V. Ad Sanctum Martinum in montibus inter reliquias beati Martini I. Papæ & Martyris anno Domini DXLVII. calceus in ſuperiori parte feneſtratus (cuius typum pag. 491. tom. I. operum Sancti Gregorij accuratim repræſentat præfatus Rocca: ac pag. immediatè præcedenti, ſcilicet 490. exactè deſcribit) & in acumine tantùm obtectus iuxta formam à nobis nuper deſcriptam, aſſeruatur. Acuminis autem pedis tegumentum coriaceum cæruleo colore tinctum, & quibuſdam operibus ex ſerico & auro contextis ornatum extat, in quo ad inſtar ferè huiuſce litteræ Græcæ X, quædam crucis imago, vt ita dicam tranſuerſaliter acu picta cernitur, & quandam crucis ſimilitudinem refert.

VI. Panuinus dum vitas ſummorum Pontificum

nondum in lucem editas conſcriberet, eorumdémque imagines ad viuum exprimendas curaret: in abſide quadam, vetuſtiſſimo muſiuo decorata, vel beati Syluestri, vel alterius ex antiquioribus Romani Pontificis imaginem, à calce ad caput integram, ſandaliis paruula cruce inſignitis pictam inuenit: eámque tanquam perpetua memoria dignam, inter inſigniores ſummorum Pontificum imagines ad viuum expreſſas penes ſe habebat; cæteris quas pictorum arbitratu pictas diiudicabat, prætermiſſis: quam ſibi ab eodem Panuino oſtenſam vidiſſe teſtatus eſt ipſi Roccæ Silius Antonianus Cubiculi Præfectus Clementis VIII. Papæ, vir apprimè eruditus & ſpectatæ integritatis ac probatæ fidei.

Sed quoad Sancti Syluestri ſandalia pertinet, ipſemet Rocca teſtatur, inter reliquias præmemoratæ Eccleſiæ Sancti Martini in montibus aſſeruari & oſtendi ibidem calceum beati Syluestri Papæ I. holoſericum viridi colore imbutum, non villoſum, ſed iam ob vetuſtatem ſatis decoloratum, quandam tamen viridis coloris & holoſerici ſatis ſpeciem referentem, operibus item ex ſerico & corio contextis inſignitum. Is autem calceus (vt idem Auctor in præambula ectypi animaduerſione declarat) huius generis eſt, quem Græci σανδάλιον vocitant: habétque nodos, per aliquot linearum implexionem, ſiue inuolucra ad ornatum diſpoſitos, quibus plures cruces efficiuntur & comprehenduntur.

VII. Repræſentari etiam Cornelium Papam & Martyrem, idem teſtatur Rocca, in abſide Eccleſiæ ſanctæ Mariæ trans Tiberim, cum cruce ſandaliis infixa. Nec dubitat in cæteris pleriſque ſacrarum iconum monimentis eadem expreſſa fuiſſe ſacra crucis inſignia, ſed vetuſtate figurarum excidiſſe acumina pedum, quibus idem ſalutare ſignaculum impreſſum erat.

Atque hæc breuiter, & per compendium ex profuſiori illa diſquiſitione prælibati Angeli Roccæ expreſſa ſunto: quæ huic neceſſarium habui ſaltem ita

ſtrictim retexere, cùm ipſe nequeam ob locorum diſtantiã, & officij iuridici ac paſtoralis non leue quo diſtineor onus, de iis quæ Romæ tantùm conſpici poſſunt experimentum capere, proinde nec de iis quæ videre non licuit præbere teſtimonium, quod oculato à Rocca præſtito poſſet æquiparari. Cuius neceſſario ſubſidio ſatius hîc mihi viſum eſt mea ſponte non deſtitui, quàm detrimentoſo ſilentio tantam mihi excidere opem, hac de re ex inſtituto diſſertanti, vltro ire perpeſſum. At tam opportunas ſuppetias quòd ingrata mente vel manu non exceperim, ſatis inde patet, quòd exactæ huius indaginis laudem vt operam, totam auctori ſuo rependerim, cuius labore hoc me ſubuectum præſidio, iterum atque iterum lubentiſſimè profiteor.

CAPVT III.

Ritus procidendi ad ſummi Pontificis pedes, eóſque oſculandi, in Eccleſia antiquiſſimus.

ARTICVLVS I.

Apoſtolici ſæculi referens exempla.

AB ipſa Apoſtolorum ætate, programmatis huius aſſertionem exordiamur. *Factum eſt* (vt ſcribit Sanctus Lucas Act. 10.) *cùm introiſſet Petrus, obuius ei venit Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit.* Illuſtri ſanè exemplo omnibus fidelibus documentum præbens, ſummum ſub Chriſto Eccleſiæ paſtorem profundæ huiuſmodi aduenerationis actu honorandi: quem poſtea pij quique imitati, ſumma cum animi demiſſione ad veſtigia Petri ſucceſſorum (hoc eſt Vicariorum Chriſti) venerabundi, ſtato ex longæuo vſu, tam religioſo more prociderunt. Magni ſanè ponderis exemplum iſtud eſſe, ad commendationem huius ritus Nouatores ipſi perſenſerunt. Quamobrem ſolitis tricandi artificiis niſi ſunt, tam validum nobis telum eripere.

Reprehensum enim à Petro Cornelium excipiunt, immoderati cultus sibi ab eo delati. Vnde duo contra nos inferunt. Primum, Sanctorum cultum ita fuisse reprobatum. Secundum, damnatam Petri successorum exorbitantiam, qui quem sibi non debitum honorem Petrus ipse pronunciauit, ac admittere recusauit, iam ab omnibus qui ad se accedunt, quasi diuino iure debitum, absoluto imperio exigere non verentur. Sed Petri Apostoli ipsa verba facilè euincunt, quàm ab eius mente longè sint nuperi illi argutores: sic enim subiungit Sanctus Lucas. *Petrus verò eleuauit eum dicens: Surge, & ego ipse homo sum.* Quibus apertè Sanctus Petrus significat aliquid supra hominem de se Cornelium cogitasse: nam vt Sanctus Hieronymus lib. cont. Vigilantium docet, aliquid diuinum de Petro Cornelius existimabat. Quamobrem ne erraret circa obiectum honoris, Petrus meritò illum admonuit, ne de se supra id quod videbat quoad naturam putaret: à Deo se quidem agnosceret missum, Deum verò non esse, nec Angelum. Vbi palam videre est, Petrum his verbis duntaxat maiorem de sua naturali conditione Cornelij opinionem correxisse: minimè verò vetuisse ne beatos Spiritus quos Deus glorificauit honoraret, aut Apostolicæ dignitati rependeret, quæ eidem deferri voluit Dominus à fidelibus, reuerentiæ testimonia. *Qui vos spernit* (inquit Lucæ 10.) *me spernit.* Proinde & qui honorat me honorat. Inde Paulus, quem alio spiritu ductum fuisse quàm à quo Petrus ipse regebatur, dici non potest: honores sibi delatos, apostolatus quo fungebatur respectu, non reiecit, sed recepit. Melitæ insulæ incolæ, post susceptas per manus Pauli plerasque circa infirmos opitulationes, magna ei detulerunt venerationis indicia. *Quo facto* (inquit Lucas qui aderat Act. 28.) *omnes qui in insula habebant infirmitates accedebant & curabantur, qui etiam multis honoribus nos honorauerunt.* Quid quod Paulus ipse diuini ministerij quod gerebat consideratione, honores passus sit sibi supra humanos delatum iri? *Non spreuistis* (ait ad Galatas 4.) *neque respuistis, sed sicut Angelum Dei suscepistis me,*

sicut Christum Iesum. Meritò igitur Sanctus Chrysostomus tractans locum Actuum (qui hîc vertitur) censet Cornelium piè ad Petri pedes illum venerando procidisse: qui quidem Petrus, reuerà etsi natura homo, officio tamen plusquam Angelus erat. Quamobrem illum in vinculis, pluris quàm Angelum in lumine, Chrysostomus ipsemet faciebat: Petrum vinctum siquidem, Angelo qui ipsum è carcere eduxit meriti ac officij dignitate existimabat anteferendum. Quid mirum igitur si Cornelius qui ab Angelo edoctus, Petrum sibi vt dux esset ad salutem accersiuerat, eius in domum suam introeuntis procidit ad pedes, ac prostratus adorauit, seu quod idem etiam apud Græcos sonat, eosdem exosculatus est *? * Vide Cardinalis Baronij notas ad diem 17. Feb. litera f.

Colligamus, quæso, ex superiori syntagmate fragmenta ne pereant. Scrupulo se anxiari dicunt nouatores ne Christi ministris & legatis, eorúmque signifero exuberantior honor, propriâ mensurâ, deferatur. Id porrò tum futurum, si vsque ad oscula pedum coram illis fideles se sternerent. Sed huius meminerint obsecro verbi Domini Iesu, *quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis*, si enim minimo, quantò magis maiori? Passus est Christus ipse, suos pedes à piis affectuoso amplexu stringi, iisque à pœnitente muliere infigi repetita oscula, instillari profluentes lachrymas, odores suaueolentes infundi. Ipse verò suorum ad discipulorum pedes prouolutus, eos lauare propriis manibus dignatus est. Iussit insuper vt quod tum fecerat, fideles perpetim imitarentur. Quî fiat igitur vt nouatores immanis eos criminis insimulent, qui Christi ipsius amore, Vicarij eius vestigia venerantur? Quin ipsum Domini vices gerentem, qui hæc Christianæ pietatis exercitia non reprobat, nec recusat sibi in Christi nomine exhibita, postulare non dubitent, manifestæ vt volunt impietatis, quasi diuina quæ sunt, sibi irreligiosè arrogaret? Paulum igitur à Christo ipso vas electionis appellatum, est etiam quòd impietatis sugillent, qui à Melitensibus * incolis delatos sibi honores copiosos non reiecit: séque vt ipse testatur à Galatis excipi passus est, *non vt Angelum*

Matth. 25. *Luc. 7.* *Ioan. 12.* *Ioan. 13.* * *Act. 28.* *Gal. 4.*

modò, ſed vt Chriſtum Ieſum. Expungant verò Cornelium, gentilitatis primum in Eccleſia florem, ex electorum albo, quaſi à fide primo in limine ſui ad Chriſtum acceſſus apoſtatam, & dictorum ſibi ab Angelo (qui ipſum paulò antè docuerat) immemorem, propterea quòd vt ipſi aiunt, diuinos Petro honores impio auſu detulerit, ſtraueritque viam ad nouam idololatriam, temerario imò ſacrilego hoc actu. Cuius tamen commendabilem poſteris memoriam, Spiritus ſanctus ſacris codicibus conſignari voluit, auctorémque eius, à ſancto Chryſoſtomo, ſpectandæ pietatis elogiò, ob ipſius facti meritum, honorari.

Sed verò non ſolus Cornelius ſe ad Petri Apoſtolorum Patriarchæ pedes aduoluit. Teſtis de ſe eſt Clemens (cuius in libro vitæ ſcriptum iam fuiſſe fortunatum nomen, Paulus, cuius adiutor quoque fuerat, ſcribens ad Philippenſes* aſſeuerat) quòd ſe pronum itidem proiecerit ad Petri ipſius pedes, cùm paſtoralem ei curam, poſt ſe obeundam Eccleſiæ præciperet. *Hæc eo dicente* (inquit) *ego procidens ad pedes eius, rogabam excuſans me, & declinans honorem Cathedræ, vel poteſtatem.* Ita Clemens in epiſtola prima enarrat, quam ad Iacobum fratrem Domini, ſeu potiùs Simeonem ſucceſſorem eius & fratrem conſcripſit. Scio ſectarios ſuppoſititiam eſſe hanc epiſtolam ſolitos eſſe excipere, eo quòd Iacobo Petri nunciet martyrium, cùm tamen ipſe Iacobus agonem ante Petrum ipſum conſummauerit. Verùm magni duo Cardinales Bellarminus & Peronius futilem hanc impetitionem euincunt candida ac appoſita reſponſione. In titulo duntaxat aiunt, ſiquidem mendum reperiri. Nec enim ad Iacobum ſcriptam, ſed ad Simonem eius germanum, qui ei in Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopali cura ſucceſſit. Facilè enim amanuenſium oſcitantia variari inſcriptiones: præſertim cùm affinitatem habet inter ſe res vel nomina, prout hîc nonnihil conſimilia eſſe ſatis apparet. Quod aliàs enim ipſa Clementis prima epiſtola à Patribus pro genuina cognita ſit, patet ex Vaſenſi Concilio I. anno 3. Leonis Papæ Magni, Chriſti ſcilicet 442. celebrato, cuius can. 6. excer-

* c. 4.

excerpta verbatim ex eadem epistola proferuntur : sic enim incipit Canon præsignatus. *Ex epistola Sancti Clementis, vtilia quæque præsenti tempore Ecclesiis necessaria sunt, honorificè proferenda, & cum reuerentia ab omnibus fidelibus, ac præcipuè Clericis percipienda. Ex quibus quod specialiter placuit, propter venerandam antiquitatem, statutis præsentibus roboramus, quod suprascriptus beatus Martyr, de beatissimi Apostoli Petri institutione commemorat dicens: Quædam autem*, &c. quæ satis fusè de prima ipsa epistola quam præcitauimus seriatim recitantur. Cæterùm Frontonem primum Petracoricensem Episcopum, Petri summi Apostolorum, à quo in Aquitaniam mittebatur pedibus aduolutum supplicasse, vt Georgium commilitonem sibi ab eo datum, sed in via defunctum, sua ad Dominum intercessione idem Apostolorum princeps vitæ restitueret, acta* eiusdem Frontonis referunt his verbis. *Vnde & Fronto tristis & mœstus effectus, concito gradu ad Apostolum Petrum reuertitur, pedibúsque eius prostratus flebiles voces ingeminat, & pro reddenda defuncto vita lachrymabiliter implorat.*

* Edita leguntur apud Bosquetum parte 2. hist. Eccles. Gallic. p. 13. & sequentibus.

ARTICVLVS II.

Eundem honorem à piis delatum, Petri successoribus, etiam inter persecutionum Ethnicarum asperrimas conflictationes.

IN actis Sancti Alexandri Papæ, à beato Petro sexti, & sociorum eius martyrum, memoriæ proditum est, Quirinum quem in Christo erudierat, quîque cum eo subinde passus est, procidisse ad pedes eius, & eosdem piis cum osculis amplexum. *Ostium aperiens Quirinus* (sic verbatim acta ferunt) *Sanctum vidit Alexandrum: itaque procidens ad pedes eius.* Et infrà: *Fecit ita Quirinus, &* osculatus pedes *Sancti Alexandri dixit*, &c. Antea à Præfecto cuius suscitarat filium, idem præstitum ferè honoris officium memoratur. *Abieci me*, inquit, *ad pedes eius, rogans vt me faceret Christianum.* Parum est Præfectum videre iam, ad sacra vestigia Petri

Extant ex Manuscr. Cod. descripta apud Surium tom. 5. 3. Maij.

ſucceſſoris prouolutum ac ſupplicem: Imperatorem dum ethnicus furor in Chriſtianos adhuc maximè ferueret, diuino afflatu iam in occulto Chriſtianum, poſtea baptizatum, idem pietatis obſequium impendiſſe Romano itidem Pontifici, facile eſt ex Euſebio colligere narrante lib. 6. c. 27. Hiſtor. Eccleſ. quemadmodum Philippus Imperator in vigilia Paſchæ, ſacrorum cupiens particeps cum cæteris fidelibus fieri, à Romano Antiſtite ob admiſſa ſcelera fuerit ab adytis repulſus, nec antea admiſſus, quin ſupplex inter pœnitentes ac venerabundus veniam poſtularit, ſuæque ſtupendæ & ſpectatæ humilitatis exemplo promeruerit. Vt enim fieri conſueuiſſet pœnitentia publica, quam Philippus ipſe animo lubenti ac religioſo exhibuit, licet ex Tertulliano colligere, qui ſub eiuſdem ſæculi exordio maximè florebat. Is enim lib. de Pœnitentia c. 9. actus eorum, qui huic addicti fuiſſent enumerans, inter eos recenſet, *ieiunia, preces, lachrymas, mugitus, proſtrationes, & adgeniculationes ad Sacerdotum veſtigia.* Porrò hæc officia perſoluiſſe Philippum erga Fabianum Papam, cùm eius iuſſu pœnitentiam ſolennem egit, ex geſtorum eius monimentis, annorúmque (ad quos reuocantur) exploratis periodis, Baronius tom. 2. Annalium inſinuat, ſub annum ſalutis ducenteſimum quadrageſimum ſextum, qui eiuſdem Fabiani Papæ octauus erat.

Porrò in actis Sanctorum Hippolyti, Euſebij, & ſociorum, qui Romæ ſub an. 259. glorioſum agonem peregerunt die 2. Decembris, non ſemel legitur eoſdem & alios fideles, ad beati Stephani Papæ pedes procidiſſe, venerationis gratiâ. Sub Diocletiano paſſa eſt illuſtre martyrium Sancta Suſanna virgo Romana nobiliſſima, Caij Papæ & Martyris qui tum ſedebat neptis, in cuius actis authenticis, vt pote à Notariis Romanæ Eccleſiæ conſcriptis, & vetuſtiſſimis Martyrologiis conſonantibus, inſigne monimentum huius ritus extat deoſculationis pedum ſummi Pontificis. ſic enim in iis legitur c. 8. *Eadem hora Prepedigna* (Claudij vxor) *aſcendit Baſternas, venitque ad ædes Gabinij*

Extant apud Surium tom. 8. die 12. Augusti.

presbyteri, & ad Caium Episcopum sola intrauit. Eam Caius Episcopus videns gratias egit Deo, illa verò submisit se ad pedes eius, eósque tenens & osculans cum lachrymis ait, salua famulum & famulam tuam & filios meos. Audito hoc Susanna exiit è cubiculo suo, & Præpedignam cum gaudio amplexata est. Alia acta habuisse Baronium hinc apparet, quòd rem equidem eandem refert ex iis quæ citat, sed aliis verbis. Ita etenim legit ac exscribit. *Rediens verò Claudius domum, cùm hæc omnia Præpedignæ vxori nuntiasset, illa cùm diu antè de fide Christiana sectanda consilium iniisset, sed viri impietate perterrita destitisset, audita viri tanta facta à Deo mutatione, repente ad Caium Papam se contulit, ad pedésque procidens eósque* EX MORE (vt acta habent) *exosculata, æquè se ad fidem recipi postulauit. Aderat cum eo & Susanna quæ eam amanter suscepit.* Vbi potissimùm verba illa perpendi debent, *eósque ex more exosculata.* Ex his siquidem fit perspectum constantem iam olim antea fuisse morem eorum, qui ad Romani Pontificis præsentiam accedebant, aliquid gratiæ petituri, acclines & pronos eiusdem aduolui pedibus, eósque cum osculis venerari.

Passa est Susanna anno Christi 294.

ARTICVLVS III.

Morem hunc ab initio religionis exortum, à posteris fidelibus, etiam Clericis, Episcopis, Imperatoribus seruatum praxi conspicua.

TAMETSI rescriptum donationis Constantini factæ Papæ Syluestro, à Balsamone seriatim recitatum, in Nomoc. Photij tit. 8. c. 1. plerisque suspectum adeóque si non nullius, exiguæ tamen fidei videatur: in quo signatim Constantinus commemorat se ipsi Syluestro Pontifici stratoris officio obsecutum: in dubium tamen puto reuocari non posse, quin magnæ venerationis illi officia exhibuerit, signatimqué ad eius pedes procubuerit, maximè cùm ab ipso Pontifice Christiana in fide eruditus, vitali fonte regeneratus, ac sacro chrismate inunctus fuit, signóque crucis salutifero consigna-

tus. Acta Syluestri quæ Gelasius can. *Sancta Romana* dist. 15. non inter apocrypha reiecit, sed à nonnullis in Romana Ecclesia lectitari, ex vsu non improbato asseuerat, satis id apertè significant. Porrò de Cæsaribus aliis qui (dempto vno Iuliano) se Christianos professi sunt, non adeo clara comperimus, hac in re deuotionis indicia: cùm solus fuerit Constantinus, qui à Romano Pontifice in fide Christiana eruditus, sacróque tinctus lauacro, tam profusæ in eum prodiderit beneuolentiæ ac propensionis testimonia. Maximè cùm ex quo ipsemet Constantinus Imperij Sedem Româ in Thraciam transtulit, pauci Imperatores Romæ deinceps consederint: proinde & coram egerint, cum Apostolicæ Sedis Pontifice: cuius cæterà tamen suis in rescriptis, sese obseruantissimos, vt plurimùm præstitere. Verùm cùm aliqua data occasione ipsi Romani Pontifices, sese ad eos Constantinopolim contulerunt, summis honoribus quòd fuerint ab illis suscepti, vetera monimenta passim memorantur. v. g. Iustinum seniorem Ioannem I. Papam ingenti veneratione excepisse, cùm ad illum Constantinopolim venit, res est veteris ex historiæ Codicibus explorata. Ex quibus illam excerptam sic Anastasius recitat in lib. de vitis Pontificum numero 54. *Occurrerunt* (inquit) *beato Ioanni milliario 12. omnis ciuitas cum cereis & crucibus in honorem Apostolorum Petri & Pauli. Quia veteres Græcorum hoc testificabantur, dicentes à tempore Constantini Augusti, & beato Syluestro Episcopo Sedis Apostolicæ, vsque ad Iustini Augusti tempora, non meruisse partes Græciarum, beati Petri Apostoli Vicarium suscepisse cum gloria. Tunc Iustinus Augustus dans honorem Deo, humiliauit se pronus* (additur in margine, ex editione Suriana, *in terram*) *& adorauit beatißimum Papam Ioannem.*

Eodem honore susceptum à Tiberio filio Iustiniani secundi, deinde ab ipso Iustiniano, Constantinum Papam refert ex vetustis historiæ monimentis Platina in vita ipsius Pontificis, hoc verborum contextu. *Iustinianus autem videndi Constantini Pontificis admodum*

ſtudioſus, hominem rogat vt ad ſe proficiſcatur, præmiſſa claſſe qua tutiùs nauigaret. Appropinquante autem vrbe regia Conſtantino, Tiberius Iuſtiniani filius cum regio comitatu, & Cyrus Patriarcha cum omni Clero, honoris cauſâ, ad octauum lapidem obuiam prodeunt, eúmque Camelanto, Pontificali amictu indutum, ſolenni pompa vrbem ingreſſi, in regiam perduxere. Inde verò Nicomediam proficiſcens (quò venturus & Imperator Nicæâ erat) non ſecus quàm Conſtantinopoli à Nicomedienſibus ſuſcipitur. Iuſtinianus autem non ita multò poſt vrbem ingreſſus, non ſolùm Pontificem amplectitur, verùm etiam eius pedes venerationis cauſa exoſculatur. Videtur hæc Platina ex Anaſtaſio mutuatus, cuius ſunt verba propria obſeruatione digna. *In die autem qua ſe viciſſim viderunt, Auguſtus Chriſtianiſſimus cum regno in capite, ſeſe proſtrauit, pedes oſculans Pontificis. Deinde in amplexum mutuum corruerunt, & facta eſt lætitia magna in populo, omnibus aſpicientibus tantam humilitatem boni Principis. Die verò Dominico Miſſas Imperatori fecit, & communicans Princeps ab eius manibus, próque ſuis delictis, vt deprecaretur Pontifex, poſtulans,* &c.

anno 710.

Porrò eiuſdem ritus adorandi ſacra Apoſtolici Pontificis veſtigia, luculentum extat monimentum in epiſtola Orientalium Epiſcoporum ad Symmachum Papam, anno 512. directa pro ipſorum in gratiam Apoſtolicæ Sedis ſuſceptione. In hac enim ſic venerandi ac ſupplices, ipſum ad Symmachum Papam eloquuntur. *Feſtina in auxilium noſtrum, ſciens, ſanctiſſime, (ſicut in principiis dictum eſt) quia non opus habent ſani medico, ſed malè habentes. Quod ſi parua exiſteret ægritudo, nos forſitan ad ſpiritualem noſtrum medicum curreremus, quatenus & paſſiones bonorum medicorum, id eſt glorioſorum Chriſti diſcipulorum, veſtrorúmque doctorum, & ſancta* ADORAREMVS *tua veſtigia, vt & præuaricationis medicinam, & delicti remiſſionem de tuo ſancto ore ſuſciperemus.*

Extat tom. 2. epp. RR. Pontif.

In Prato ſpirituali (qui liber non parum vtilis, in Eccleſia iam olim viſus eſt: nam & in VII. Synodo

vbi agitur de ſacrarum imaginum cultu, Patrum exemplis confirmando, in teſtimonium allegatur) morem fuiſſe adorandi Romanum Pontificem, ex facto liquet Ioannis Abbatis, qui Romam ex Perſide venerat piæ peregrinationis cauſâ. Hic enim eiuſdem libri c. 151. de ſeipſo teſtatur, quòd humi proſtratus adorauerit Sanctum Gregorium, à quo, ſtupendæ humilitatis exemplô, mutuæ honorificationis officium recepit.

Nec mirum ſi Abbates, eo præcipuæ venerationis indicio ſummum Pontificem proſequerentur: cùm vt præoſtenſum eſt Imperatores & Epiſcopi eodem illum percolerent honore. Auctor eſt citatus iam non ſemel Anaſtaſius Bibliothecarius, in electione Leonis IV. quæ facta eſt anno 847. eumdem ei cultum ex auito more fuiſſe exhibitum non modò à Clero, ſed & ſacris proceribus qui tum adfuerunt. *Tunc omnes pergentes* (inquit) *cum gaudio, multáque auiditatis lætitia, ad Eccleſiam in qua degebat beatorum quatuor Coronatorum, eum coactum, inuitúmque exinde abſtrahentes, cum hymnis, laudibúſque præcipuis, ad Lateranenſe Patriarchium perduxerunt, qui* MOREM *conſeruantes* ANTIQVVM, *omnes* (eius) *oſculati ſunt pedes.*

ARTICVLVS IV.

Eodem honore excultos Romanos Pontifices, à Regibus Francorum Chriſtianiſſimis.

A Pipino quanta cum veneratione ſuſceptus fuerit Stephanus III. licet ex iis elicere, quæ Paulus Æmilius ſua hiſtoria de geſtis Francorum commemorat. *Pontifici* (inquit) *in Galliam venienti, officij cauſa ampliſſimus ac nobiliſſimus quiſque ad primos fines occurrere, Principe comitatus Carolo adoleſcentulo, cui ſua virtus felicitáſque magni poſtea nomen indidit. Et Pipinus tertium à Cariſiaco oppido lapidem, obuiam progreſſus,* PEDES *vt ferunt* EXOSCVLATVS, *coërcere non potuit quin in equo ſalientem ipſe pedibus ad frenum proſecutus, in regiam deduceret.* Haud æquè elaborato ſtylo, ſed adæquè vero, Anaſtaſius rem ipſam ſic actam enarrat in

vita eiusdem Stephani III. hoc scilicet tenore. *Furaldus Abbas & Rothardus dux directi à sæpefato Pipino excellentissimo Francorum Rege, petierunt eumdem sanctissimum Pontificem, ad suum progredi Regem. Quem & cum magno honore, cum omnibus qui cum eo erant ad eum deduxerunt. Audiens verò idem Rex, eiusdem beatissimi Pontificis aduentum, nimis festinanter in eius aduenit occursum, vnà cum coniuge, filiis etiam & primatibus, & ferè ad centum millia, filium suum nomine Carolum in occursum ipsius coangelici Papæ direxit, cum aliquibus ex suis optimatibus. Ipséque in Palatio suo in loco qui vocatur Ponticone, ad ferè trium millium spatium, descendens de equo, cum magna humilitate terræ prostratus vnà cum sua coniuge, filiis & optimatibus eumdem sanctissimum Papam suscepit. Cui & vice stratoris vsque ad aliquantum locum iuxta eius sellarem properauit.*

Leo III. anno Christi 799. ad Carolum Magnum auxilij petendi causâ profectus, pari honore susceptus est. Quemadmodum memoriæ proditum legitur ab auctore carminum de eiusdem Papæ Leonis, ad Carolum ipsum aduentu. Quæ ex vetustis Codicibus, typis emitti in lucem curauit Henricus Canisius tom. 6. antiquæ Lectionis. Sic enim auctor illius poëmatis, (quem Alcuinum esse præfatus Canisius in animaduersione iisdem versibus præfixa, satis probabiliter insinuat) suis numeris cecinit, delatos Pontifici honores à Carolo, illius in aduentu recensens.

*Hinc iubet extemplo Pipinum * occurrere magno*
Pastori, pacem & placidam portare salutem.
Obuius ire parat genitoris iussa facessens
Pipinus, centum lætus cum millibus ibat.
Ipse sedet solio Carolus Rex iustus in alto
Dans leges patriis, & regni fœdera firmat.
Vtque videt patulo aduersum se tendere campo
Pastor Apostolicus, centum cum millibus altum
Pipinum, geminas extendit ad æthera palmas,
Pro populóque preces effundens pectore largas
Ante sacerdotem, Rex, summum, exercitus omnis

* filius hic erat Caroli.

Sternitur, & supplex vulgus ter fusus adorat.
Mox Leo Papa solo Pipinum more benigno
Excipit, & sacris circumdans colla lacertis
Hæret in amplexu, &c.

Et infrà vbi verba facit de Caroli ipsius ad Pontificem occursu.

—— Carolus medio micat agmine lætus,
Aurea crista tegit frontem, & conspectus in armis
Fulget, equo ingenti portatus ductor opimus,
Ante Sacerdotum porrò castra, agmina ternis
Stant diuisa choris, in longis vestibus almæ
Sacra crucis vexilla leuant, & Præsulis omnis
Aduentum exspectat Clerúsque, & candida plebes.
Iam pater in campo Carolus videt agmina aperto
Pipinum, & summum Pastorem tendere contra.
Constat, & inque modum populum expectare coronæ,
Præcipit atque aciem hinc diuidit vrbis ad instar,
Ipse autem medio consistere in orbe beatus.
Præsulis aduentum expectans, & vertice toto
Altior est sociis, populum superminet omnem.
Iam Leo Papa subitque externo se agmine miscet,
Quam varias habitu linguas, tam vestis & armis,
Mirantur gentes diuersis partibus orbis.
Extēplo properans Carolus VENERANTER ADORAT
Pontificem, &c.

Quemadmodum antè coluerat Hadrianum, ipsius Leonis decessorem. *Præstolabatur* (scribit in Caroli vita Paulus Æmilius) *Regem Hadrianus, cum sacro cœtu pro gradibus ædis Petri. Ille vbi in congressum venit, priùs Pontificis* pedes osculo *contigit, quàm se illi amplectendum daret.*

Nec aliter susceptum fuisse apud Durocortum Remorum, à Ludouico pio Caroli filio, Stephanum quintum, Leonis præmemorati successorem, licet ex Aimoini verbis intelligere scribentis lib. 4. de gestis Francorum c. 104. *Imperator Remis statuit ei occurrere. Missisque obuiam his qui eum illò deducerent, aduentum eius præueniens, cum magno eum ibidem honore suscepit.* Idem porrò piissimus Augustus, cùm filiorum in se coniuratione, ac procerum, iam in angustum cogeretur, excusauit

cuſauit ſe apud Gregorium IV. quòd ipſi inexpectato, conſuetos non rependiſſet honores. *Quem venientem*, inquit Aimoinus lib. 5. c. 14. *in ipſa acie Imperator conſiſtens ſuſcepit, licèt indecentiùs quàm debuit, imputans ei quod ipſe ſibi talem ſuſceptionem præparauerit, qui inuſitato modo ad ſe venerat.*

Porrò tertiæ ſtirpis Reges, Carolinis in hac parte, vt in cæteris pleriſque omnibus laude dignis, inferiores non fuerunt. Cuius poſtremæ Regum Chriſtianiſſimorum propaginis, caput ac radix Hugo, ſic Ioannem XV. Papam, vt in Gallias venire dignaretur, iiſdem excipiendus honoribus, quibus ab anterioribus regibus ſuſcipi conſueuerant principis Apoſtolorum ſucceſſores, eiuſdem Ioannis anteceſſores, datis ad eum ſupplicibus litteris inuitabat. *Nunc*, inquit, *obſecrando ſuperaddimus, vt mihi meiſque iuſta decernatis. Nihil nos contra Apoſtolatum veſtrum geſſiſſe ſcimus: quod ſi abſentibus non ſatis creditis, præſentes de præſentibus vera cognoſcite. Gratianopolis ciuitas in confinio Italiæ & Galliæ ſita eſt: ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere ſoliti fuerunt. Hoc ſi vobis placet iterare, poſſibile eſt. At ſi nos & noſtra inuiſere libet, ſummo cum honore deſcendentem de Alpibus excipiemus, morantem ac redeuntem debitis obſequiis proſequemur.* Sed grauiſſima quæ diſtinebant Ioannem Pontificem negotia, obicem ei iniecerunt, ne Hugonis Regis votis ſatisfaceret: à quo erat omni cum venerationis ſignificatione excepturus. Sed impleuit proaui deſideria, Philippus I. filius ſcilicet Henrici primi, quem Robertus Hugonis filius genuerat. De iſto etenim Philippo, litteris prodidit Bertholdus, quòd reatus adulterij pœnitens, ad Vrbanum II. poſt celebrationem Concilij Turonenſis, adhuc in Gallia hærentem, venerit ſupplex ac humilis, à quo ſuſceptus in gratiam, ipſe Maiorum more illum veneratus eſt. Paſchali Vrbani ſucceſſori appulſo in Galliam, idem cultus ſacri obſequium detulit ipſe Philippus Rex cum filio Ludouico. Sic enim refert Sugerius in lib. de vita eiuſdem Ludouici cognomento Groſſi. *Occurrit itaque ei ibidem Rex Phi-*

lippus, & Dominus Ludouicus, gratanter & votiuè amore Dei maiestatem regiam pedibus eius incuruantes: quemadmodum consueuerunt ad sepulchrum piscatoris Petri Reges submisso diademate inclinari. quos Dominus Papa manu erigens, tamquam deuotissimos Apostolorum filios ante se residere fecit. Innocentium II. ad se confugientem pari honore excepit ipse Ludouicus huius Philippi filius anno 1130. quemadmodum Sugerius in eius gestis enarrat, hac verborum serie: *Vt autem vsque Sanctum Benedictum super Ligerim descendit, Dominus Rex cum Regina & filiis occurrens, nobilem & diademate sæpius coronatum verticem, tamquam ad sepulchrum Petri inclinans, pedibus eius procumbit, Catholicum affectum, & deuoti seruitij affectum ei & Ecclesiæ promittit. Cuius exemplo, & Rex Angliæ Henricus ei Carnotum occurrens deuotissimè pedibus eius prostratus, votiuam sui suorúmque in terra sua susceptionem, & obedientiæ filialis promittit plenitudinem,* &c. *Cui cùm Imperator Lotharius ciuitate Leodij cum magno Archiepiscoporum & Episcoporum, & Teutonici regni optimatum collegio celeberrimè occurrisset, in platea ante Episcopalem Ecclesiam humillimè seipsum stratorem offerens, pedes per medium sanctæ processionis ad eum festinans, aliâ manu virgam ad defendendum, alia frenum albi equi accipiens, tamquam Dominum deducebat. Descendente verò tota statione eum suppodiando deportans, celsitudinem paternitatis eius notis & ignotis clarificauit.* Cæterùm Ludouicus septimus, sexti filius, auitæ pietatis non immemor, venienti ad se perfugij gratiâ (vt Romanorum Pontificum priscus mos est) Alexandro III. profusioris etiam cultus testimonia exhibuit. *Adueniente etenim Quadragesima* (ita Acta Alexandri syllabatim perhibent) *colloquium habiturus Alexander Papa cum Rege Francorum,*
* anno 1163. *ad Parisiensem ciuitatem properauit *. Quò cùm progressus esset, tanquam pius & mitis Rex, cum Baronibus & militibus suis per duas leucas illi occurrit, quo visô statim descendit, & ad stregam eius festinanter accurrens humiliter deosculatus est pedes ipsius, & statim ad eius oscula cum deuotione fuit receptus. Deinde singulariter*

procedentes intrauerunt prædictam ciuitatem. Cui Clerus cum maxima & decora processione obuiam venit, & Pontificem, & eius fratres Cardinales deduxit in gaudio & exultatione ad maiorem Ecclesiam.

Nec id honoris ſemel, alter hic Ludouicus Pius Alexandro Papæ detulit, ſiquidem iterum id a b eo, actum, vnà cum Henrico II. Angliæ Rege, Genebrardus lib. 4. Chronographiæ ſub anno 1180. commemorat dum de Frederici ſæui Cæſaris agit, ſera ſed tandem ſeria ad eiuſdem Pontificis ſacra veſtigia demiſſione. *Ad eius pedes* (ait) *procubuit Fredericus Imperator petens abſolutionem excommunicationis. ferunt Ludouicum Francorum, & Henricum II. Angliæ, Reges pedites ei inſeruiſſe ſtratoris officio, ac læua dextráque frenum equi ipſius tenentes, eum per Totiacum vrbem, magna cum pompa deduxiſſe. Cuius pudere eos non debuit: nam & magnus ille Conſtantinus longè potentior & ſanctior, priùs id honoris Syluestro Chriſti Vicario exhibuit.* Hæc Genebrardus.

Prolixior forem ſi per ſingulas poſteriores ætates, Regum præſertim noſtrorum Chriſtianiſſimorum, ſpectatæ hac in re pietatis exempla minutim vellem ire congeſtum. Dura ſanè fuerunt tempora Bonifacij VIII. Papæ & Philippi Pulchri Francorum Regis, ob exortam (quæ acres inter regnum & ſacerdotium excitauit conflictus) ſimultatem. Sed tamen cùm magis mutua Pontificis & regis odia feruerent: exhibiti à Patribus, veſtigiis ſacris ſucceſſoris Petri cultus, etiam ab Epiſcopis Gallicanæ Eccleſiæ, ſcintilla refulſit: cùm tametſi irato rege, Epiſcopi vnà cum vniuerſo Clero regni Chriſtianiſſimi (illo tamen non neſcio) ipſum ad Pontificem ſcriberent, obſeruantiæque ſupremo Eccleſiæ apici debitæ non immemores, literarum ſuarum ſic ſeriem ordirentur. *Sanctiſſimo Patri & Domino ſuo chariſſimo Domino Bonifacio, diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, ſui humiles ac deuoti Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores Conuentuales, Decani, Præpoſiti, Capitula atque Collegia Eccleſiarum Cathedralium*

& Collegiatarum, Regularium & Sæcularium totius regni Franciæ, Parisiis congregati, DEVOTISSIMA PEDVM OSCVLA BEATORVM.

Porrò hac venerandorum Papæ vestigiorum præambula in litteris formula, quòd constet posteros tam Præsules, quàm Reges & Principes passim continua obseruatione vsos: superuacaneum ideò foret subsequentium temporum praxim consimilem, nexu continuo hîc subiicere. Cùm innumerabilia ferè huius suppetant monimenta in libris editis, tam de Ecclesiasticis, quàm politicis rebus: in quibus Lectori, non fastidienti locare operam in eiusmodi perquisitione, pleraque exempla huius piæ obseruationis, obuia passim occurrent. Non tamen hîc mihi pati possum immemoratum excidere, Francisci I. erga Clementem VII. verè Christianissimum facinus. Aduenerat Pontifex ille Massiliam, vbi à Rege nihil prætermissum est, quo innata sibi ex Maiorum traduce, aduersus summum Christianorum Antistitem deuotio, posset significari. Aderant internuncij Henrici VIII. Angliæ Regis, Clementi Papæ infensissimi, & ferè iam ab Ecclesiæ Catholicæ gremio seiuncti, quo cum Rege Francisco strictissima in cæteris intercedebat animorum coniunctio. Nihil non agebant Angli Legati, vt abalienarent à Pontifice Regis animum: aut saltem quicquam honorificentiæ detractum irent, qua à Rege Papa excipiendus erat. Maximè propudiosum esse dictitabant, Regem tantum, ad vnius (vt aiebant) sacerdotis pedes vsque demitti. Sui itaque Regis nomine supplicabant enixiùs, ne Rex eo honore Clementem prosequeretur. sed frustra fuit omnis illorum conatus. Rex siquidem tenacissimus auitæ pietatis imitator, Consistorium ingressus, publicè Pontificem adorauit, atque sedentis in tribunali Ecclesiæ Pastoris (ob Saluatoris reuerentiam, cuius vices ille gerebat) sacros pedes tanta humilitate, quanta vix minimus quisque Christianorum posset, in ipsorum Anglorum conspectu exosculatus est. Qui cùm litteris rem ita actam ocyùs suo Regi significassent, vix dici potest quàm amaro ani-

mo hoc præſtitum à Rege Pontifici religioſum obſequium*, pertulerit. De quo etiam per litteras conqueſtus eſt, nec diu pòſt in Regis amicitia perſtitit. Porrò Franciſcus cùm in camera Papæ, nuntios ipſos Henrici abiecto omni pudore & reuerentia, proteſtantes inueniſſet: de cætero cum eo rege, qui adeò hoſtilem animum erga Sedis Apoſtolicæ Præſulem, religionis apicem, indicabat, nihil habere commercij apud ſe conſtituit, palam interim teſtatus Angli nuntiis, qui opem ab eo contra Pontificem, ex vi fœderis petebant: aliis in rebus ſe fratris animum Henrico præſtaturum, ſed in iis quæ contra religionem fierent nolle ſe cuiquam aſſociari*. Reſponſum certè nulla vnquam obliuione delendum, perdignum Chriſtianiſſimo Regi qualis Franciſcus erat, ingenita à maioribus pietate. Cæterùm poſt Franciſcum ipſum, nullus Regum noſtrorum perſonaliter & coram, vt aiunt, obedientiam filialem ſummo Pontifici præſtitit, ſed per proceres vice ſua delectos. Solennis fuit inter cæteras illa porrò è Gallia, ad Sedem Apoſtolicam legatio, qua Henricus Magnus, eiurato errore, fidéque Maiorum recepta aſſertáque, petiit meruitque cum communi Chriſtianorum parente Clemente VIII. & Eccleſiarum Chriſti Matre, Romana Eccleſia, reconciliari. Tunc ſiquidem ſedente pro Tribunali in porticu baſilicæ ſancti Petri Pontifice, ſtipato ſacro Cardinalium Senatu, aliiſque aſtantibus Prælatis, pleriſque cum Pontificis ac curiæ Officialibus: Procuratores Regis (nimirum Illuſt. Perronius electus Ebroicenſis, & Oſſatus Conſiliarius Regius, ambo poſtmodum Cardinales) comparuerunt, ac proſtrati ante pedes Pontificis illos deoſculati ſunt. Lecto autem libello ſupplici nomine Regis, de impetranda benedictione, mandatóque procurationis exhibito, poſt hæreſeωn abiurationem, editúmq; iuramentum tactis ſacroſanctis Dei Euangeliis de fide Catholica, Apoſtolica & Romana inuiolabiliter obſeruanda: rurſum Procuratores antedicti ad pedes Pontificis humi procumbentes, abſolutionem & benedictionem ipſius Regis nomine petierunt. Surrexit tum Pontifex, & ſo-

* vide Miſcellan. hiſtorica, ab anno 1390. ad 1580. edita Trecis an. 1619.

* Refert Sanderus lib. 1. ſchiſm. Anglic.

anno 1595.

lennes orationes ex ſacro Cæremoniali recitauit, denuóque ſedens abſolutionem pronunciauit, omnémque à Deo benedictionem & felicitatem Regi adprecatus eſt. Quàm gratum Deo fuerit, hoc primogeniti Eccleſiæ, ad Matris gremium redeuntis, & ad Patris fidelium pedes inclinati, ſpectatæ adeo humilitatis exemplum: pax quæ mox toti regno illuxit, altáque quies, quæ hinc ſequuta eſt, atque felicitas, quæ etiamnum in Henrici ipſius Magni Regis poſteritate perdurat, manifeſto indicio eſſe poteſt.

CAPVT IV.

Ritum hunc, vt conſtanti conſuetudine, ſic & ratione multiplici, niti.

ETIAMSI alia ratio non ſuppeteret, quàm ipſe vſus, conſtanter ab exordio Chriſtianæ religionis obſeruatus à viris Apoſtolicis, à Martyribus, ab Epiſcopis, Sacerdotibus, Clericiſque omnis ordinis: quin & ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, ac inferioris cuiuſque ſtatus fidelibus: quos per exempla præclariſſima, certiſſimiſque expreſſa monimentis, eum morem continua vſque ad nos temporum ſucceſſione, cuſtodiiſſe planè euicimus: ſatis ſupérque valeret huius conſuetudinis auctoritas, ad eiuſdem ritus obſeruationem confirmandam, & eos qui contrà obmurmurant, nimiæ indocilitatis, ac pudendæ auerſionis ab explorata, eáque antiquiſſima, Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine, redarguendum. Sic dudum perſtringebat Sanctus Auguſtinus Pelagianos libro 3. de peccat. merit. & remiſ. c.7. magno ſe ſuffultum aſſerens veritatis argumento, cùm Patrum aliquot teſtimoniis oſtendiſſet, *tanta conſtantia ab initio fuiſſe, quod aſtruebat, cuſtoditum*. Et lib. 5. c. 23. de Baptiſmo contra Donatiſtas, ad morem quem tuetur obfirmandum, ſatis fuiſſe ait, Eccleſiæ conſuetudinem, quæ contra nouam præſumptionem opponebatur. Verùm præter hanc rationem, quæ ab

approbatæ ab vſu longæuo, imò Eccleſiæ coætaneo ritu, auctoritatem mutuatur: aliæ ſunt inſuper rationes, quibus quàm ſit ea conſuetudo pietati conſentanea, luce clarius apparet.

I. ex argumento de minori ad maius procedit. Si enim in ipſa primitiua Eccleſia, & ſubinde fas eſſe fidelibus, nemo hactenus inficiatus eſt, presbyteris & Epiſcopis adgeniculari, quin & ad eorum pedes procumbere, hos amplecti & deoſculari: cur non idem honor deferri legitimè potuit illi Epiſcopo qui omnium ſummus eſt, vt pote qui ab ipſis Eccleſiæ aduerſariis, teſte Tertulliano, ante annos quadringentos ſupra mille, *Pontifex Maximus, Benedictus Papa ac Epiſcoporum Epiſcopus*, appellabatur? Quòd verò presbyterorum pedibus fideles aduoluerentur, Tertullianus ipſe, cùm nondum Eccleſiæ aduerſarius factus eſſet, luculenter in libro de Pœnit. cap. 9. inſinuat. Hic enim pœnitentium deſcribens conſuetos actus, iiſdem ad Sacerdotum veſtigia proſtrationes adcenſet. *Plerumque ieiuniis*, inquit, *preces alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctéſque ad Dominum, presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari*: cuius ritus, etiam epiſtola Sancti Dionyſij ad Demophylum, antiquiori monimento eſt: poſterioris verò obſeruationis, S. Hieronymi eſt teſtimonium de Fabiolæ pœnitentia; necnon Sancti Auguſtini hom. 49. qua eos reprehendit quos pudebat genuflectere, ſub benedictione Dei, hoc eſt abſolutione ſacerdotali, quam à Chriſtianis ſuſcipiendam, cum hoc humiliatæ mentis indicio, perpetuus abhinc Eccleſiæ vſus (qui etiamnum viridi in obſeruantia viget) manifeſtè demonſtrat, quem & mirificè commendat illa Sancti Ambroſij de excellentia Sacerdotalis dignitatis, ſuper regiam obſeruatio. *Quippe cùm videas*, inquit, *Regum colla & Principum, ſubmitti genibus ſacerdotum; & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt ſe communiri.* Fateor hoc illum de Epiſcopis principaliter intelligere, vt ex tota operis ſerie ipſiſque proximè verbis prætextis, apertè conſtat. Verùm vt nemo inficiatur, nullum poſſe presby-

tero honoris officium impendi, quod potiori iure Episcopo (qui ſummus eſt Sacerdos) non debeat deferri: ſic itidem abnuerit nemo, quæ Epiſcopo obſeruantiæ teſtimonia exhibentur, ſummo Pontifici qui Epiſcopatus eſt apex, maiori iure deberi. At verò Epiſcoporum non modò dexteras, ſed & pedes, dudum Chriſtiani deoſculabantur. Præſtitum certatim à fidelibus Palæſtinæ hoc reuerentiæ obſequium, Sancto Epiphanio, patenti teſtificatione Sanctus Hieronymus commemorat epiſtola 61. ad Pammachium *, vbi ſic eum affatur. *Nonne cùm de* Αναςάσει *pergeretis ad crucem, & ad eum* (Epiphanium) *omnis ætatis & ſexus turba conflueret, offerens paruulos*, PEDES DEOSCVLANS, *fimbrias vellens: cumque non poſſet promouere gradum, ſed in vno loco vix fluctus vndantis populi ſuſtineret*, &c. Ita ad pedes Sancti Martini procidiſſe Imperatorem Valentinianum, Fortunatus lib. 3. de eiuſdem Sancti Confeſſoris vita, his verſibus meminit.

* quam ſcribit contra Ioannis Hieroſolymitani errores.

Hinc celer exiliit rapiens ſe Cæſar & ardens,
Martini genua amplectens, pedibúſque volutans.

Et infrà:

Imperiale caput, Sancti ad veſtigia ſubdens.

A ſacris virginibus eidem Sancto Pontifici Fortunatus impenſos refert pios honores, ſignatimque eius veſtigiis, deuota ab illis religioſæ venerationis affectu impreſſa narrat oſcula.

Eſt locus in Turonum fine & confine Biturgum,
Incola quem vicum vocitant Claudiomagum,
Manſio forte fuit Martino prætereunti,
Eccleſiæ Domini qua ſecretaria pollent:
Virgineíſque choris Sancto abſcedente requirunt,
Quos ſtetit, aut ſedit, iacuit, genua atque reflexit,
Lambunt cuncta ſimul, vel ad oſcula ſingula ducunt.

Vix verbis exprimere ſatis pro voto & dignitate potuiſſe videtur Sulpitius, tametſi eloquio præſtans, vxoris Maximi Imperatoris erga ipſum beatum Antiſtitem deuotos affectus, quibus quid poſſit vera pietas in regio animo, affatim ipſa prodidit. *Diebus* (inquit) *ac noctibus de ore Martini Regina pendebat, Euangelico illo*

illo non inferior exemplo pedes Sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus quem nulla vnquam fœmina contigisset, ipsius aßiduitatem immo potius seruitutem non potuit euadere. Non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat, diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat. Nec est quòd quis excipiat, ritui osculandi pedes Antistitum de quo nunc agimus, hoc exemplum non conferre, nec cætera inducta priùs, aliquod probationis momentum: procidisse enim Magnates & pusillos ad Epiphànij & Martini sacra vestigia, infixisséque eorum pedibus oscula spectatissimæ illorum sanctitatis obtentu. Cæterùm personis sic delatum, ob propria merita, cultum, ad illorum Episcopatus non pertinuisse dignitatem. Contrà siquidem, id honoris passim fuisse Episcopis, ob dignitatis excellentiam exhibitum, phrasis illa apud veteres fermè vulgaris, satis perspectum facit; qua mos inoleuerat Episcopos obtestandi *per sacra illorum vestigia.* Quo ex vsu Fortunatus præcitatus, cùm nondum esset subuectus sacerdotali fastigio, sic Martinum Galliciæ Episcopum (cùm ei librum quintum poëmatum suorum transcriberet) compellabat*. *Quapropter sacratißimæ synceriβimæque atque amantißimæ coronæ vestræ plantas, supra meum pectus stratas imponens, & vltimus ego, membra subdita, vel pedum vestrorum recubatorium faciens, ita vestræ pietati auido desiderio me commendo.* Quid fecisset? quid dixisset pius ille scriptor, si Episcoporum Principem, Apostolorum hæredem, Christi Vicarium, vel præsentem coluisset, vel absentem salutasset? cùm ad vnius Episcopi non spectatæ admodum Sedis, se ita demitteret venerando incessus?

* *in epistola liminari.*

II. ratio ex more apud veteres recepto elicitur, quo filij, affundi Patris pedibus supplices consueuerant: maximè cùm veniam essent de aliqua offensa petituri. Quo ex more Sidonius, Proculo amico suo, filium eius in gratiam recipi gestientem remittens, his eum verbis compellabat. *Deus bone, quàm lætus orietur tibi dies, mihi nuntius, animus illi, cùm paternis pedibus affusus, ex illo ore læso, ore terribili, conuitium ex-*

Lib. 4. ep. 23. in fine.

pectans, osculum exceperit! Spectabat nimirum non tam ad Plinij testimonium, quo lib. 9. ep. 21. constat etiam apud Ethnicos hoc in vsu fuisse : quàm ad Euangelicum illum patremfamilias, prodigum filium, paternis suis affusum vestigiis, cum amplexu & osculo recipientem. *Cecidit* (ait textus sacer*) *super collum eius.* ad quæ verba beatus Chrysologus, apposité: *Vt erigeret* (inquit serm. 3.) *sic iacentem, cecidit super collum, vt amoris onere onus tolleret peccatorum, sic peccanti filio oscula dat non flagella.* Nec minùs aptè idem Chrysologus, peccatricis mulieris perpendens fortunatam solertiam, quæ ad Christi pedes supplicans veniam impetrauit. *Ad pedes*, ait, *tendat semper, citam veniam qui requirit,* serm. 93. Saluianus quoque testis est, quòd filij cùm ad parentum vestigia prociderent, soliti erant eorum pedes deosculari: tum amoris scilicet, tum reuerentiæ indiciô. Præ reuerentia siquidem eorum in faciem defigere non audebant obtutus, sed in terram oculorum aciem quasi refractam paterni vultus maiestate, demittebant. Osculabantur autem eorum pedes ex amoris filialis affectu, quo etiam vt vitæ suæ columina eosdem amplectebantur. Plerisque certè honorificis nominibus sancti Patres, Pontificis Romani præeminentem in Ecclesia dignitatem insignierunt: Enimuerò vocarunt eundem Apostolicæ Sedis Præsulem, custodem vineæ, Pastorem Dominici ouilis, Rectorem domus Dei, Principem Sacerdotalis coronæ, summum Pontificem, caput, sponsum & fundamentum Ecclesiæ, Episcopum vniuersalem, Patrem & Doctorem omnium Christianorum, Patrem Patrum, singularíque prærogatiua Papam, & communem Christi fidelium parentem. Hoc enim speciali elogio Melchiadem Sanctus Augustinus cognominauit epist. 162. qua postquam eius honorificè meminisset, sic in eius laudem erumpit. *O virum optimum! ô filium Christianæ pacis! ô Patrem Christianæ plebis!* Quid mirum igitur, si ad ipsius Sedis Apostolicæ Pontificem accedentes Christiani, eius ad pedes aduoluantur, eósque præ filiali reuerentia colant, amplexentur, osculentur: maximè cùm eius vices teneat,

* *Luc. 15.*

qui ſui loco Petrum inter homines eſſe voluit cùm ſuas ei iuſſit paſcere oues: ſic enim ait Ambroſius in vltimum Lucæ, *ipſum ſui erga eas amoris Vicarium conſtituit.* Cui etiam cùm dederit claues regni cœlorum, animas ligandi & abſoluendi Pontificium tradiderit: iure meritóque omnes qui ſe peccatorum norunt nexibus obſtrictos, caput inclinant, genua flectunt, ſacris affunduntur veſtigiis, eáque deuotis lambunt oſculis, veniam vt quam ſupplices petunt ab ipſo cœleſti diſpenſatore, valeant promereri.

III. ratio. Chriſti ad Philadelphiæ Epiſcopum promiſſio eſt. Apoc. 3. *Quia ſeruaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum, & ſeruaſti verbum patientiæ meæ: Ecce dabo illos* (qui te perſequebantur) *vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te.* quæ diuina verba quàm aptè Richardus à Sancto Victore ediſſerens, part. 2. lib. 1. ſuper Apocalypſim: *Faciam* (inquit) *vt veniant ad fidem in me credendo, & adorent ante pedes tuos ſe humiliando, te venerando, & ſe à te baptiſari, inſtrui & regi ſimpliciter* exorando.* Demus hoc literaliter de Angelo, hoc eſt de Epiſcopo Philadelphiæ, intelligi. Sed quis non videat promiſſi huius præmium iure potiori ad Romanæ Eccleſiæ Præſulem, ſenſu ſpiritui conſentaneo reuocari poſſe? Sanè enim Romana Eccleſia hoc præ cæteris habuit, etiam Caluino teſte*, *quòd doctrinæ ſemel acceptæ fuerit tenacior:* imò vt Patres vnanimi ſuffragio fatentur, à fide recta ne minimum vnquam deflexerit. pro qua ad extremos vſque ſpiritus tuenda Romani Pontifices circiter 30. martyrio occubuerunt, verbúmque Chriſti patientiæ, profuſo cruore, ſtrenuè ac fideliter ſeruauerunt. Vicerunt Synagogam Satanæ, ipſi & eorum ſucceſſores, qui in petræ Apoſtolicæ fundamento ſolidati, omnes hæreſes contra fidem veram exortas ineluctabili religionis conſtantia ac fortitudine profligârunt, Chriſtiano nomini fere totum ſubiugarunt orbem, Occidẽtem præſertim quem per ſummiſſos vbique operarios crucis aratro excoluerunt, ac ſplendidiſſimis Chriſti Seruatoris trophæis impleuerunt, ſuóq; etiamnum zelo Apoſtolorum hereditatem propugnant

* ſupplicitet

* *Lib. 4. Inſt. 6. 6. §. 16.*

ac tuentur. Nec desinunt intenta cura ac opera Euangelij veritatem, quocumque sol emittit radios, per delectorum virorum præconium, in populorum salutem etiam barbarorum propagare, Dominique sui subcœleste regnum, quibusque modis ac mediis cõtendunt, quaqua mundi plagâ amplificatum ire. Animarum lucris, fidei tutelæ, religionis decoro, Ecclesiæ incremento, perpeti prospectu inuigilant: sicque Christi vices obeunt, vt Petri partes iugiter exequantur. His igitur officiis honorem illum optimo iure promeruerunt, quem fideli seruo Dominus pollicebatur. *Faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient quia ego dilexi te.* Decus illud promissum diuinitus Ecclesiæ, victoriam & triumphum eius, de truculentis hostibus prostratis Christi dextera, Petrique fide indicabat: *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruierit tibi peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ. Et locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi.* Cæcus est profecto qui hæc accuratim impleta in Ecclesia Christi non videt, maximéque in Romana Ecclesia (quæ cæterarum radix ac matrix est) eiúsque Pontifice omnium maximo, vt pote Christi Vicario, perenni splendore collucere, hæc fidei Petri triumphantis in eius sede lumina, ac gloriæ à Deo promissæ insignia non conspicit; proinde qui quod Deo placuit sacri decus honoris, summo Sacerdoti suo impertiri, liuidis oculis intuetur, ac quod ipse *Deus sanctum appellauit**, profanum audet appellare.

Isa. 60.

* *Act. 10.*

IV. ratio, ex Cæremonialis Romani hisce verbis colligitur*. *Induitur* (electus scilicet Pontifex) *Papali habitu, toga scilicet linea, caligis rubeis, & sandaliis rubeis aurea cruce signatis.* Est certè *oris osculum* (vt Sanctus Ambrosius lib. 6. Hexaëm. c. 9. docet) *pietatis & chari-*

* *c. 4. 10. & 12.*

tatis pignus. Hinc osculari crucem & adorare, pari obseruantia in Ecclesia vsitatum. Vnde solenni adorationi crucis, eiusdem osculatio reperitur passim fuisse annexa. Ex ordine Romano id veteri liquet, Cæremoniali, Pontificalique & communi Latinæ Ecclesiæ praxi. Græcorum nec alius mos etiam cùm imperarent fuit. Curopalata lib. de Offic. aulæ Constantinopolitanæ, vbi de officio matutino magnæ Dominicæ Paschatis. *Protopapa & Archidiacono sistentibus in prothyris Tribunalis, hoc quidem Euangelium, illo verò crucem ferente, ingreditur Imperator, & primùm quidem osculatur Euangelium & crucem.* Et rursum vbi de lustratione & menstrua benedictione agit Imperatoris. *Accipiens*, ait, *Protopapas crucem ab Archidiacono, ponit eam super frontem Imperatoris, dicitque preces. Deinde Imperator osculatur crucem, & omnes qui circum sistunt acclamant* πολυχρόνιοι, *ad multos annos. Postea Protopapas crucem quidem dat Archidiacono: vrceolum verò à protopsalte accipiens benedictionémque* (seu materiam benedictionis) *digitis, vt mos est, attingens circumungit frontem & oculos Imperatoris, dum autem benedictionis ex ampula fit particeps, omnes iterum clamant, ad multos annos.* Actum verò religionis esse, & sacramenti præstiti indicium, crucem deosculari, patet ex historia inaugurationis Rodulphi I. Imperatoris, qui cùm Aquisgrani corona insigniendus esset, Principésque in eius verba iuraturi, nonnihil tergiuersari viderentur, quòd non omnes adesse dicerent, neque sceptrum in promptu esse. *Rodulphus accepta cruce, quæ propè aderat, hoc inquit signum est in quo redempti sumus. Hoc ego sceptro in omnes mihi & imperio infidos vtar. His dictis omnes qui aderant Principes crucem exosculati, sacramentum dicunt.* Huc etiam referri potest Nicolai I. ad consulta Bulgarorum de crucis gestatione & deosculatione, memoriæ digna responsio. *Sciscitamini etiam*, in- cap. 7. & 8.
quit, *si liceat crucem Domini, cum reliquiis, mundo, siue immundo hanc habenti osculari vel portare? quod ei qui mundus est omnino licet. Nam in osculo quid est nisi amor, quo quisque circa eam flagrat innuitur? & in deportatione quid nisi mortificatio carnis, vel compassio proximo-*

rum exprimitur? &c. *Igitur crucem Domini paßionem eius venerantes osculamini, & pro eius amore, si neceßitas exigit, eadem cogitatione armamini.*

Ea certè causa est, cur summi Pontifices toto habitu crucem præferunt: in mitra, in pallio, in casula, in stola, in dalmatica, in sandaliis & compagiis: tum quòd hæc in toto Pontificali ornatu pretiosior gemma sit, tum quòd indicium sit salutis, & memoriale Dominicæ Passionis, quod vt præcordiis altè insitum gerere debent, ita & obiectum perferre oculis, vt tanti beneficij recordatione, deuotus ipsorum affectus in Christum excitetur, ac crucis mortificationem hinc discant iugiter in corpore suo circumferre. Quamobrem & Damasum Papam, *successorem piscatoris & discipulum crucis*, scitè ac conuenienter S. Hieronymus appellabat, ep. 57. Cæterùm portauit quoque crucem Petrus, cuius heres est Romanus Pontifex, sed inuersam, adeò vt affixus ei fuerit vt petierat, demisso versus terram capite, pedibus sursum erectis, quorum magis cruor sic dum pateretur emicuit. Rubeas ideo caligas, atque sandalia gestat Romanus Pontifex, cruce rutilante insignita: his vt indiciis fusi in cruce à Petro cruoris, pro Dei gloria refricet memoriam: passionisque itidem Saluatoris trophæum adorandum, iis qui ad se accedunt exhibeat. Qui dum eius genibus aduoluuntur, ad eiúsque prostrati pedes hos deosculantur: non tam eius pedes, quàm Christi triumphale signum adorant, Petrique simul pro ipsius Domini clarificatione crucifixi, sacra vestigia clauis confixa venerantur. Accedit quòd Petri succéssor, cui oues suas pascere Dominus præcipit: eius ipsius vices tenet qui de sursum venit, *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Crux verò clauis est regia, qua Christus nobis ipse æternitatis aditum deuicta morte reserauit: *Reconciliauit enim omnia* (ait Apostolus) *pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt*. Col. 1. 20. Nihil igitur conuenientius Christi Vicarius poterat perferre in incessu suo, quàm crucem pro ornatu: vt dici de eo quammaximè posset, quod Propheta prædixit: *Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis*

Luc. 1. 79.

pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus.

V. conſectanea ratio, ex verbis Sancti Hieronymi dimanat. *Honoremus ſeruos, vt honor ſeruorum redundet ad Dominum, qui ait, Qui vos ſuſcipit me ſuſcipit.* Ideo Galatas dignos laude prædicat vas electionis Paulus, quòd ſe non modò ſuſceperint, *vt Angelum, ſed vt Chriſtum Ieſum.* Ita & Petrum excepit (vt in huius opuſculi exordio notatum eſt) Cornelius, qui cùm ad ſe Petrus introiſſet, obuius ei factus eſt, *& procidens ad pedes eius adorauit,* id eſt oſculatus eſt, quaſi ipſa Chriſti veſtigia ſacratiſſima, cuius Petrus auctoritate veniebat, ipſi Cornelio ſuiſque vitæ æternæ reſerare ianuam. Vnde B. Chryſoſtomus actum hunc eius, ex merito deuotionis commendans, rectè ac vtiliter admonuit. *Hoc faciens humilitatem ſuam oſtendit, & alios docuit, & Deo gratias egit.* cui vt auctori, ſalutiferum Petri cœleſtis clauigeri ad ſe aduentum, hoc externo actu pietatis referebat. Sane ſi adeſſent quotquot ſuprà memorati Martyres, Clerici, Sacerdotes, Epiſcopi, Imperatores, Reges, Petri ſucceſſorum ſacros pedes terræ defixi oſculati ſunt; ab iiſque percontaremur, an hominibus vel Deo tantum detulerint cultum ac reuerentiam, quid aliud putamus reſponſuri eſſent, quàm ſe Chriſtum in eius Vicario, (dum ſuos apices ad Papæ veſtigia ſic demitterent oſculiſque eius lamberent pedes) adoraſſe? Non perſonæ, ſed officio hunc exhibuiſſe honorem, potuiſſéque iure, ſine vllo reatu, tum apud ſe dicere: *Non tibi, ſed Petro*, imò non Petro, ſed Chriſto cuius vices geris, hæc religioſa impendimus obſequia. Te tamen vt viuam eius imaginem colimus, atque veneramur: ſed vt ſerui honor redundat ad dominum, ſic & cultus imaginis ad prototypum ſuum, iure ipſo relationis, quâ eius eſt (omnes vt naturaliter norunt) reflectitur. Vulgare ſiquidem axioma quis ignorat? *Relata ſunt, quæ id quod ſunt, aliorum ſunt.*

ep. 53. ad Riparium.

Act. 10.

Hom. 23. in Acta.

τοῦτο ποιῶν, τὸ ταπεινὸν αὐτοῦ δεικνὺς, καὶ παιδεύων τοὺς ἄλλους, καὶ τῷ θεῷ εὐχαριστῶν.

CAPVT V. & vltimum.

Segregum argumenta, quibus deosculationem pedum summi Pontificis impugnant, seriatim excutiuntur & diluuntur.

QVAMVIS quæ conuitiorum plaustra in Romanum Pontificem congerunt passim segregum antesignani, eorum odium apertè manifestent, quo eò animi impotentiæ abrepti prosiliunt, vt omnis modestiæ obliti videantur. Tamen ne par pari referentes, potiùs existimemur impetu violento, quàm ratione ac æquitate hac in dissertatione moueri, pacato animo & sedata mente, quicquid contra ritum deosculationis pedum Romani Pontificis obiiciunt discutiemus; nec probrorum ac contumeliarum, quibus hac in concertatione potissimum vtuntur, atrocitatem, consimili verborum asperitate ac animi amarulentia rependemus: at Christianæ modestiæ memores, omni iniuriæ vice deposita, ratiunculis satisfactum ire dabimus operam, quas suis aduersus Papam interserunt inuectiuis.

I. Aiunt Pontificem, vel hoc ipso se Christo aduersum, ideóque Antichristum prodere, quòd non solùm in doctrina, sed in moribus sese illi contrarium præbeat. Idque vel hac in re prorsus perspectum fieri, quòd Christus stupenda humilitate discipulorum suorum lauerit pedes, Papa verò intolerabili superbia pedes suos faciat à Christi fidelibus adorari, propudioso more. Etenim ad hoc obsequium non admittit ipsos reges, nisi sua ad vestigia aduolutos, & pedes suos amplexibus ac osculis venerantes. Respondeo: reuera Christus cùm propè passurus esset, discipulorum pedibus affusus eos lauare voluit, vt ad corporis & sanguinis sui, quod instituebat mysterij celebrationem, ac participationem, eosdem illa purificatione præpararet. Postquam verò resurrexit, ad pedum suorum amplexus, & oscula proruentes

Matth. 28. pias mulieres benignè excepit. *Et ecce Iesus occurrit illis dicens auete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius,*

&

& adorauerunt eum. Matth. 28. 9. In eodem Christo igitur lucida exempla habeo humilitatis & maiestatis. Quæ etiam licet in Petro eius Vicario conspicere. Actorum siquidem 10. Cornelio honorem quasi diuinum sibi deferenti: *Surge*, inquit, *nam & ego ipse homo sum*. Econtrà Ananiæ sibi quasi homini, fallaci responso illudenti: *non es*, inquit, *mentitus hominibus*, *sed Deo*. Act. 5. palam se Dei vicem gerere significans, ideóque illatam sibi, in Deum ipsum redundare iniuriam. Quotidie videre est in successore Petri easdem actionum diuersitates. Sacerdotis enim ad genua Pontifex ipse vt homo delicta confessurus, supplex ac demissus procidit. Ipséque vicissim Sacerdos, cui in tribunali pœnitentiæ sedenti, Pontifex sese prostrauerat, eius ad pedes procumbit: quémque vt hominem absoluerat, adorat vt Christi locum tenentem, diuinæque maiestatis ac potestatis in eo relucentem imaginem, debito cultu veneratur.

II. Inquiunt, tametsi Papa esset Angelus, hoc se honore coli non esset quod exigeret, imò nec deferri sibi pateretur. Tritum est enim istud Angeli ad Ioannem (qui ceciderat ad pedes eius, vt ipsum adoraret) responsum. *Vide ne feceris, conseruus tuus sum*. At vt non negamus Pontificem natura hominem esse, sic officio Angelum ex Patrum documentis, Synodicarum veterum nonnullarum inscriptionibus, quibus *coangelicus Papa passim appellatur*, agnoscimus atque asserimus. Quamobrem, vt Angelis nõ inferior est dignitate, ita nec honore. Adoratos porrò Angelos à plerisq; Sanctis, piè ac inculpatè, in Scripturis Sanctis innumera exempla docent, quæ doctis fastidiosum foret hîc recensere sigillatim. Igitur quòd non fuerit hoc loco passus Angelus, sibi à Ioanne tam profusum honorem exhiberi, ratio manifesta est: insignia enim Ioannis merita, in causa fuerunt. Erat Ioannes siquidem Sacerdos, Propheta, Apostolus, Euangelista, virgo & martyr, quibus titulis ipsi Angelo præcellebat. Maximè verò singulari prærogatiua Christi specialis in se amoris, cuius dilectus vnicè dicebatur & erat. Adoptiuus insuper virginis filius. Maior igitur omnibus his ex insignibus erat Angelo, qui eapropter ab eo ado-

rari meritò recusauit. A quo nec Papa ipse, cultum hunc foret accepturus. Indignum enim censeret ad pedum oscula eum excipere, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Sed hæc quid ad alios? Dicant quæso aduersarij Papæ, quot sunt, & quinam sunt Ioanni æquales? Istámq; ad hos etiã, facilè patiemur, Angeli prohibitionem extendi: *Vide ne feceris conseruus tuus sum*; subiungit etenim, *& fratrum tuorum habentium testimonium Iesu*. Fratres Ioannis, Apostoli sunt, Prophetæ, & Martyres. hi etenim sunt *qui habent testimonium Iesu*, propter quod etiam vitam cum sanguine profuderunt. Tum speciatim verò in Ioanne spiritum prophetiæ reueritus est Angelus, vnde subdit: *Testimonium enim Iesu, est spiritus prophetiæ*. Nimirum spiritus ille præcellens, quo Ioannes dotatus fuit. Alij siquidem in libris suis aliqua attigerunt mysteria: hic in sua Apocalypsi (vt cum beato Hieronymo dicere liceat) *tot sacramenta quot verba* elocutus est; solúsque in nouo testamento, prophetiæ librum conscripsit, quo comprehenduntur omnia, quæ à Christi glorioso in cœlos ascensu, ad vsque eius extremum aduentum, diuina ex præordinatione, in Ecclesia militanti ventura sunt. Tantum gratiæ lumen quod Ioannes è cœlo hauserat, Angelus suspiciens honorauit: eiúsque obtentu detrectauit à Ioanne adorari, quem vt diximus sibi iam non modò æqualem, sed in plerisque insuper maiorem nouerat. Verùm Ioannes ipse (quem sibi suis pedibus aduolui ad cultum deferendum Angelus non sustinuit:) pœnitentem illum latrunculum, quem vt ouem errantem quæsiuit ac reduxit ad caulas Domini, sua ad genua procidentem, multóque gemitu eluentem reatum benignè suscepit, teste Eusebio lib. 3. hist. Eccles. c. 23. Nemo verò dixerit quod fecit Ioannes, Pontifici Romano, Apostolorum successori, nefas esse imitari. Quamobrem affusos sibi ad sacra genua licitè recipit, quotquot in humilitatis spiritu accedunt, vel veniam delictorum postulantes, vel Apostolicæ dignitatis venerantes culmen, quod Ioannes ipse in Petro reueritus est. Ioan. 20. 7. 8.

III. Obiiciunt manifestam tyrannidem sapere morem

hunc quo Papa nonnisi genuflexos, ac suum calceum osculantes suum ad conspectum admittit; id mutuatum aiunt scilicet à Caligula, Nerone, Diocletiano, & cæteris eiusmodi monstris, qui liberorum etiam hominum capita, velut vilium mancipiorum, suis calceamentis intolerabili superbia subiecerunt: neminem admittentes nisi qui ad genua sua prociderent, & calceos oscularentur. Quo nomine in omnium bonorum reprehensionem incidit Diocletianus, quem primùm memorant gemmarum ornamenta ideo calceamentis suis intexuisse, vt sibi tanquam Deo per pedum oscula diuini honores impenderentur. Calumniatur inde Ioannes Cuspinianus Pontificem, quòd morem tyrannicum sibi pedes osculandi, in cõmunem Christianorum vsum inuexerit. Hincque ei grauiùs insultandi nouatores ansam arripiunt: quasi non modò Christi modestiæ oblitus sit, sed præcepti quoque: cùm expressim ipse Dominus regium fastum & dominationem suis Apostolis prohibuerit (proinde & omnibus eorum successoribus) dicens: *Reges gentium dominantur eis, vos verò non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor.* At Pontifex (adiiciunt) qui se maiorem iactat, tantùm abest vt minorem exhibeat, qui regium ad se cultum omnem ac splendorem, contra Christi mandatum ac exẽplum traxit: verùm ipsos Reges seruire sibi coëgit, eosdem seruili more adigens, ad suos procidere pedes eósq; deosculari, quoties suum ad conspectum accedunt. Nimirum vt se his factis planè euincat filium esse perditionis, qui vt Apostolus * prædixerat, *extollit se super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, sedens in templo Dei, & ostendens se quasi ipse sit Deus* in cultu, in habitu, in maiestate, in potestate. Hæc tela sunt acutiora sanè, quibus conglobati *subtractionis filij* (nimirum Ecclesiasticæ vnitatis, ac Christianæ veritatis desertores) aduersus Romanum Pontificem ob ritum hunc quem vindicamus, eiaculantur. sed non difficile fuerit tenuem admodum illorum hebetare aciem, ac cuspidem parum firmam ire retusum. De loco Pauli nõ est cur cum eis impræsentiarum manus cõferamus, cùm millies fuerit euictum falsò ac inuidiosè ab eis, quæ de Christi hoste atro-

* *1. Thessal. 4.*

cissimo, antichristo scilicet, ab ipso Apostolo prædicta sunt, ad Christi cultorem præcipuum, qui crucem eius adorat, fidẽ tenet ac prædicat*, séque duntaxat seruum eius seruorum profitetur, detorqueri. Quod porrò pertinet ad Christi verba, Apostolis suis prohibentis regium dominatum, certè his promptum est aduertere, Pontificem nil aduersari, qui nec regium nomen gerit, nec affectat, aut exercet, quod vetuerat præsertim Christus, violentum super animas imperium: cæterùm nec fastum sæcularis principis suo ex ornatu quærit. *Nomen Dei* (scitè ait ad Fabiolam Sanctus Hieronymus) *totam Pontificis coronabat pulchritudinem*, ad innuendum quòd omnis eius apparatus Dei gloriam respicit. Non enim vt terrorem subditis incutiat, & sibi arroget ex pompa regia formidabilem maiestatem, Pontifex sacro ornatu decoratur: at duntaxat, vt decentiùs diuinis operetur, suóque venerando amictu religionis sacrosanctæ mysteriis reuerentiam apud spectatores sacri muneris cõciliet, ac sui ex ministerij splendore, diuinum augeat cultum & honorem. Præterea non est quòd sectarij, Christi humilitatis exemplum ita vrgeant: cùm suprà in responsione ad primam obiectionem, ostenderimus, non solùm exempla humilitatis Christum spectanda dedisse, sed maiestatis quoque alterna exercuisse indicia. Apostolorum pedes ante passionem lauit; sed pedes suos osculari séque adorari post suam resurrectionem permisit. Quin & ante glorificationem sic suæ dispensationis attemperauit insignia: vt vicissim quæ serui sunt & Domini indicia, sua in œconomia exhibuerit. Præclarè Leo Magnus in celebri illa de Verbi incarnatione epistola ad Flauianum, mutuas has vices expressit. *Qui* (inquit) *verus est Deus idem verus est homo. Et nullum est in hac vnitate mendacium, dum inuicem sunt & humilitas hominis & altitudo deitatis,* &c. *agit enim vtraque forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante quod verbi est, & carne exequente quod carnis est. vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut verbum ab æqualitate paterna gloriæ non recessit, ita caro nostri generis naturam non reliquit. Vnus enim idémque est verè*

* Caluinus licèt iuratus Papæ hostis, in opusculo aduersus Libertinos c. 4. veritate conuictus patentissima, fatetur ipsum Papam formam religionis non abiicere: neque auferre vitæ æternæ expectationem. At docere timorem Dei, fateriq; & colere Dominum Iesum verum Deum & hominem: denique fidem adhibere verbo Dei, ac eius agnoscere auctoritatem, discrimen inter bonum & malum præscribere, &c. Libertinisque ipsis prorsus aduersari.

Dei filius, & verè hominis filius, &c. *Natiuitas carnis manifestatio est humanæ naturæ: partus virginis diuinæ est virtutis indicium. Infantia paruuli ostenditur humilitate cunarum: magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est in rudimentis hominum, quem Herodes impius molitur occidere. Sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent suppliciter adorare.* Tota vitæ eius series, hac eximia diuersitate refulsit: cúmque ipse humilitatis exempla præstaret, simul & insignia maiestatis proferebat. A Simone apud quem discubuerat dum se permitteret contemni*, eodem momento voluitá muliere peccatrice (quæ deosculabatur pedes eius, eos rigabat lacrymis, pretioso perfundebat vnguento, & capillis suis tergebat) spectatæ deuotionis obsequio honorari. In vtroque Romanus Pontifex Dominum cuius obit vices imitatur. Si personam ab officio nouatores distinguerent, alternis illum vicibus humilitatis ac gloriæ perfungi, facilè possent conspicere. Officij dignitate omnibus antecellit, tituli professione sese dimittit infra omnes. Se vt hominem fatetur infirmitate circumdatum: vt Petri successor, diuinæ gratiæ ac virtutis dispensatorem agit. Vt peccator procumbit pedibus sacerdotis, vt Pontifex pedum oscula, Domini quem refert intuitu recipit. Vtriusque huius vicissitudinis Clemens VIII. orbi Christiano præclarum exhibuit monimētum*; qui prostratū quidem ad beatorum pedum oscula, Hēricum Magnum Francorum Regem ad gremium Ecclesiæ redeuntem in Legatis excepit: sed vt eius à Deo recōciliationem impetraret, duobus diuersis diebus sub auroram, cum familia sua nudis pedibus, ab ædibus Quirinalibus, supplex ad Ecclesiam S. Mariæ processit, post longam orationem sacrum celebrauit, demissóque capite, nudis pedibus domum remeauit. Nec dicant nouātes quòd Papa typhum Diocletiani traxerit in exemplum. Gemmas calceis non infigit, sed crucem Domini sui: nec diuinos sibi arrogat honores ex pedum osculis, sed quæ sibi (obtentu Christi quem repræsentat Pontificio munere) exhibetur, venerationem ad ipsum refert, cuius se esse seruum, imò *seruum seruorum* præcipuo titulo gloriatur.

* *Luc.* 7.

* anno 1595.

IV. ex ſigno ipſo crucis quod infixum ſandaliis geſtat ac præfert Pontifex, illi impingunt dicam. Gloriæ inquiunt Chriſti adſcribebat Auguſtinus, quòd ſignum eius crucis, Reges in vertice conſpicuum gererent. *Attende* (ait) *gloriam crucis ipſius. Iam in fronte Regum crux illa fixa eſt, cui inimici inſultauerunt.* Honoris causâ etiam Conſtantinum Magnum pilæ ſeu globo, cui victoriam ethnici Cæſares imponebant: crucem indidiſſe, qua crucifixi virtute ſe viciſſe, ac triumphaſſe indicaret: res eſt vetuſtis ex numiſmatibus explorata. *Crucem dextera* (ait Curopalata*) *Imperator* (Conſtantinopolitanus ſcilicet) *ſemper geſtat*. Patétq; etiam ex vetuſtis numiſmatis ipſos Orientis Cæſares, crucem tuliſſe loco ſceptri. Ac etiamnum videre eſt Venetiarum Principem pileo inſitam ſummo faſtigio gerere crucem, qua, vt omnis felicitatis ac dignitatis & gloriæ principio inſignique gloriatur. At hanc Papa deiicit ad pedes, fœdóque ſitu calceis infigit. quo ſcilicet ſalutis ſignum calcibus proterat, & Chriſti gloriam euacuet, ac ſe eius prodat apertum inimicum.

In Pſal. 54. ad verſum 1.

* *lib. de Off. aulæ Conſtantinopolitanæ.*

Verùm ignoſcant hîc oro Nouatores, ſi malè olere hoc argumentum in ore eorum dixero, qui ſe inimicos crucis Chriſti tot modis prodiderunt. Cui non modò omnem reuerentiam ac honorem detraxerunt, ſed quodcumque potuerunt dedecus ac vituperium intulêre. Confractæ, deiectæque tota fere Europa cruces, quas etiamnum in Anglia (quantulæ ſuperſunt) tanto æſtu proterunt, delent, diripiunt: ac quibus tam crucis imaginem, quàm efformatum manibus ſignum impetunt ſuis in libris ironiæ, iniuriæ, ſatis ſuperque demonſtrant, quanto odio illam figuram habeant, eiúſque vſum ac cultum quàm contentiosè exagitent, ac diris modis execrentur. Non eſt igitur quòd Romano Pontifici, qui aduerſus eos pro virili, crucis aſſerit decus venerationémque defendit, crimen imponant, cuius reatu atque piaculo ipſimet, vt omnibus conſtat, obſtringuntur. Quòd enim Papa non contemptus causâ, ſed honoris affectu, Pontificalibus caligis atque ſandaliis, ſignum crucis intextum perferat, ſatis ex his liquet quæ cap. 1. per totum & 4. huius opuſculi ratione quarta ex-

posuimus. Nec est etiam quòd Imperatorum exempla nobis obiiciant, crucem gerentium in manu pro sceptro, in capite pro corona. Ab his enim pietate Papa se vinci non patitur, à quo potiùs quanto honore crux habenda esset didicerunt. Nihil magis siquidem in ornatu Pontificis est quod effulgeat. Crux ei pro baculo est ac virga Pastorali. Crucem in tiaræ suæ fastigio, pro exquisitiori gemma præfert. Hanc pallio Papali antè & retrò, ac circumquaque acu intextam gestat super humeros, super pectus. Pendulámque aliam habet quæ à sinu suo super cor defluit. A capite igitur ad pedes vsque cruce insignitus est: hócque ornatu totus eius decoratur apparatus, vt sic cum Apostolo, Gentium illuminatore, palam profiteatur, *se tantummodò gloriari in cruce Domini sui*. Gal. 6.14.

Denique quòd pietatem commendant Principis Venetiarum, qui crucem in vertice gestat: eos ipsos qui cruces tantis iniuriis ac contumeliis dedecorarunt, hoc exemplum reuerà perstringit, non autem lædit Pontificem, at potiùs ipsum (in hac re præsertim) defendit. Baptista Egnatius sanè hunc ritum, quo iampridem Venetiarum Principes assueuerunt crucem, pileo ducali, insigniori loco infigere, inuectum fuisse, à Laurentio Celso octauo duce, hac memorabili occasione, prodit. *Cùm igitur*, ait, *generosus iste iuuenis, Venetiorum Dux, abdicare se magistratu non posset, hoc vnum saltem, memoriæ dignissimum effecit, vt scilicet diademati, siue coronæ Ducali, crux adiungeretur, quatenus dum illi pater honoris ac reuerentiæ officium exhiberet, ratione magistratus quem gereret, non ipsi filio, sed cruci Domini, tiaræ Ducali affixæ & appensæ, honorem exhibuisse videretur.* Sed vnde tam mirum pietatis artificium dux ille quæso didicerat, nisi à Romanorum Pontificum exẽplo? Cùm enim hi primùm agnoscerent, vniuersos passim Christianos pietatis & honoris ergô, ad suorum pedum oscula proruere, vt à se honorem illum, ad Christi Domini gloriam transferrent: crucem quæ præcipuum est gloriæ eius monumentum, calceis suis adtexi curauerunt. Sic enim factum, vt Christiani homines, quùm honorem, quem Pontifici per pedum

eius oscula lubentes ibant delatum, cruce in ipsius calceis perspecta, in Christum præsertim referrent: atque adeò ipsum ore contingere, impressisque labiis suauiari viderentur.

Hæc ratio, qua maximè summorum Pontificum humilitas atque religio commendatur, ab Angelo Rocca & Benedicto Balduino fuit antehac obseruata: sed hoc cum discrimine; quòd Balduinus vt à se profectam illam assignat: Rocca se à Iosepho Steuano, cuius etiam profert ipsa verba, apertè mutuatum profitetur. Quæ cùm verissima ac efficacissima sit, euadit vtique consectaneum, quàm antiquus sit ritus deosculandi pedes Romani Pontificis. Si enim ideò crux posita fuit sacris eius calceis, vt quæ oscula eis à fidelibus reuerentiæ causâ infigebantur, ad Christum, cum toto honore qui ex pio hoc obsequio dimanabat, velut ad auctorem Pontificiæ dignitatis, ac primarium religionis obiectum, & summum ac æternum Pontificem, in Papa ipsius Vicario repræsentatum, Christiani intelligerent, à se (vt ab ipso Papa) referenda esse. Certè eiusmodi ritum hinc sequitur, non esse, vt volunt segreges, recens posteriorum Pontificum inuentum: cùm Crucis figuram iam tempore Syluestri I. Pontificalibus calceis insitam fuisse, quin etiam antè vt postea, perenni more ostenderimus. Quamuis hoc solo indicio non nitatur antiquitas huius Christiani ritus, quem ab Apostolica ætate ad hæc vsque tempora, suprà etiam probauimus fuisse, perpetua pietatis constantia obseruatum.

FINIS.

Per eum, & in eo, qui A *est &* Ω.

Omnia iudicio Ecclesiæ Catholicæ, & sanctæ Sedis Apostolicæ subiecta sunto.

INDEX

INDEX RERVM
ET VERBORVM MEMORABILIVM
quæ in hoc Opere continentur.

A

C

Coro-

D

E

H

L

Leonem

M

Q

R

S

T

V

FINIS.

ERRATA HIC NOTATA, CANDIDVS LECTOR SIC emendet : cætera quæ prætermiſſa ſunt (quoniam leuiora , vel minus conſpecta) benignè ignoſcat.

P*agina* 5. *lin.* 17. *lege* præteriri. *p.* 6. *l.* 14. vendicaret. *p.* 7. *l.* 20. *dele* eius. *p.* 8. *l.* 7. Rodulphum. *ibid. l.* 15. cap. 55. *p.* 9. *l.* 17. aſſeremus. *p.* 10. *l.* 27. Proinde. *p.* 11. *l.* 39. *dele* dum offerunt. *p.* 13. *l.* 1. repræſentaret. *ibid. l.* 15. capillo. *p.* 17. *l.* 34. *dele* ex. *ibid. l.* 37. efficiam. *p.* 18. *l.* 20. mutuum ſilentium. *p.* 20. *l.* [illegible] ita demiſsè. *ibid l.* 20. tunc. *ibid. l.* 25. & 26 ſacra veſte. *ibid l.* 38. infulam, idem. *p* 21. *l.* 10. ex mitra S. Hilarij, ſeu vſitata. *p.* 22. *l.* 7. Redonenſi. *ibid. l.* 11. confirmauimus. *p.* 2,. *l.* 20. adduxerant. *ibid. in marg. l.* 20. expreſſo. *ibid.* Nihil. *p.* 25. *l.* 13. Antidicomarianitarum. *p.* 26. *l.* 7 leuiticæ legis. *p* 27. *l.* 11. reiecerint. *p* 30. *l.* 13. præter has. *p.* 31. *l.* 5. pro fide in Orientem. *ibid. l.* 30. Dinamius. *ibid l.* 38 monimentum. *p.* 33. *l.* 6. *dele* quod. *ibid. l.* 25. tantique feciſſe. *p.* 35. *l.* 4. *dele* fuiſſe. *p.* 40. *l.* 8. hac in re quàm in illa factum. *p.* 43. *l.* 9. dignum me. *p.* 53. *l.* 6. biberet. *ibid. l.* 7. nuperi. *p.* 55. *l.* 39. antiquiſſimas. *p.* 56. *l.* 1. quas. *ibid. l.* 2. impreſſas. *ibid. l.* 3 ſpectandas. *p.* 57. *l.* 23. Bonæuallis. *ibid. l.* 29. Phrygium. *p.* 58. *l.* 18. cæremonias. *ibid. l.* 27. præfecimus. *p.* 59. *l.* 29. antiquitate ornatus vſitatus. *p.* 61. *l.* 26. debere. *p.* 68. *l.* 18. quabus. *p.* 69. *l.* 14. deridet. *p.* 80. *l.* 13. Sixtus. *ibid. l.* 20. auctarium. *ibid. l.* 23. auctario. *p.* 94. *l* 29. innituntur. *p.* 100. *l.* 2. Ratoldi. *p.* 108. *l.* 22. vbi obiter. *p.* 110. *l.* 21. exeruiſſe. *p.* 11[illegible] *l.* [illegible]. conſecrari; innuit vbi ipſum. *p.* 117. *l.* 23. referente. *p.* 119. *l.* 33. deſignatio. *p.* 122. *l.* 11. manus. *ibid. l.* 19. Prouinciæ. *p.* 123. *l.* 34. Maiorum. *p.* 135. *l.* 8. compellabatur. *p.* 139. *l.* 10. impij mercimonij *p.* 140. *l.* 4. ſideribus. *p.* 141. *l.* 5. ex ingenito. *p.* 146. *l.* 1. conſenſum. *p.* 148. *l.* 3. deſignationem: cuius ordinatio ex. *p.* 155. *l.* 26. quantumlibet. *p.* 156. *l.* 27. Epiſcopatum. *p.* 157. *l.* 23. diſt. 28 *dele* &c. *p ead. l.* 37. regni huius procerum præſentia. *p.* 158 *l.* 12. perſuaſio ſummos Pontifices. *p.* 159. *l.* 21. ſæculari, ac quemcumque. *p.* 176. *l.* 14. vendicanda. *p.* 182. *l.* 32. in parte noſtra. *p.* 185. *l.* 27. Cluniacenſis. *p.* 188. *l.* 32. intra domos. *p.* 192. *l.* 15. vicino. *p.* 199. *l.* 6. is. *ibid. l.* 24. nomen in fronte. *p.* 201. *l.* 23. iſta reprimit. *ibid. l.* 24. iſta ſi deſit. *ibid l.* 26. oneri, nec de. *p.* 204. *l.* 18. requirent. *p.* 209. *l* 29. capite 11. *p.* 210. *in marg. lege* ἀγγλαΐας ἀπόμνησον. *p.* 212. *l* 13. firmitatis. *p.* 213. *l.* 7. verò ſolùm. *p.* 216. *l.* 20. alia iconiſmus ærea, quia. *p.* 222. *l.* 34. nudus egreſſus. *p.* 223. *l.* 5. miniſtris. *p.* 224 *l.* 10. præmiſerat ac. *ibid. l.* 13. etſi illum non. *ibid. l.* 14. vt priuatum hominem. *p.* 225 *l.* 6. ſcœnæ. *p.* 239. *l.* 18. regnum. *p.* 241. *l.* 15 diſpertirentur. *ibid. in marg. lege* [illegible]. *p.* 244 *l* 7. dignitas perſeuerat. *p.* 251. *l.* 21. Canonici. *p.* 257. *l.* 5 ſpectant. *p.* 260. *l.* 2. cuſtodire eum fide. *p.* 262. *l.* 19. apud fideles. *p* 267. *l.* 25. ritu myſterium ſubindicari. *p.* 274. *l.* 37. nomen Chriſti. *ibid. l.* 39. *dele* tibi. *p.* 276. *l.* 19. primigeno. *p.* 278. l. 22. ſuæ: at. *p.* 296. *l.* 20. ſphærula *p.* 297. *l.* 23. quæ *ibid. l.* 24 expreſſæ. *ibid. l* 2[illegible]. præfixæ ſunt. *ibid. in marg. lege* ἴλυσαι. *p.* 304. *l.* 24. *dele* ſibi *p.* 305. *l.* 35. conflatæ. *p.* 316. *l.* 33. delatione. Non tamen Polycarpo. *p.* 320. *in marg. lege* tom. xi. *p.* 326. *l.* 10. ſpeciali cultu. *p.* 327. *l.* 21. Archiepiſcopis. *ibid. l.* 22. Epiſcopis. *p.* 340. *l.* 18. (ſeu ſandaliorum) *p.* 345. *l.* 8. hyacinthis *p.* 347. *l.* 11. tunc iſte *p.* 348. *l* 6. ſat eſſe ſuperadditam. *p.* 356. *l.* 6. veſtibus *, non modò. *ibid. l.* 17. Sanè. *ibid. l.* 18. Cœleſtini. *p.* 357. *l.* 13. tertiæ ſynodi. *p.* 386. *l.* 10. compertum eſt. *p.* 403. *l.* 25. ritúmque exponit ſeriæ. *p.* 406. *l.* 38. & 39. Laconici, Perſici, Scythici. *p.* 407. *l.* 36. volunt antiquorum. *p.* 408. *l.* 28. tegerent. *ibid. l.* 31. & 32. calceis femineis. *p.* 412. *l.* 33. gallicarum. *dele l.* 14. earum. *p.* 416. *l.* 26. alti. *p.* 417. *l.* 13. de campagis. *p.* 424. *l.* 18. Cæterùm Anicienſis. *p.* 438. *l.* 24. veſtium podere. *p.* 459. *l.* 2. Pontificus. *p.* 465. *l.* 13. aduerſus ſuam ſectam. *p.* 466. *l. vlt.* exornatam. *p.* 472. *l.* 19. curam Petrus poſt ſe. *p.* 474. *l.* 10. admiſſus quàm. *p.* 475. *l.* 21. acclines &. *p.* 477. *l.* 27. venerabundi. *p.* 489. *l.* 31. venerandos. *p.* 491. *l. vlt.* hæreditatem. *ibid. l. vlt.* Hexameron. *p.* 497. *l.* 24. Synodorum veterum. *p.* 498. *l.* 26. *dele* ſibi.